RB.770

CONCIONES
IN EVANGELIA ET EPISTOLAS,

QVAE

DOMINICIS DIEBVS POPVLO in Eccle-ſia proponi ſolent: Eccleſiaſtis omnibus moderni temporis ſummoperè vtiles, è Tabulis D. LAVRENTII A VILLAVICENTIO XERESANI elaboratæ:

NVNC VERO

Plurimis in locis cum ſacrarum literarum, tum Catholicorum antiquorumq; Patrum ſcriptis diligenti cura ſupra omnes alias editiones auctæ & locupletatæ:

PER

D. AEGIDIVM TOPIARIVM.

Saluis per omnia ſemper iudicio, correctioneque S. Sedis Apoſtolicæ.

PARS HYEMALIS.

ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini.
M. D. LXVIII.

SVMMA PRIVILEGIORVM.

CAVTVM *eſt Regio priuilegio, ne quis alius præter Chriſtophorum Plantinum & Antonium Tilenium Cõciones in Euangel. & Epiſt. quæ in præcipuis & alijs totius anni feſtis & Dominicis diebus populo in Eccleſia proponi ſolent, è Tabulis D. Laurentij à Villauicentio Xereſani collectas, nec non ex S. Patrum, neotericorúmq; Orthodoxorũ ſcriptis, maximo ſtudio auctas & locupletatas per D. Aegidium Topiarium, imprimat, aut alibi impreſſas vẽdat hinc ad ſexennium, ſub pœna confiſcationis librorum, vt latius patet in litteris datis Bruxellæ 24. Decemb.*

Subſign. De la Torre.

Idem cautum eſt in Conſilio Brabantiæ ad totidem annos, & ſub pœnis ijſdem, vt in ſuperiori Priuilegio, quẽadmodum latius patet in litteris datis Bruxellæ 15. Ianuar. Anno Domini M. D. LXVI.

Subſign. De Perre.

CHRISTIANÆ PHILOSOPHIÆ CANDIDATIS AVCTOR PERPETUAM IMPRECATUR FELICITATEM.

QVIA iam multi paſſim multa proferunt in lucem, Chriſtiane lector, quæ potius faciunt ad Eccleſiæ catholicæ deſtructionem quàm ædificationem, ac, iuxta B. Hieronymi ſententiam, ſolam ſcripturarum artem ſibi vendicant omnes, hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, & docent antequam diſcant: videntur quoque mihi non rem inutilem facere, qui in hoc toti ſunt, vt continuis ſuis ſcriptis maledicorum morſus coërceant, calumnias ſua auctoritate retundant, ora loquentium iniqua obſtruant, atque etiam (vt tritum habet prouerbium) clauum clauo depellant. Et quò plures in hac ſcribendi palæſtra ſeſe exercent, eo magis conſultum eſſe religioni Chriſtianæ, nullus qui ſana mente præditus eſt, ambiget. Hinc quum aliæ cauſſæ, tum iſta potiſſimum noſtri operis fontem, venerandum ac doctum patrem Laurentium à Villauicentio Xereſanum ordinis Eremitarum D. Auguſtini, S. Theologiæ profeſſorem, & nobilis Hiſpanicæ nationis apud Brugenſes gratioſiſſimum concionatorem, permouit, vt Tabulas Euangelicas, eleganti ſanè, & ingenioſo artificio primùm quidem à Iohanne Spangenbergo editas (quas hac illácque ſparſas interim non ſolum vulgus Chriſtianum, verum etiam plerique concionato-

res paſſim pro veris noſtræ fidei dogmatibus amplectebantur) ab innumeris, quibus ſcatebant, hæreſeon erroribus nitidiores atque purgatiores redderet, vt ſic, inquam, in poſterum eædem vſui & ornamento Eccleſiæ catholicæ eſſe poſſent, quemadmodum antea eidem corrumpendæ atque deformandæ aliquot ſeruierant annos. Cuius pijſſimi Patris pium conatum, per ſe quidem ſatis commendatum, meo rudiori encomio celebrare non ſufficio, quem vix doctiſſimi eloquentiſſimíque viri ſuis præconijs dignè ſatis laudare poterunt. Nec certè parum refert, quibus hodie vulgus Chriſtianum diſciplinis imbuatur, quibus quoque præceptoribus inſtituatur, vbi non pauci longè à vero aberrantes, in fabulis falſiſque dogmatibus duntaxat neruos prorſum omnes contendunt: quippe qui, cùm veritatis inueſtigandæ gratia multa conſcripſerint, adeò in obſcuris verſati ſunt tenebris, vt pro veritate magis magíſque fingendi errores materiam præbuerint, ac velut parua incenſa ſcintilla, ingentem rogum incenderint. Quapropter repurgatis ſordibus, & erroribus eliminatis (ſicut ingenuè in ſuarum Tabularum præfatione auctor noſter fatetur) Tabularum Spangenbergicarũ caſtigationem hanc abſoluit, vt illa ratione, priores illæ mendoſæ, nec minus periculoſæ, piorum concionatorum manibus eriperentur, atque pro falſis veras & Chriſtianas aſſequerentur, congruo & oportuno tempore populo catholico proponendas. Delineauit quippe nobis in Euangelia, & Epiſtolas, quæ dominicis feſtiſque diebus in Eccleſia catholica populo proponi ſolent, Tabulas has, non minus pias quàm doctas, omnibus diuini verbi præconibus ſummopere neceſſarias: quarum eruditus & amœnus ſtylus virum eum eſſe magno diuinóque ingenij acumine demonſtrat. Sed amœnitatem & ipſius in ſcribendo dexteritatem quis verò dignè laudare poterit? Aut enim reuocat errantes, aut corrigit lapſos, aut conſolatur

ſolatur deiectos, aut comprimit elatos, aut extimulat ceſſantes, aut reconciliat diſsidentes: vbi verò quippiam ab æquitatis tramite mutatum, honorandǽque vetuſtatis limitibus exceſsiſſe videt, ita reſtituit atque corrigit, vt priſcis honorem ac reuerentiam ſeruet, præſentia ac noua non inuidioſus deprimat. Si quos pietate, innocentia, & morum probitate ad vitæ melioris fœliciorísque curſum tendere ſentit, his, animando, confirmando, ſtimulos & vltro currentibus calcar addit. Cum hæreticis illi ſi quando (id loci ratione exigente) res eſt, ita modeſtè corrigit, ita Chriſtianè hortatur, vt nihil petulans, nihil procax aut virulentum in eo deprehendere queas. Et vt ſummatim dicam, totum ſuarum Tabularum opus tanta eſt doctrina, grauitate, eloquentia, amœnitate, pietate refertum, vt in eo nihil vlterius diuinæ Philoſophiæ candidati ad abſolutam concionandi methodum deſiderare poſsint. Si de deo, de fide, de charitate, de baptiſmo, aliíſque noſtræ religionis articulis verba faciat, ita loquitur magnificè, piè, vt nihil ſchiſmaticum, nihil ab Eccleſia alienum, omnia verò ſynceram lympidámque Chriſti doctrinam redoleant ac ſapiant. Inſuper tam eſt in difficilioribus ſacræ ſcripturæ locis interpretandis acutus ac diuinus, vt ſupra hominis ingenium aliquid in eo ſuſpiciendum admirandúmque veniat. Quantum autem hoc ipſius opus ad cognitionem ſacrarum literarum proſit, malo pium lectorem ſua ſedula induſtria, quàm meo præconio diſcere. Sed hæc de auctoris commendatione, operíſque vtilitate obiter, rudíque minerua dixiſſe ſufficiat: reliqua auido lectori committimus, cui & has faces ſuggerimus, vt ad hunc theſaurum feſtinus properet. Cæterum, vt diximus, ne tantus theſaurus ſub modio occultatus latitaret, eiúſque Eccleſia priuaretur diuitijs, hunc eundem ab hæreſeos ærugine excolatum in poſterum concionatoribus catholicis euoluen-

dum tradidit. Quem quum mihi deuoto animo obtuliſſent aliquot ex familiaribus meis amicis perluſtrandum atque recognoſcendum, an mihi vſui eſſe poſſet ad ſyncerius gratioſiúſque declamandum dei verbum (cui ſemper deuoti fuere & ſunt) móxque ego paginas aliquot attenta ſedulâque lectione reuoluendo, operis cùm eruditionem tum pietatem quaſi in ſpeculo luce clarius conſpexiſſem contemplatúſque eſſem, non potui non idipſum commendare, tam acri ingenio, ſagacique induſtria terſum atque emendatum, vtpote ex quo plures anteà certam peſtem atque internecionem ſibi hauſerant, iam ex eodem incolumitatem, præſtantiſſimáque animæ pharmaca depromere liceret. Hac nimirum commendatione quaſi ſtimulis agitati, primo ſtatim colloquio veluti hoc ipſum etiam prius meditati, rogare, hortari, atque inſtare cœperunt, quatenus vellem eas Tabulas omiſſis lineamentis paraphraſticos tradere: nimirum hoc perſuaſum habentes permultos infimæ ſortis Eccleſiaſtas fore, qui aut tantam non haberent nummorum copiam, vt Tabulas illas priores (quæ pluris æquo conſtant) ſibi comparare poſſent, aut tam perſpicacis ingenij non eſſent, vt ex eis aliquam ſermonis eutaxiam ad rudioris plebeculæ inſtructionem formare valerent. At ego minimè exſpectans vnquam mihi rem fore cum hoc ſcripti genere, protinus excuſare cœpi multa, affirmans plus ſatis audax eſſe facinus, & periculoſæ (quod aiunt) aleæ, hoc ſcilicet tentare, quod vix auderent literatiſſimi quique præſumere, cúmque plurimis argumentis deprecarer delatam prouinciam, mihique viderer habere excuſationis cauſſam rationabilem, ſtatim ex improuiſo quidam typographi, ciues Lutetiæ honeſtiſſimi & viri planè in re literaria iuuanda ac promouenda non infimi, varijs ſuis literis me vrſerunt, atque improbis quodammodo precibus perpulerunt, vt hoc ipſum, quod amicorum eruditorum conſenſus

ſenſus

ſenſus à me elaboratum voluit, tentarem aggredi: nec auſus ſum diutius tantorum virorum reluctari conſilijs ac inſtigationibus, quin pro ingenioli mei capacitate operi oblato admolirer manum paraphraſticè, ſeu mauis oratoriè explanando, non quòd æſtimet quis hoc meum fuiſſe inſtitutum, vt falcem (quod aiunt) in alienam meſſem mitterem, aut cornicum oculos, iuxta aliud prouerbium, configerem, quódque eruditiſſimis concionibus & per ſe ſatis commendatis meo rudiori ſtylo, aliquid luminis aut ſplendoris acceſſurum putarem: ſed & amicis, (quibus nihil, etiam ſi rei difficiliori me adſtrinxiſſent, negare debui) morem gererem, necnon piorum prædicantium vigilias & ſudores aliquo pacto præuenirem, eorúmque craſſis inſeruirem ingenijs: vt ſic, inquam, mox in promptu haberent, quod longiori cùm temporis tum ſtudiorum ſacrorum protractu, non ſine magnis ſudoribus ex tabulis deberent coadunare atque colligere. Cuius quoque gratia, latini ſermonis diſquiſita à nobis cauetur fragrantia, quum non linguam humana ſapientia, ſed animam virtutibus ſermo diuinus requirat ornatam. Iam præter alias, quæ cauſſa præcipuè cùm me tum viros præfatos Chriſtianæ pietatis prouectum iuuare grauiter ſtudentes, permouerit, vt id operis conſcriberetur, ſupra partim teſtati ſumus: ad aliud venio. In publicum conſulere noſter omnis deſudat labor, eorúmque maximè iuuare ſtudia, qui ſacrarum literarum amore tenentur. Vt ergo hic meus priuatim labor impenſus, alijs quoque prodeſſet, Tabulas has in Euangelia & Epiſtolas, quæ per totum annum diebus dominicis recitari ſolent, non modò paraphraſticè aut oratoriè, ſed etiam multis in locis vbi conciſiores videbantur, tam ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, quàm S. Patrum ſententijs locupletiores ſedulò quod in me fuit reddere curaui: ratus, quibus prior noſtri Auctoris fœtus non diſplicuiſſet, fieri non poſſe quin idem prægnantior

pauſò, aliáque phraſi maiori cura editus, magis eſſet placiturus. Nec opinionem noſtram, ſpero, fallet euentus. At vbi primus ego humilem quidem hanc, ſed neutiquam reor inutilem, orſus eſſem prouinciam, cúmque in primo aggreſſu inter manus verſaretur opus, tam ingenti animum meum affecit delectatione, vt non labor, ſed voluptas potius videretur, quapropter quàm veriſſimè potui omnia tradidi, & maximè qua meliori via, aut medio vero, origini aliqua adderem, aut potius dilatarem eundem curaui, ſic tamen, vt ipſius Auctor ſua laude non fraudaretur: quod neutiquam facile fuit, quando hoc naſutiſſimum ſeculum omnia ad amuſſim perluſtret, non vt diſcat, ſed potius vt carpat peruertátque. Clam me quoque non eſt, quàm multi ſint futuri rerum iniqui æſtimatores, qui laborem hunc noſtrum tanquam ſuperfluum parum probaturi ſunt, qui induſtriam noſtram fortaſſè temeritatem appellabunt, quòd ego ſolus idiota, aut verius (vt prouerbium habet) anſer inter olores ſtrepere, aut indoctus inter ſophos ſcribere auſus ſim ea, quæ nemo ante me particulatim tentarat: & quæ verſatiſſimus ille Theologus Laurentius, & morum ſynceritate, & eruditione in primis excultus, literarum monimentis adeò lucidè prodidit, ea repetierim, præſertim cùm nihil noui adferam, nec arte ſcribendi eum ſuperem: quos tamen rogo ne maleuolè in famam noſtram coniurent. Nihil enim feci, quod ab alijs etiam factum non eſſet: quin bonorum vſus ſum exemplo & conſilio. Nam ſi quæ ab alijs ſcripta ſunt, ſcribi poſtea non poſſent, illis quoque careremus quibus adeò delectatur Eccleſia, Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, Bernardo, Venerabili Beda, & alijs grauiſſimis auctoribus, qui poſteriores ſuperioribus ſuis fuerunt, & ab illis accepta & communicata ſcripſerunt. Neque de arte ſcribendi cum Auctore noſtro, conſilio & lingua potentiſſimo contendere volui: ſed hoc etiam inſtitui,

inſtitui, vt teſtimonium proderem, quod cùm foris eſſem, quippe procul à Theologica palæſtra ablegatus, nec docentes daretur audire Theologos quibuſcum agerem, quotidie cum illis anteſignanis noſtræ fidei (quamuis inuitis magiſtris) de re Theologica conferrem, atque meipſum quotidiano exercitio præcipuè dedicare Chriſti verbis aſſueſcam. Qua de cauſſa nemo quiſpiam exiſtimet quòd obſtare voluerim alijs, quicunque literis inſtructi fœlicius, in hoc genere melius quid præſtare poßint, quo minus tentent, quod ego facere ſum auſus: immò hortor eruditiores, contendat aliquis noſtrum laborem ſuperuacaneum & otioſum reddere. Non ſum ego, itidem fateor, adeò ritè in ordine pleriſque in locis genuinam phraſim ſecutus, præcipuè quando hoc ratio ipſa exigere viſa eſt: ob id tamen nihilominus veritati hæſi, neque latum vnguem, quod mihi conſtat, à vero ſenſu diſceßi. Quòd ſi verò quippiam in hoc opere deſiderabitur, nemini mirum ſit, quando multa non modò vetera, ſed noua hoc noſtro labore præſtantiora à multis ſint ædita, ac in lucem promulgata. Vnde, nec dubito, quicunque poſt hac idem ingredietur iter, quia ego primus ſtadium cucurri, is fortaſſe noſtra veſtigia non modò ſequi, ſed longè anteuertere non grauabitur. Adiunxi præterea cuique etiam Euangelio & Epiſtolæ ſuam Anacephalæoſim, quam vulgo epilogum dicimus, quo valeat doctus diuinæ mentis interpres ſermonem ſuum, quem paulò latius atque diffuſius apud plebem dixit, paucis conſtringere, atque ad vnum compendium redigere. Impendi ad hæc eandem operam & induſtriam in Euangelia & Epiſtolas, quæ feſtis Sanctorum diebus leguntur: quæ etiam ſuo tempore ex dictorum virorum officina in communem vtilitatem ſuppeditabuntur: Tandem vt orationi noſtræ colophonem addamus, non mihi viſus ſum has qualeſcunque noſtras lucubrationes, in quibus verus ac genuinus Euan-

geliorum & Epiſtolarum intellectus continetur, vllis congruentius conſecraturus, quàm Eccleſiæ catholica Eccleſiaſtis omnibus, vt Euangelica philoſophia ſynceriter per viros euangelico ſpiritu plenos vbique prædicata, ſic colluſtret ac penetret omnes auditorum animi venas, vt eiectis malorum ſeminibus ſanos ac puros reſtituat Ieſu Chriſto. Accipe igitur, optime lector, hilari vultu hunc noſtrum laborem, eóque ea frontis ſeueritate perfruitor qua tibi vtilior accommodiórque placere videbitur, & boni conſule etiam quod feci, meóque labori pro tuo candore fauere ne, quæſo, deſiſte.

Vale proſperè. Datum Lutetiæ anno 1565.

IN PRIOREM PARTEM SERMONVM DOMINICALIVM, CVM SVIS FErijs, index alphabeticus, in quo numerus aut priorem folij paginam indicabit aut poſteriorem.

A.

A Somno ſurgere, quid pag. 2
Abba pater cur repetitum. 44
Abraham aſinis tantum vectus. 158
Abraham vidit diem Chriſti. 149
Abſtinendum à fornicatione & immunditia. 127. ab omni auaritia. ibidem
Admirari opera Dei, noſtrum eſt. 46
Admiratio parentum Ieſu. ibidem
Adoleſcentia Chriſti omnibus pueris ſpeculum & exemplar. 60
Adoptio alia diuina, alia humana. 45
Adoptio filiorum Dei nobis perquam neceſſaria. 44
Aduentus ad iudicium certus, ſed hora incerta. 15
Aduentus domini quadruplex. 4
Adulter eſt in ſua vxore amator ardentior. 120
Adulterantes verbum Dei. 101
Affectus concupiſcentiæ fugiendus. 119
Afflictione ſuos Deus conſolatur. 78
Afflictiones fidelium clementiſſimo deo maximè ſunt curæ. 137
Affligi ſuos cur permittat Deus. 77
Affligi ſuos in nocte tribulationis deus permittit. 176
Aliæ oues, gentes incircunciſæ. 194
Amans redamandus. 262
Ambitio diſſidium conflat inter homines. 172
Ambulare in lumine. 49
Amen in concluſione orationis dominicæ quid ſignet. 224
Amicus de via, quis. 225
Amicus verus non iucunda, ſed vtilia loquitur. 207
Amor noſter in Chriſtum, cauſa eſt amoris patris in nos. 220
Amoris noſtri erga Deum officium & effectus. 248
Amore ſui nihil difficilius vincitur. 275
Anabaptiſtarum hæreſis. 273
Anabaptiſtæ Donato hæretico deteriores. 281
Anabaptiſtarum gloriatio falſa. 197
Angeli ſpecies in reſurrectione dominica quid denotarit. 162
Angeli in miniſteriũ noſtrum creati. 31
Anima hominis quaſi nauis multis malis obnoxia. 79
Animæ mors ſummè formidanda. 148
Annæ teſtimoniũ de puero Ieſu. 47
Annus quinquageſimus apud Iudæos iubileus, apud Chriſtianos annus gratiæ. 245
Antonius eremita philoſophos cepit. 157
Apologia Chriſti à diuina virtute. 131. à proprijs Iudæorum exemplis. ibidem
Apparitio Chriſti ad mare Tiberiadis. 175
Apparitiones Chriſti poſt reſurrectionem. 165
Apoſtoli per fidem in Chriſtum, omnium creaturarum domini. 233
Apoſtolorum officium. 240
Apoſtolorum opinio de regno Chriſti falſa. 207
Aqua cur regenerationi noſtræ adhibeatur. 284
Arma diaboli contra famulos Dei. 116
Arma & indumenta Chriſtianorum. 113
Arma lucis induere, quid ſit. 2
Armatus fortis debellatus. 132
Armatura omnibus Chriſtianis datur contra omnes ſatanicas tentationes, & contra parentes cum obſtant pietati. 59
Articulus de iudicio futuro confirmatur. 13
Articulus reſurrectionis Chriſti confirmatus. 163. 165. 170
Articulus aſcenſionis & noſtræ reſurrectionis confirmatur. 235
in Articulo mortis grauiſſimè tentatur fides. 125

Aſcen-

Aſcendendum cum Chriſto non per fidem ſolam, ſed per charitatem. 235
Aſcendendum per Chriſtum velut per ſcalam. 287
Aſcenſionis Chriſti cauſa. 206
Aſcenſionis Chriſti conſideratio. 233.24
Aſina Balaam. 158
Aſina & pullus ſuper quos ſedit Ieſus. 6
Aſinarij vocati Chriſtiani ab impijs in primitiua eccleſia. 157
Aſinus in ſcriptura multa habet laudis teſtimonia. ibidem
Aſini Chriſti. 156
Auditoris boni officia. 21. merces. 22
Auditores & ſectatores Chriſti quales. 253
Auditores vani comparati viro conſideranti ſe in ſpeculo. 213
Auditores verbi dei qui. ibidem

B.

Baptizati quomodo inſtituendi. 231
Baptiſmatis Ioannis & Chriſti differentia. 27
Baptiſmus graphicè exprimit myſterium trinitatis. 288
Baptiſmi conſideratio. 279. & dein.
Baptiſmus neceſſarius ad ſalutem. ibidem
Beatitudo noſtra, non videre, ſed credere. 187
Benedicere inimicis an ſit præceptum. 63
Benedictio dei fortunat quicquid ex fide agimus. 177
Benedictio Simeonis. 46
Beneficio accepto malus homo ſit peior. 147
Beneficia quomodo in proximum conferenda. 237
Beel-zebub idolum Philiſtinorum. 130
Bonæ voluntatis notæ. 30
Bonitas Dei mira. 249
Bonus paſtor Chriſtus boni paſtoris officium docet. 195
Boni paſtoris encomium Chriſto competit. 194
Boni paſtoris officium. 286
Boni eſſe debemus non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. 69
Bonorum paſtorũ merces, vita æterna. 192. malorum, mors æterna. ibidem
Bonum animi à Deo proficiſcitur. 204
Bona omnia à ſancta triade tanquam ab vberrimo fonte profluunt. 272
Bonorum petendorum differentia. 226
Bonorum ſors in hoc mundo. 201
Bonorum tria genera. 226

C.

Calamitates publicas vt ab ſe amoliri tentet Eccleſia catholica. 228
Caluinus, vide hæretici.
Caluini error confutatus. 202
Caluiniſtæ confuſi. 160
Cantilenæ obſcœnæ damnantur. 83
Caput diaboli contritum eſt, etſi cauda adhuc ſæuiat. 256
Carnalis homo nihil niſi carnalia cogitat. 147
Carnalia ſpiritualibus multò inferiora ſunt. 134
Carnalibus deſiderijs abſtinendum propter duas cauſas. 195
Caro & ratio humana ſolum præſentia & corporalia ſpectat. 137
Cauſæ ſalutis iuſtorum, & condemnationis malorum. 14
Centurio non ſola fide, feruo obtinuit incolumitatem. 72
Charitas Dei ineffabilis erga genus humanum in filij ſui miſſione oſtenditur. 257
Charitas Chriſtianorum exemplo Chriſti perſonas aut nationes excludere non debet. 11
Charitas efficit nos filios Dei. 105
Charitas exercenda in vſu quotidiano. 1
Charitas extendit ſe ad Deum & proximum. 105
Charitas facit hominem verè Chriſtianum. 112
Charitas in hac vita incipit, in alia perpetuò duratura. 105
Charitas nos facit Deo placere. 55
Charitatis dignitas. 103
Charitatis exemplum in Chriſto. 67
Charitatis opera omnibus fidelibus præſtanda. 10
Charitatis præceptum omnes obſtringit. 76
Charitatis ſublimitas. 105
Charitatem Deo pro ſuis in nos beneficijs debemus. 127

Chri-

Chriſtus à Deo patre propter ſua merita in ſummam ſublimitatem exaltatus. 154
Chriſtus ab omni peccato immunis. 151
Chriſtus adeſt de ſe loquentibus. 165
Chriſtus benignus in peccatores. 186
Chriſtus cur circumciſus. 39
Chriſtus cur ductus à ſpiritu in deſertum. 114
Chriſtus cur duobus diſcipulis apparuerit in via. 165
Chriſtus cur imitandus. 189
Chriſtus cur in mundum venerit. 37
Chriſtus cur tanta pertulerit. 189
Chriſtus dominus cæli, patronus terræ, &c. 78
Chriſtus duodennis conſuetudinem diei feſti obſeruat. 58
Chriſtus ex ſcripturis quærendus. 20
Chriſtus in hac vita peregrinus, ſicut & omnes nos. 166
Chriſtus ipſiſſimus Dei filius. 148
Chriſtus lumen. 48
Chriſtus niſi nos tetigiſſet, non fuiſſet ſana omnis caro. 71
Chriſtus non induitur per ſolius fidei apprehenſionem. 84
Chriſtus non ita reliquit mundum, vt iam non ſit in mundo, vt ſacramentarij fingunt. 221
Chriſtus noſter liberator. 42. & quomodo. 43
Chriſtus ob tres cauſas ſuam paſſionem prædixit. 107
Chriſtus omnium virtutum exemplar. 64
Chriſtus omnibus exemplum. 190
Chriſtus paſtoris boni exemplum. 190
Chriſtus paterfamiliâs. 85
Chriſtus erga nos patris dilectionem nobis verbis & operibus reuelauit. 259
Chriſtus quàm promptus ſit ad curandas omnes noſtras ægritudines. 71
Chriſtus quando tentatus, & à quo. 114
Chriſtus quare apparuit. 36
Chriſtus quid nobis ſua reſurrectione promeruerit. 43
Chriſtus quid ſit, quò nobis profuerit. 288
Chriſtus quo corpore reſurrexerit. 162
Chriſtus quibus apparuit. 36
Chriſtus quomodo apparuit. 36
Chriſtus quomodo induitur. 2
Chriſtus quomodo venturus ſit ad iudicium. 14
Chriſtus ſemper eſt. 150
Chriſtus ſemper medium tenuit. 183
Chriſtus verus Deus & homo tribus teſtimonijs probatur. 181
Chriſtus verus Meſſias à prophetis prædictus oſtenditur. 72
Chriſtus ſe verum Deum & verum hominem declarat. 170
Chriſti abitus quàm neceſſarius. 208
Chriſti abſcondere & exire, quid. 150
Chriſti actio, noſtra inſtructio. 117
Chriſti doctrina. 140
Chriſti exempla tria. 152
Chriſti humanitas & liberalitas erga miſeros. 109
Chriſti imago aſininis auriculis depicta. 157
Chriſti imitatio qualiter facienda. 156
Chriſti nomen quàm efficax. 216
Chriſti perſona deſcribitur. 30
Chriſti vitæ ſumma, breui epilogo recenſetur. 167
Chriſti verborum myſterium Iudæi non intelligunt. 149
Chriſtum ſeſſorem tanquam aſini recipere debemus, vt Ieruſalem ingrediamur. 157
Chriſtiani à mundi operibus abſtinere debent. 56
Chriſtiani, oues Chriſti. 192
Chriſtiano nihil magis neceſſarium, quàm audire verbum Dei. 102
Chriſtiani veri, qui. 270
Chriſtianorum conſtantia, quæ debeat eſſe. 24
Chriſtianorum eſt ad ſummam perfectionem tendere. 90
Chriſtianorum eſt malis operibus renuntiare, & bonis intendere. 160
Chriſtianorum eſt offerre rationabiles & viuas hoſtias, & non mortuas. 15
Chriſtianis in quibus licet gloriari. 99
Chriſtianiſmus à baptiſmo incipiendus. 279
Chriſtianiſmi progreſſus. 174
Cibum cur ſumpſerit Chriſtus poſt reſurrectionem. 174
Circunciſio cur octauo die fiebat. 40
Circunciſio, fœderis vel pacti ſignum,

gnum, non fœdus vel pactum. 280
Circuncifio ſignaculum fidei. 280
Circuncifio ſpiritualis. 41
Circuncifio vbi mandata in ſcripturis. 38. quid ſit, ibidem. duplex, ibidem. cur data ſit. 39 eius vſus. ibidem
Clementia & potentia Chriſti ex operibus eius diuinis deprehenditur. 130
Clementiæ Dei ſpecimen, cui omnia poſſibilia. 137
Comitas, quæ. 82
Commoda ex diſceſſu Chriſti ab apoſtolis accepta. 254
Concionatores officio Dei funguntur. 111
Compatiendi in proximis. 153
Concionatores quomodo populum inſtituere debeant. 169
Concordia & humilitate ſedes ſpiritui ſancto præparatur. 246
Concupiſcentia carnis voluntaria, peccatum: non inuoluntaria. 198
Condemnationis cauſa peccatorum tenebræ, & lucis contemptus. 260
Congregationi bonorũ deeſſe, quantum malum. 185
Confeſſio à Chriſto inſtituta. 184
Confeſſio auricularis neceſſaria. 185
Confeſsio gentium. 10
Cõfirmatio Euangelij per ſigna. 236
Coniugatis quid faciendum. 66
Conſcientia bona pacem ſpiritualem parit. 171
Conſcientia vnde inquieta reddatur. 172
Conſolatio in cruce. 220
Conſolatio vnde expectanda. 203
Conſolationes & auxilia omnia à Deo petenda. 138
Conſperſio noua. 159
Contraria ſunt, dæmonium habere, & Deum honorificare. 146
Cõtumelia in Deum, pro verbo Dei vendere ſomnia & falſa. 174
Contumelia vir bonus fit melior, beneficio accepto malus peior. 147
Conuentio Dei cum Iudæis. 93
Conuerſatio vera inter gentes, quæ. 196
Conuerſatio vera Chriſtianorum in quo. 272
Conuerſationis priſcæ habitacula relinquenda ad Chriſti eccleſiam properantibus. 122
Conuiuia honeſta in nuptijs & alijs temporibus licita. 67
Corpus Chriſti moriturum, & glorificatum. 183
Corpus glorificatum clauſis ianuis intrare poteſt. ibidem
Credere Chriſtum, vita æterna: non credere, certiſsima damnatio. 259
Credens, verbumq́ue Chriſti obſeruans, templum patris & filij, & ſpiritus ſancti. 248
Credulorum vtilitas. 231
incredulorum pœna. 232
Crux Chriſti, quæ. 199
Crux omnium credentium. 200
Crucis tria genera. 199
Crudelitas nõ eſt in magiſtratu hæreticos puniente, ſed zelus pietatis. 160
Cultro lapideo cur facta circuncifio. 39
Cultum Deo verum præſtare, quid ſit. 214
Cur diabolo tanta poteſtas ſæuiendi in Chriſtum data. 256
Curandum ne diabolus quicquam in nobis habeat. 255
Curam ſuorum Chriſtus libenter ſuſcipit, modò ipſi fidant. 139
Curator & paſtor animarum Chriſtus. 190
Cuſtodes ſepulchri Chriſti conſternati, conſternandos etiam hæreticos ſignant. 162

D.

Damnato diabolo adhærentes, meritò damnandi. 209
Debitum duplex. 73
Deſideria ſancta dilatione creſcunt. 122
Deſiderium audiendi de Chriſto ſignum filiorum Dei. 168
Deus à nobis rogari vult, vt reſtemur ipſum omnibus fontem eſſe. 218
Deus cur aliquando ſubtrahat quod homines amant. 207
Deus cur ſuos ſinat affligi. 77
Deus pacis dator, diabolus diſſenſionis auctor. 273
Deus etſi differat interdum opem, non eſt deſperandum, ſed clamandum. 79
Deus hoſpes magnificus. 249
Deus multifariam patribus locutus eſt. 29
Deus per Chriſtum nobis factus eſt pater, & precum exauditor. 217
Deus quare nonnunquam difficulter exaudit. 226
Deus terribilis & blandus. 164
Dei ſunt verba & ſigna. 30

Dextra

Dextra & ſiniſtra. 113.& 176
Diabolus in medio malorum verſatur. 165
Diabolus quare ius ſuum quod habuit in homines, perdidit. 256
Dies, diuina conſolatio. 176
Diaboli aſtutia & cautela. 87
Diaboli malitia ex operibus diabolicis intelligitur. 129
Dignitas Chriſtianorum, ſine timore interpellare patrem. 222
Dignitatum aut officiorum titulos nemo ſibi falsò vſurpet. 26
Dilectio. 83
Dilectio, caput omnium legum, forma virtutum, &c. 75
Dilectionis præmium. 249
Diſcipulorum Chriſti imbecillitas. 209
Diſpenſatores fideles non debent deterreri ab executione ſui officij inſania mundi. 18
Diſputatio Nicodemi & Chriſti. 276.277.
Diſſimilia duo in baptiſmo coniunguntur. 280
Diuerſis medijs ad Chriſtum venitur. 177
Diuinitatis apertum iudicium cogitationum noſſe ſecreta. 221
Diuitiæ ſuffocant verbum Dei. 100
Doctoris eſt ſuæ doctrinæ rationem reddere. 283
Doctrina Chriſtianis oportuniſſima. 202
Doctrinæ totius Chriſtianæ ſumma. 278
Dogmata Chriſtianis neceſſaria. 128
Dominis etiam malis inſeruiendum propter Chriſtum. 197
Dona à deo data non ſunt abutenda. 158
Dona ad eccleſiaſticũ regimen pertinentia. 61
Dona dei nõ noſtris meritis ſed per diuinam gratiam data. 203
Dona gentilium pulchra & præclara. ibidem
Dona omnia nullius pretij ſunt, ſi non per charitatem perfecta fuerint. 104
Donorum differentia ex dei ordinatione. 61
Dormitio prælatorum eccleſiæ. 86
in Dubijs & ſcrupulis ad Chriſtum recurrendum. 276
Duo ad ſalutem neceſſaria. 158
Duo valde diſſimilia in baptiſmo iunguntur, aqua & ſpiritus. 280

E.

Ebrietas, omnium vitiorum mater & origo. 236
Eccleſia ab initio mundi eſt. 92
Eccleſia, aſylum refugij noſtri. 80
Eccleſia catholica, congregatio fidelium. 263
Eccleſia catholica ſola habet ſpiritum ſanctum. 190
Eccleſia non requirit amplius miracula. 235
Eccleſia ſuper quem fundata. 263
Eccleſia dum perſequitur floret. 79
Eccleſia propter ſcandalum deſerenda non eſt. 86
Eccleſia Romana, domus dei in terris. 16
Eccleſiæ officium eſt cognoſcere quę doctrina ſit falſa, & quæ vera. 88
Eccleſia varias habet functiones. 62
Eccleſiæ catholicæ veritas probatur. 210
Eccleſiæ nihil nocentius quàm falſi concionatoris venenata lingua. 213
Eccleſiæ Romanæ conſuetudo in dominica oratione canenda in ſolennibus ſacris. 225
Eccleſiam fidelium ſuas viciſſitudines habere, exemplo demonſtratur. 200
Electorum crux duplex. 242
Eleemoſynæ hæreticorum in pauperes vanæ. 105
in Emao facta per Chriſtum. 168
Epiſcopi temporalia bona poſsidere poſſunt. 17
Euangelium Chriſti diſcendum ab apoſtolis, non à pſeudoprophetis. 173
Euangelium complectitur abſoluere & ligare. 187
Euangelium in tribus hominum generibus perit. 101
Euangelium omnibus proponẽdum ſine perſonarum acceptione. 230
Euangelium non eſt prouerbiale vt lex. 221
Euangelium prædicandum ipſum, non nugæ. 229
Euangelium raro ſine fructu aliquo prædicatur. 101
Euãgelij profeſsio factis exprimenda. 214
Euangelij ſolida prædicatio, ſi vitia arguantur. 212
Excommunicationis ſententia iuſtè irrogata, non parua. 242
Excommunicatione quid prætendat ec-

dat eccleſia in peccatoribus. 89
Expectandum à Chriſto quid nobis ſit. 254
Exaltationis Chriſti exemplū. 154
Exempla Chriſtianis imitanda. 188
Exemplaria nos deus habet, vt quod facimus alijs, ipſe faciat nobis. 224
Exercitium fidei elicitum ex quatuor. 122
Expreſſum Dei verbum docet neminem temerè iudicandum. 19
Exprobratio Chriſti in diſcipulos, non ſine cauſa. 228
Exultatio gentium in Chriſto. 10

F.

Factores verbi,qui. 213
Facultates omnes in cibos pauperum diſtribuere quid ſit. 104
Famuli dominis obediant. 197
Felix hic & alibi eſſe nemo poteſt. 201
Felicitas ſumma & ſalus à ſanctæ trinitatis maieſtate. 171
Fermentum quid,& quotuplex. 159
Fermentum vetus,quid. 160
Fides, baculus ſenectutis firmiſſimus. 278
Fides,Dei donum. 108
Fides & agnitio Chriſti corda lætificant. 184
Fide & alijs virtutibus gratiam promeremur. 72
Fides & charitas diuerſa ratione legem implent. 74
Fidei exemplum in Maria. 67
Fides grauiſſimè tentatur in mortis articulo. 73
Fides in afflictionibus tentatur. 77
Fides informis & mortua, quæ per charitatem non operatur. 75
Fides inuocationē Dei excitat. 122
Fides iuſtificat,non opera ſola. 179
Fides licet donum ſit Dei,ex auditu percipitur. 121
Fides noſtra quomodo tentetur. 125
Fides nuda non iuſtificat, vt falsò aſſerunt hæretici. 125
Fides per charitatem in nobis accenditur. 169
Fides per crucem probatur. 187
Fides per verbum Dei & internam Spiritus operationem. 136
Fides ſanctiſsimæ trinitatis fundamentum præcipuum ſuper quod ædificandum. 274
Fides ſicut ſaluat,ita infidelitas certiſsimè damnat. 181
Fides ſine operibus, & opera ſine fide minimè ſaluant. 180
Fides ſtat cum peccato mortali. 121
Fides,verbi fideliſsimus cuſtos. 248
Fidei Chriſtianæ ſubſtantia. 180
Fidei veræ victoria de mundo,&c. ibidem
Fide ſola contenti eſſe non debent Chriſtiani. 213
Fideles caueant ſibi à vana garrulitate. 213
Fidelis quiſque ad patriam cæleſtem per oſtium Chriſtum intrat. 268
Fidelium gaudium & triſtitia. 218
Fiduciam pariunt benefacta piorum. 47
Figuræ de Chriſto, adimpletæ. 167
Filiatio Dei. 232
Filij Dei diſtinguuntur à filijs huius ſeculi. 201
Filiorum Dei, & filiorum diaboli diſcrimen. 145
Forma docendi & audiendi verbi Dei. 204
Forma orandi ac petendi à Chriſto Ieſu præſcripta. 228
Formam ſerui accipere,quid. 153
Fœdus Dei cum homine ter renouatum, & perfectius ſignum datum. 280
Fraus fugienda. 119
Fructus ex verbo Dei audito, qualis. 205
Fructus noui hominis. 82
Fructus veteris hominis. ibidem
Fur primus,diabolus. 269
Fures ſeu latrones ſunt triplices. 266

G.

Garrulitas quid. 214
Garrulitas vana fugienda fidelibus. 213
Gaudere in Domino, quid. 23
Gaudium fidelium quando plenum. 218
Gaudium haberi non poteſt ſine pace. 11
Gaudium noſtrum in cælo plenum, non in mundo. 278
Geniculationes & aliæ ceremoniæ Deo gratæ. 124
Gentes cur iubentur leuare oculos. 49
Gentes hortātur ad laudem Dei. 50
Gentium vocatio. 51
Gentilium mos laudatus. 52
Gentilibus perinde atque Chriſtianis prædicandum eſſe Euangelium. 10

Glorian-

Gloriandum in Domino. 97
Gloriatio duplex.
Gloriæ inanis aura ex benet ... is fu gienda. 71
Gradus reconciliationis noſtræ ſeptem. 258
Gratia diuina nos indignos reputare debemus. 124
Gratiæ deriuatio in nos deſignatur per vnguentum Aaronis. 234
Gratiæ indicium alienum non ſequi, ſed fugere ab eo. 267
Gratiarum actio neceſſaria ad ſalutem. 109

H.

Hæreſis negans hymnos & pſalmos in Eccleſia canendos, damnatur. 84
Hæreſes Græcorum & Arrij de Spiritu ſancto refelluntur. 240
Hæretici ab Eccleſia catholica longè alieni. 173
Hæretici nulla ratione ferendi. 89
Hæreticorum phalanges omnes argumento validiſsimo proſtratæ. 140
Hæretici non ſibi conſtant. 47
Hæretici puniendi ſunt. 160
Hæreticorum diuerſorũ peſtes confuſæ. 160
Hæreticorum errores confutati. 170
Hæreticorum & philoſophorum doctrina veram conſolationem non affert. 10
Hæreticorum eſt audaciter prophanare ſcripturas. 155
Hæreticorum doctrina inferni voces, ac mortis clamores. 173
Homo pius ritè comparatur oui, impius lupo. 270
Homo quomodo omnis creatura intelligatur. 130
Homines nihil ſunt aut valent extra charitatem. 103
Homines ſuis relinquunt temporalia, Chriſtus pacem. 257
Honeſtè ambulare, quid ſit. 2
Hora aduentus ad iudicium incerta. 15
Horreum Dei, regnum cælorum. 88
Hoſpitalitatis præmium. 169
Hoſtis noſter fortis admodum. 254
Humiliatio Chriſti propter nos. 159
Humilitatis Chriſti exemplo prouocamur ad veram animi humilitatem. ibidem
Humilitas duplex eſt. 215
Humilitatis Chriſti & charitatis admirandum exemplum cur Philippenſibus à Paulo propoſitum. 154
Hypocriſis religioſorum & clericorum damnatur. 84

I.

Ianua ouilis, Chriſtus. 263
Idiotæ Chriſtiani philoſophos ad fidem conuertentes. 157
Ieiunauit Chriſtus, vt noſtra ieiunia ſanctificaret. 118
Ieiunium Chriſtianum. 117
Ex Ieiunio arripuit diabolus Chriſtum tentandi occaſionem. ibid.
Ignis ſignificat æternam damnationem. 88
Ignorantiæ Apoſtolorum cauſa. 107
Imitari Chriſtum debemus, & in quibus. 188
Impietas nemini parcit, vt ſeipſam defendat. 148
Impiorum conditiones quæ. 262
Improbitas ſeu importunitas perſeuerantiæ non eſt Deo ingrata. 226
In baptiſmo quæ conſideranda. 230
In forma dei eſſe, quid. 153
In nomine Chriſti petẽdum in tempore acceptabili. 220
In nomine Ieſu orandum. 216
In veritate orare quid ſit. 215
Increpatione digni in Eccleſia. 229
Induere nouum hominem quid ſit. 83
Infidelitas damnat. 181
Infidelitas Thomæ quid nobis profuit. 186
Ingratitudo & contemptus penes quos ſit. 46
Inimicus, Satan. 86
Inimicis benefaciendum, & quare. 69
Innocentiam Chriſti, etiam aduerſarij noſtri confeſsi ſunt. 255
Intemperantia maximè impedit orationes fidelium. 236
Interpretatus eſt ſcripturas Chriſtus in Eccleſia catholica. 174
Interrogat Chriſtus, vt inſtruat. 166
Interrogatio Iudæorum captioſa in tribus. 25
Intrare per Chriſtum quid. 268
Inuiſibilia ex viſibilibus creduntur. 254
Ioannis & Chriſti differentia quo ad extra. 27
Ioannis officium ex Eſaia. 27
Ioannis vocatio. 27

Ira hominem excæcat. 81
Iræ non reſiſtendum. 151
Iracundi animi indicium. 146
[illegible] remiſsibile peccatum. 133
[illegible]udæorum aſſertio, circunciſione non poſſe immutari, falſa. 280
Iudæorum cæcitas notatur. 28
Iudæorũ crudelitas timori fuit Apoſto. Chriſti. 183
Iudæorum peruerſitas vnde deprehenditur. 130
Iudæorum indignatio in Ioannem. 27
Iudæis peculiariter miſſus Chriſtus, non gentibus. 123
apud Iudæos Chriſti tẽporibus nec obſeruatio legis, nec cura pauperum fuit. 108
Iudaicus populus vnde in tantam impietatem perductus. 286
Iudicare quemquam non licet ſine expreſſo Dei verbo. 19
Iudicia Dei inſcrutabilia. 271
Iuramentũ Chriſti quò ſpectet. 216
Iuſtificationis ſuæ nemo certus eſt. 19

L.

Laborandum quomodo ſit. 176
Laborantibus cur apparuerit Chriſtus. ibidem
Laborantium præmium, vita æterna. 96
Labor noſter inanis ſine Chriſto. 175
Laboris noſtri fructus non nobis, ſed Deo adſcribendus. 177
Læſo non eſt licitum viciſsim lædere. 68
Lætitia Apoſtolorum Chriſti poſt reſurrectionem. 199
Laicos non eſſe aptos myſterijs omnibus diuinis percipiendis hæreticorum error. 210
Lapis angularis, Chriſtus. 194
Lex non eſt data in præiudiciũ charitatis. 74
Lex per ſe neminem iuſtificare poteſt. 75
Legis & Euangelij diſcrimen explicatur. 135
Libertas Chriſtiana non præiudicat obedientiæ ſuperiorum. 198
Lingua, optimus homini theſaurus, ſi ea bene vtatur, &c. 213
Linguæ cur diſſectæ viſæ. 246
cur igneæ. ibidem
Linguarum cognitio Apoſtolicis viris neceſſaria. 247
Litania ſanctorum cur in Eccleſia canatur. 225
[illegible] nones Dei, quid. 37
[illegible] r non ſint amplexi homines [illegible] 261
Lucta Iacob cum angelo, perſeuerantis orationis typus eſt. 123
Lupus indicat quo animo quiſque in gregis cuſtodiam excubat. 191
Lupi duplices. 192
Lupi ſunt hæretici & tyranni. ibid.
Luporum & hæreticorum natura. 192
Luporum natura. 266
Lutheranorum & Caluini impietas. 273
Lutheranorũ falſa doctrina de non prædicando aliquo niſi de ſacra ſcriptura ſumpto. 238

M.

Magi impleuerunt vaticinium Iſaiæ, 50
Magi quales olim fuerint apud Perſas. 51
Magorum munera, quæ. 53
Magorum tentatio. 53. conſolatio. ibidem
Magiſtratus à deo inſtitutus. 197
Magiſtratus tenetur curare ne falſæ doctrinæ aut ſectæ ferantur. 88
Magiſtratus arguitur, quòd eorum incuria verbum Dei negligitur, &c. 101
Maieſtas Dei non inquirẽda, ſed tacitè adoranda. 271
Maledicentia. 81
Mali ſemper perſequuntur pios, & hæretici catholicos. 135
Malitia carnis & ſatanæ multum poſsit ſi gratia deſtituatur. 243
Manſuetudo Chriſti ex quibus colligitur. 4
Manſuetudo. 83
Mare mediterraneum. 49
Mare mundum ſignificat. 79
Maria virgo martyr fuit. 59
Mariæ crux. 27
Matrimoniũ quando inſtitutum. 65
Matronarum eſt coniuges ſui officij admonere. 67
Matthęus Hebraicè cõſcripſit euangelium. 8
Medium ſemper tenuit Chriſtus. 171
Mediator ac vnicus iuſtificator Chriſtus. 142
Mediator noſter Chriſtus. 171
Membra cur circuncidi præceperit deus. 39
Mendacium, vitium diabolicum. 82

Merce-

Mercenarius paſtor malus. 191
Merita humana an in orationibus locum habeant. 217
Meſsis, dies nouiſsimus. 88
meſſores. ibidem
Miniſterium apoſtolicum quibus in rebus conſiſtat. 17
Miniſterium duplex. 15
Miniſtri boni conditiones. 18
Miniſtros multiplices Chriſtus vocat. 155
Miraculis vſus fructuſque eſt confirmatio fidei Chriſtianæ. 138
Miraculo ſuo primo Chriſtus matrimonium commendauit. 65
Miracula quare in primitiua eccleſia apoſtolis conceſſa. 232
Miraculorum Chriſti vtilitas. 109
Miſericordia Chriſtiana. 82
Miſſæ ſacrificium offerre non poſſunt niſi ſoli ſacerdotes. 55
Miſsio diſcipulorũ Chriſti, & quomodo. 229
Modeſtia quid. 24. 82
Modicum non videre, & iterum modicum videre, quid. 199
Mors Chriſti, noſtra ſalus & vita. 189
Mors duplex, corporis, & animæ. 147
Mortuos peccatis, iuſtitiæ viuere, quid ſit. 189
Mundus quid. 179
Mundi malitia & cæcitas. 242
Mundo propter pios parcitur. ibid.
Mundum vincere, quid. 180
Murmurandum nõ eſt contra deum. 93
Myſterium duplex. 16

N.

Nationes ad fidem conuertẽdæ enumeratæ. 49
Natiuitatis carnalis & ſpiritualis diſcrimen. 285
Natiuitatis Chriſti locus. 33. tempus. 32. modus. 32. propalatio. 33
Natura & officium Dei. 121
Natura noſtra nec læta nec triſtia ferre poteſt. 239
Nauis ſignificat Eccleſiam. 79
Neceſsitas debet nos impellere ad inuocandum deum. 78
Neceſsitate nulla ad hoc adduci debemus, vt vnquam maligni pareamus tentationi. 116
Negotiatio inhoneſta ſemel relicta, non denuo repetenda. 175
Negotiatores iuſtè negotiationes exerceant. 116
Nemo poteſt ſine tribulatione ad gaudium cæleſte pertingere. 201
Nicodemi interrogatio qualis. 278
Nicodemi perſona qualis. 275
Nomen Chriſti ianua & ſcala per quas orationes noſtræ cælum aſcendunt & penetrant. 216
Nomen Dei per noſtram vitam fit inter homines glorioſum. 223
Nominis Ieſu encomium. 41 & 42
Nominis Ieſu origo, virtus, & efficacia. 40. huius nominis gratia martyres omnes occiſi. ibidem.
Nominis Ieſu virtus quàm efficax. 216
Nominibus pluribus deſcriptus Spiritus ſanctus. 251
Non credendi veriſſima ratio. 145
Nouus homo induendus. 82
Nox, teſtamentum vetus, dies, teſtamentum nouum. 1

O.

Obediendum magiſtratui. 196
Obedientia Chriſti erga parentes. 59
Obedientiæ fructus. 177
Obſcœna verba & ſtultiloquia vitanda, vt irritamenta impudicitiæ. 127
Obſequium obediens triplicium hominum erga Chriſtum. 5
Obſeruatio mandatorum Dei præſeruat à morte æterna, non ſola fides. 151
Oeconomi domus, Dei. 16
Offerre nos ipſos hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem, &c. quid ſit. 55
Officium Beelzebub. 132
Officia Chriſti duo. 36
Officium & ſtudium Chriſtianorum. 272
Officium fidei. 121
Omne bonum à Deo. 203
Omnem veritatem docet Spiritus ſanctus, non partem, vt ſeductores. 210
Opera bona ad omnes in Eccleſia Chriſtianos communiter ſpectantia. 62
Opera carnis fugienda ſunt fidelibus, & fructus ſpiritus ſancti amplectendi. 128
Opera Chriſtianis neceſſaria. 198
Opera internam iuſtitiã augent. 113
Opera neceſſaria ad ſalutem. 47
Opera tenebrarum abijcere, quid ſit. 2

Operum Chriſti & diaboli collatio. 130 & 131
Operum cõtemptores refutantur. 9
Operandum tribus de cauſis. 175
Operarij admittuntur in vineam, non fiduciarij. 95
Operarij per verbum Dei vocantur. 94
Orandi forma. 222
Oracula prophetarum de Chriſto, adimpleta. 187
Orandum ex fide. 108
Orandum non pro diuitijs & delicijs, ſed cibo quotidiano. 223
Orandum quomodo ſit. 215
Oratio dominica tres habet partes. 222
Orationis effectui [illegible]ceſſaria. 217
Oratio ex fide non poteſt non eſſe efficax. 215
Oratione & à malis elõgatione, procuranda ſpiritus ſancti dona. 247
Oratio leproſi efficax. 70
Origo prima natiuitatis noſtræ vitioſa. 204
Oſtium cur bis ſe nominet Chriſtus. 268
Oſtiarius quis. 263
Ouis, licet ſimplex agnoſcit Paſtoris vocem, lupi vocem horret, ſic fideлis. 267
Oues, Chriſtiani & fideles. 155
Oues diligenter à furibus & latronibus ſeruandæ. 265
Oues duplices. 192

P.

Palpari cur voluerit Chriſtus. 170
Panis doctrinæ in eccleſia catholica frangitur, non alibi. 138
Panis eſt Chriſtus: piſcis tribulatio. 178
Pacem duplicem ſuis Chriſtus reliquit. 252
Panes quales petendi. 226
Paracletus quid operaturus in apoſtolis. 244
Parentum negligentia in inſtituendis pueris ad auditum verbi dei, reprehenditur. 101
Paruulorum baptiſmum damnant Anabaptiſtæ. 282
Paſcha & Pentecoſte figuris præfiguratæ. 244
Paſcha quomodo celebrandum. 159
Paſcha quomodo & in quem finem Chriſtiani celebrare debent. ibid.
Paſſo Chriſti voluntaria. 107
Paſtor bonus quis. 190. non bonus. 191
Paſtoris boni officia. 20
Merces duplex. 21
Paſtor bonus per oſtium Chriſtum ad oues eccleſiæ intrat. 268
Paſtorum bonorũ conditiones. 265
Paſtor malus mercenarius. 191
Paſtor ouium Chriſtus. 264
is quid agat, ibidem per totum.
Paſtor verus quis. 264
Paſtorum eſt gregi inſeruire, ipſumque paſcere. 194
Paterfamilias vineæ. 93
Patrem vt deũ vocemus, ex benigna promiſsione eſt Chriſti. 225
Patrum eſt pro filijs vitijs infectis ad deum currere. 126
Patribus cur fuerit clauſa cæli porta. 283
Patientia. 83
Paulus gentilium teſtimonijs vſus, contra Lutherum. 238
Paulus gloriatur de ſex rebus. 98
Paulus officio Chriſti vtitur. 119
Pax Chriſti, omnis ſanctitatis fons. 253
Pax cum omnibus hominibus habenda. 172
Pax duplex. 171
Pax electorum in via multis tribulationibus permixta. 252
Pax & vnitas malorum contemnenda. 172
Pax habenda cum omnibus. 69
Pax mundi, quæ. 252
Pax quomodo conſiſtat & promoueatur. 83
Pacem internam ſuis imprecatur Chriſtus. 183
Peccatum procreat diſsidium cum deo. 172
Peccatum, opus diaboli. 255
Peccata quare dicuntur tenebræ. 260
Pentecoſte quid ſignificet. 245
Peregrini forma cur apparuerit Chriſtus diſcipulis in Emaum euntibus. 165
Perfectionem in hac vita vt conſequi quis poſsit. 273
Perſeuerantia. 83
Perſeuerantia in orando. 215
Perſeuerantiæ improbitas in oratione deo ingrata non eſt. 226
Perſona ſpiritus ſancti deſcribitur. 240
Petendum quid ſit à deo. 218
Petentes & non accipientes. 227
Petentes panem, & accipientes lapidem, qui. 227
Petitio noſtra à deo, debet vtilis eſſe. ibidem

Petitiones in oratione dominica ſeptem. 222
Phariſæi notantur. 195
Phariſæorum & Scribarum malitia in Chriſtum, tripliciter oſtenditur. 6
Phariſæorum malitia. 146
Philautia & arrogantia cauenda. 68
Philoſophi ab idiotis Chriſtianis conuerſi. 157
Pij interdum malum agunt, non tamen odiunt lucem. 261
Piorum cauſa parcitur mundo. 242
Piorum & impiorũ cõditiones pulchra ſimilitudine deſcriptæ. 261
Piſcis tribulationem ſignificat. 178
Plures condemnantur quàm ſaluantur. 102
Pœna contemnentium verbum Dei, eſt odium Dei. 250
Pompa qua Chriſtus Ieruſalem ingreſſus eſt, quid denotat. 7
Pontificatus vtriuſq; teſtamenti deſcribitur. 142
Pontificum & ſcribarum impietas. 52
Populus quomodo ſe geſſerit in ſpiritus ſancti aduentu. 246
Populus vt ſit à concionatoribus inſtituendus. 169
Potentia Dei non eſt alligata ſacramento. 279
Potentior, qui melior apud gentiles. 51
Poteſtas diſcipulis à Chriſto data. 184
Prædicatio pacis & euangelij exhilarat conſcientiam. 187
Prædicatoris munus atq; officium. 210
Prædicatoris officium. 239
Prædicatoris officium eſt auditores in virtutis montem aſſumere. 136
Prædicatorũ perſequutiones ac moleſtiæ. 135
Præeſſe, quid. 61
Præfatio eccleſiæ in canenda oratione dominica quid habeat myſterij. 225
Præmium fidei, orationis, & perſeuerantiæ. 115
Præmium credentium, & incredulorum pœna. 259
Princeps pacis Chriſtus. 186
Principium fidei, timor, humilitas & pœnitentia. 187
Priuata opinio cauſa eſt quare multi Chriſtum non intelligunt. 107
Promiſsio ampliſsima qua Chriſtus vniuerſæ eccleſiæ ſuam opem pollicitus eſt. 232
Promiſsio de intercesſione Chriſti. 221
Promiſsio veræ libertatis & ſecuritatis. 269
Promiſsiones ſuas deus externis ſignis confirmat. 91
Prophetia duplex. 61
Prophetis prædicta & figuris ſignata, &c. 167
Proximos ſuſcipere quomodo debeamus. 11
Pſalmos & hymnos in eccleſia canendos, &c. 84
Pſeudoapoſtoli imitantur ſatanam in deprauatione, &c. 115
Pſeudoapoſt. vaniloqui. 97
Pueri quare, &c. 176
Pulli & aſinæ myſterium in ingreſſu domini in Ieruſalem. 8

Q.

Quæſtio ſine ſolutione perſpicua nõ proponenda. 201
Quatuor ad orationem pertinentia. 24
Quinque hominum genera verſantium in eccleſia. 157
Quomodo nos gerere debeamus erga proximos. 24
Quomodo nos gerere debeamus erga deum. 23
erga noſipſos. 24

R.

Racemus vuarum, Chriſtus. 6
Radix Ieſſe. 10
Ratio humana in rebus diuinis deficit. 279
Reconciliationis noſtræ gradus ſeptem. 150
Regenerari per aquam cur nos voluerit Chriſtus. 281
Regeneratio noua baptiſmi à Deo proficiſcitur. 204
Regeneratio omnino nobis neceſſaria. 284
Regis Poloniæ inſigne fidei exemplum. 26
Regnum Chriſti non eſt mundanum, ſed ſpirituale. 173
Regnum Dei non opibus aut ſatellitio, ſed varijs conſtat virtutibus. 223
Regula Chriſti ſemper tenenda. 87
Religio & libertas Chriſtiana non tollunt obedientiam ſuperiorum. 198
Religio munda & immaculata quæ. 214

Religionis veræ ſumma. 215
Renaſcentia vbi fiat. 277. per quem & quando, ibid. quare fiat. ibid.
Renatus nobilis creatura effectus. 285
Renatus quis. 282
Reſurrectionis Chriſti fructus. 163
Reſurrectionis Chriſti hiſtoria. 161
Reſurrectionis Chriſti vſus Chriſtianis. 163
Reſurrectione ſua quid nobis promeruerit Chriſtus. 43
Romana eccleſia domus dei in terris. 16
Romana Eccleſia ſpiritum ſanctum habet. 232
Romanæ Eccleſiæ aduerſantes myſterium diaboli operantur. 16

S.

Sacerdotum dignitas, diuina. 185
Sacerdotibus ex iure diuino obediendum. 71
Sacerdotij differentia. 56
Sacramētum matrimonij opus Dei. 85
Sacrarum literarum lectio quibus permittenda, quibus non. 210
Sacrificium quale poſſunt offerre Chriſtiani. 55
Saducæi confutati reſurrectionem negantes. 160
Salus in horto amiſſa, in horto iterum reperta. 161
Salus noſtra magna de Chriſto ſentire, & omnia ab ipſo expectare. 211
In Salutis re non procraſtinandum, ſed fugiendum de Babylonia. 177
Saluti neceſſaria duo. 156
Sancti quomodo orauerint. 219
Sanctorum litania quo fine inſtituta in Eccleſia. 224
Sanctificatio decet cōiugatos, immunditia dedecet. 120
Sanguis Chriſti quomodo peccata emundat. 181
Sanguis hircorum & arietum nō iuſtificat, ſed ſanguis Chriſti. 143
Satan cupit conuerſari ſemper inter filios Dei. 87
Satanæ myſterium. 16
Scopus Chriſtianorum gloria Dei, & publica vtilitas. 238
Scripturæ à diabolo deprauantur. 115
Scripturæ ſacræ vis & vſus. 168
Scripturæ ſacræ vtilitas. 9
Scripturarū explicatio antiquis patribus à ſpiritu ſancto infuſa. 212
Securi in hoc mundo eſſe non permittimur. 79
Semen, verbum Dei. 87
Seminum genera quatuor. 58
Semper in domino gaudere, quid. 23
Semper orandum docet Chriſtus. 228
Senatus poteſt in hæreticos animaduertere. 160
Senſus myſticus non eſt contemnendus. 109
Sermo Chriſti, doctrina Dei eſt. 250
Sermones Dei ſeruare, quid. 148
Serpens æneus, typus Chriſti crucifixi. 287
Serui patrisfamilias. 88
Seruitus Dei in omnibus vitæ humanæ officijs. 62
Signum contradictionis Chriſtus. 46
Signa Chriſtianorum qualia debeant eſſe. 232
Signa duplicia diem extremum adeſſe teſtantia, cæleſtia & terreſtria. 13
Silentium reſurrectionis Chriſti, ſacerdotum principes à cuſtodibus redimunt. 163
Simile de charitate. 104
Simile ductum à medico ad Chriſtum. 147
Simile non inelegans. 272
Simile quo probatur iræ non reſiſtendum. 151
Similitudo. 246
Similitudo de baptiſmo. 278
Similitudo notatu digniſſima. 262
Singularis Chriſti erga nos dilectio. 31
Sine gratia nihil ſumus aut poſſumus. 274
Sobrietas, virtutum mater & origo. 236
Socordia prælatorum ac principum quanta mala pepererit quibuſdam terris. 87
Solicitudo Chriſti pro nobis. 203
Solicitudo parentum Chriſti erga eundem. 58
à Somno ſurgere, quid. 2
Sorte ſua quiſque ſit contentus. 57
Spiritus adminiſtratorij. 31
Spiritus bonus dei per regenerationem datur. 284
Spiritus defunctorum aliquādo apparent. 184
Spiritus ſanctus ad quos venerit. 246
Spiritus ſanctus etiamnum docet & conſolatur, &c. 251

Spiritus ſanctus nedum apoſtolos, ſed, &c. 257
Spiritus ſanctus non acquiritur viribus humanis. 208
Spiritus ſanctus, paracletus. 251
Spiritus ſanctus quando venerit. 244
Spiritus regenerationi cur adhibeatur. 281
Spiritus ſanctus vbi venerit, & quomodo venerit. 245 qua ſpecie venerit. ibidem
Spiritus teſtimonium de Chriſto. 182
Spiritus ſancti aduentus cur vſque poſt mortem Chriſti protractus. 207
Spiritus ſancti conſideratio. 210 & 211
Spiritus ſancti duo præcipua officia. 251
Spiritus ſancti officium quod. 239
Spiritus ſancti opus, arguere mundum. 208
Spiritum ſanctum vt conſequamur. 246
Stare Chriſti in littore, quid. 176
Succeſſionem ſuam hæretici docere non poſſunt. 140
Summa ſalutis grauibus verbis expoſita. 288
Summum ius, &c. 74
Super omnia diligendus Chriſtus. 247
Symbolum eccleſiæ pax. 187
Symbola & notæ Chriſtianorum, pax, vnitas, &c. 174

T.

Talis Chriſtus apparet, qualis, quiſque eſt. 179
Tarditas diſcipulorum in credendo obiurgata. 166
Tardus ſit homo ad loquendum, & ad iram. 205
Templum materiale, &c. 142
Tela præuiſa minus feriunt. 243
Tempus & locus natiuitatis Chriſti. 51
Tempus nouæ legis accendere nos debet ad, &c. 1
Temporalium ſubtractio, initium ſpiritualium. 208
Tentatio alia aliam, &c. 178
Tentatio Chriſti in deſerto. 114
Tentatio impedit, &c. 100
Tentationis ſpecies, &c. 116
Tentationes ad quid proſint. 99
Ter renouatum fœdus Dei cum homine. 280
Teſtamẽtum hominis vt morte confirmatur, ita & teſtamentum vitæ æternæ. 144
Teſtamentum vetus & nouum inter ſe conferuntur. 141
Teſtes in cælis de Chriſto qui. 181 in terra. ibidem
Thomæ incredulitatis vtilitas. 186
Timore mundano nihil difficilius vincitur. 275
Tituli egregij ſpiritus ſancti. 212
Tradere corpus vt ardeat, quid. 104
Tranſmutatio nulla apud deum. 204
Tribulatio ad cæleſte regnum peruenturis neceſſaria. 201
Tribus rebus occurrendum ſuggeſtionibus diaboli. 116
Trinitas diuinæ maieſtatis incomprehenſibilis. 271
Trinitas quomodo ad hominẽ pium venit. 249
Triſtandum non eſt in tentatione. 126
Triſtandum non eſt ſi peruerſi fugiant noſtra conſortia. 244
Triſtitia fidelium maxima, quæ. 218
Triſtitiæ apoſtolorum ratio. 207
Turbatio Herodis & Hieroſolymitarum. 52
Turpiloquentia. 81

V.

Vbi non eſt peccatum, ibi diabolus nullam habet poteſtatem. 255
Ventus & fluctus, tentationes ſignificant. 79
Ventus libera creatura. 285
Verbum Dei audire non ſufficit, niſi ad eius præſcriptum vitam inſtituamus. 102
Verbum Chriſti ſpernere, non leue peccatum. 250
Verbum Dei cur audiendum. 22
Verbum Dei non negligenter audiendum. 111
Verbum Dei, ſemen per quod fides illabitur cordibus auditorũ. 112
Verbi Dei potentia. 177
Verbi Dei potentia, quod contemptum facit filios Satanæ & perditionis: cuſtoditum, hæredes vitæ æternæ. 150
Verbi incarnatio. 34
Verbi miniſterium laudatũ ab Apoſtolo. 111
Verba Chriſti nõdum ſpiritu donatis parabolæ ſunt & ænigmata. 219
Veritas Iudæis facta eſt, gentibus miſericordia. 10

Veritas per ſe amabilis, vt lux ſanis oculis. 145
Veritatis agnitio. 119
Veritatem facere quid. 261
Veritatem omnem, &c. 210
Veſtigijs Chriſti, &c. 188
Vetus homo deponendus. 82
Via alia à prima nobis redeundum in patriam cæleſtem. 54
Via ſalutis nemini præcluſa. 247
Vias duas Chriſtus ambulauit, quas & nos tranſire oportet. 220
Viciſſitudo rerum apud homines. 204
Victui neceſſaria nunquam deerunt ambulanti in vocatione Dei. 178
Virtus nominis Ieſu facit vt miſericordiam conſequamur. 216
Virtutes in nouiſſimum diem parandæ. 13
Vita Chriſtiana, quaſi perpetua nauigatio. 79
Vita Chriſtiani hominis, aſſidua palæſtra. 116
Conſolationes in tentationum periculis. 117
Vita Chriſtianorum, militia eſt. 196
Vita æterna præmium ſtatutum laborantibus. 95
Vita piorum ac doctrina ſemper impiorum calumnijs patet. 146
Vitam nouam cõſequuntur credentes per Chriſti reſurrectionẽ. 162
Vitia tria grauiſſima impedientia ne vocati veniant. 94
Vitia cauenda. 15
Vna Eccleſia, & in ea ſaluamur. 194
Vnanimitas fidelium in tribus. 10
Vnitas Eccleſiæ catholicæ ſeruanda. ibidem
Vnus Deus in trinitate, & trinitas in vnitate. 278
Vocantur à Chriſto multiplices ſerui. 155 & dein.
Vocati ne veniant, impediuit tria grauiſſima vitia. 94
Vocatio gentium. 193
Vocationi ſuæ quiſque ſeruiat. 57
In Vocationem alienam non temerè irrumpendum. 56
Vocationem ſuam quiſque ſtrenuè obeat. 237
In Vocatione ſua quilibet vocatur ad ſanctificationem. 120
Vſus miraculi ac fructus qui ſit. 138
Vtilitas abitus Chriſti. 212
Vulnera cur reſeruarit Chriſtus. 170, & 171

Z.

Zizania quæ ſunt. 88

FINIS.

Liber hic cum ſuis annotationibus nihil habet S. Romana Eccleſia fidei contrarium aut Reipub. offenſiuum: imo dignus eſt qui rurſum imprimatur omnibus legendus. quod teſtor

Sebaſtianus Baer Delphius, Coll. Eccleſiæ S. Mariæ Hantuerpienſis Plebanus.

DOMINICA PRIMA

ADVENTVS DOMINI,

EPISTOLA.

Fratres: Scientes tempus, quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeſte ambulemus: non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis. *Rom.13.*

IN HAC Epiſtola loquitur Paulus de charitate, quam docet exercendam in vſu quotidiano dum viuimus, ſi Chriſtũ induere volumus: vnde ſtatim præmiſit, dicẽs; Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis; qui enim diligit proximum, legem impleuit, &c. Et ſummatim hortatur ad tres charitatis effectus.

Charitas exercenda in vſu quotidiano. *Rom.13.*

1 Primò, vt à ſomno expergiſcamur & vigilemus, quia nũc, inquit, propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus, id eſt, Nunc nobis ſalus gratiæ & beatitudinis æternæ, eſt multo vicinior quàm olim, cùm patres noſtri crediderunt Chriſtum venturum. Nunc autem datus eſt Chriſtus, & mandatum remiſſionis peccatorum, fide in Chriſtum per Euangelium manifeſtatum eſt, & in omnes euulgatur gẽtes. Marci vlt. quod eſt 16. Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, &c. Venit deſideratus cunctis gentibus. Agg. 2.

Tempus nouæ legis nos accendere debet ad charitatẽ exercendam, vtque expergiſcamur & vigilemus. *1.Tim.3.*

2 Secundò, hortatur vt honeſtè ambulemus tanquam in die, quia nox præceſſit, id eſt, Tempus illud iam elapſum eſt, quo vniuerſus orbis ambulabat in tenebris: Iudæi ſcilicet in tenebris figurarum, qui veritatem Euangelij velamine legis Moſi coopertam tenebant: & Gentiles, qui veritatem fidei, errorum obſcuritate, & infidelitatis tenebris obſcuratam habebãt. Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Vmbram enim habens lex futurorum bonorũ, non ipſam imaginem rerum, &c.

Nox teſtamentum vetus, dies teſtamentum nouum. *Eſaiæ 9.* *Luc.1.* *Ioan.1.* *Heb.10.*

3 Tertiò, hortatur vt abiiciamus opera tenebrarũ, & indua-

mur arma lucis, quia dies appropinquauit, id eſt, Tẽpus illu[d] in quo Chriſtus, qui dies eſt & lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, iam venit, carnem aſſumpſit, mentes noſtras ſua illuſtrauit gratia & luce, timentibus Deum ortus eſt ſol iuſtitię. Malac. 4. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ioan. 1.

Quid ſit a ſomno ſurgere. Eſt autem à ſomno ſurgere, nihil aliud quàm impietatẽ & mundanas cõcupiſcentias abnegare. Tit. 2. Apparuit gratia Dei ſaluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & aduẽtum gloriæ magni Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Opera tenebrarum quid ſit abiicere. Galat. 5. Abiicere opera tenebrarum nihil aliud eſt, quàm ea opera reiicere, quæ lucem formidant, id eſt, opera quæ ante Chriſtum conſiſtere minimè poterunt: qualia ſunt opera carnis. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.

Quid ſit arma lucis induere. Induere arma lucis, nihil aliud eſt quàm bonis operibus nos munire: quorum ea eſt virtus & potentia, vt arma fortiſsima à D. Paulo vocentur contra diabolum, mundũ, & carnem. Propterea accipite armaturam Dei, vt poſsitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros, &c. *Epheſ. 6.*

Quid ſit honeſtè ambulare. Philip. 2. Honeſtè ambulare, eſt ita vitæ actiones inſtituere, vt nihil in nobis inueniatur quod diuinos aut humanos offendat oculos. Omnia facite ſine murmurationibus & hæſitationibus, vt ſitis ſine querela, ſicut ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione in medio nationis, prauæ & peruerſæ: inter quos lucete ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ ſuſtinentes, &c.

Arma lucis quæ, et qualia. Arma lucis vocat Apoſtolus, notitiam Dei, fidem in Deum, Timorem Dei, Charitatem, Sobrietatem, Caſtitatem, Pacem, Patientiã, & virtutes cæteras. Ad hæc arma capienda nos hortatur, & iubet induere Ieſum Chriſtum, id eſt, Chriſtum per fidei ſacramentum apprehẽdere & agnoſcere, ipſumque bonis operibus proſequi, iuxta illud: Qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. *Quomodo Chriſtus induitur. 1. Ioan. 2.*

Opera tenebrarum varia peccata intelligit. Opera tenebrarum enumerat: Ignorantiam, Cæcitatem in rebus diuinis, Contemptum operum legis, non noſſe Deum, non credere neq; timere, Comeſſationes, Ebrietates, Laſciuias, Impudicitias, Contentiones, Rixas, Sectas, &c. Ab his dehortatur, & iubet curare corpus ad neceſsitatem, non ad luxum, &

ad

ad alendam concupiſcentiam : hoc eſt quærere victum & amictum, edere, dormire, parare opes non ad ambitionem, non ad inflammandam libidinem, aut ad alia vitia, quibus extinguitur lux charitatis, quam debemus Deo, & proximis, ſed ad neceſsitatem corporis, & ad conſeruandum corpus & honorem, ad quem Deus opt. max. ſua nos euexit gratia.

Lectione hac Apoſtolica docetur Chriſtum non alia ratione indui poſſe à fidelibus, niſi abiectis prius tenebrarum operibus, & prorſus abrenunciatis, luciſque, id eſt, charitatis actionibus adhibitis. Quam doctrinam vti veram & Apoſtolicam, ita eſt amplexa Catholica Romana Eccleſia, vt ſemper & vbique cunctos ſuæ fidei profeſſores, doctrinæq; cultores docuerit, neminem vnquam Chriſti iuſtitiam, meritum & dignitatem, in ſuum conſecuturum vſum, beneficium, & internũ animæ & corporis ornamentũ, qui non prius prauam & cõtaminatam ſit deteſtatus vitæ rationẽ, in poſterumq; puram, & inculpatam viuendi normam auſpicandã firmiter ſtatuerit. Quæ duo animi propoſita adeò fidelibus ad ſalutem ſunt neceſſaria, vt ſi hæc adſint in Sacramentis, Chriſtum induamus, teſte Paulo hoc loco, ſi verò defuerint, nihil vnquam Sacramẽta vel ab ipſis præſtita Apoſtolis, ſint profutura. Falsò igitur hæretici noſtri temporis docent, per ſolam fidem Chriſtum induendũ, & diuinam eius virtutem nobis communicandam: (nam hoc eſt Chriſtum induere, diuinas eius virtutes participare) nec eſſe neceſſariam male ante actæ vitæ deteſtationem, futuræque reformationem.

Chriſtum induere quid ſit.

Inſtituit etiam pia mater Eccleſia ex Apoſtolorũ traditione, hac prima Aduentus Dominica, Apoſtolicam hanc Epiſtolam populo legendam, vt commemorato magno illo prorſusque ineffabili aduẽtus filij Dei Sacramento, ad eum vel eius fructum ſuſcipiendum fideles diligenter ſeſe componerent. Et ne ignorantiæ vllam prætexere queant excuſationẽ, docet quo pacto vel quibus ornamentis ſeſe debeant ornare, ſi velint fructum aduentus Chriſti participare: abiicienda eſſe nimirum opera tenebrarum, & induenda arma ſeu opera lucis, id eſt charitatis, moxque Chriſti ſtolam illam iuſtitiæ induemus. Quod eò diligentius eſt nobis enitendum, quò præſentiora ſunt nobis Sacramenta illa Chriſti incarnati, nati, & mortui, quàm fuerũt olim patribus illis veteris Teſtamenti, qui eminus hęc omnia contemplabantur.

Ratio cur hac Epiſtola ab Eccleſia hac Dominica legẽda proponitur.

EPILOGVS.

1 *A temporis ratione Paulus hortatur, vt à priſtina vitæ ſomno & tenebris reſipiſcentes, expergiſcamur, & ſummam omnium legum charitatem amplectamur.* Rom. 13.

2 *Tria genera vitiorum ſunt, de quibus exurgit ſeges innumerabilium*

 malorum.

malorum. Primum comeſſationes & ebrietates. Secundum cubilia & laſciuię. Tertium contentiones, æmulationes. Hoc tertium, inquit Auguſt. Epiſt. 64. ad Aurelium, in noſtro ordine grauius.

3 Chriſtum ſapientiam eſſe, iuſtitiam, & ſanctificationem & veritatē, ſobrietatem, caſtitatem, pacem, charitatem, & omnes virtutes; quas qui aſſumpſerit, Chriſtum induiſſe dicitur.

EVANGELIVM EIVSDEM DOMINICAE.

Matth.21.

IN illo tempore cùm appropinquaſſent Ieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliueti, tunc Ieſus miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſoluite & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos. Hec autem factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus. & ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis. Euntes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus. Et adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimēta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur clamabant, dicentes: O ſanna filio Dauid, benedictus qui venis in nomine Domini.

EVANGELIVM hoc de triumphanti pompa, & regali ingreſſu Chriſti in Ieruſalem, complectitur tria. Principio, Manſuetudinem Chriſti, quæ colligitur ex quatuor.

1 Primò, quia Chriſtus inſidet non equo phaleris ornato, aut currui arcuato, ſed animali inglorio, portandis clitellis & oneribus nato, vt oſtendat ſe veniſſe peccatorum noſtrorū ſarcinam laturum. 1. Pet. 2.

Manſuetudo Chriſti ex quibus colligitur.

2 Secundò manſuetudo Chriſti colligitur, quia incipit equitare non in planitie campi, non in vallibus, ſed in monte oliuarum: vt oſtēdat ſe veniſſe ex ſola gratia atque miſericordia, ſine vllis noſtris meritis. Tit. 3. Oleum enim in ſacra ſcriptura Dei gratiam ſignificat.

3 Tertiò, liquet eius māſuetudo, quia non introrumpit multis millibus equitum aut peditum, ſed ſimplici comitatu diſcipulorum, vt oſtendat toti orbi ſe eſſe verum Meſſiam, quem prophetæ prædixerant, præſertim Zacharias 9. & Iſaias 62.

4 Quartò, quoque patet ex hoc, quia videns ciuitatem Ieruſalem, fleuit ſuper illam, dicens: *Quia ſi cognouiſſes & tu.* &c. quibus verbis oſtēdit modum & cauſam vaſtationis, nempe quod non cogno. temp. viſ. ſ. Luc. 19. Eſt autem aduentus domini quadruplex, in carnem ſcilicet, mentem, mortem, & iudicium.

Aduentus domini quadruplex. Luc.10.

Aduētus domini in carnem, factus eſt ante annos 1567. & iſte aduentus fuit verè deſiderabilis, quia ſancti patres & prophetæ eum deſiderabant. Fuit & iſte aduentus humilis, quia in forma

forma ſerui venit, humilis natus, & mortuus. Fuit quoque placidus, & manſuetus, quia orauit pro crucifigentibus. *Luc.23.*

Aduentus domini in mentem, fit quoties ſpiritusſanctus in baptiſmo & in Sacramentis Eccleſiæ Catholicæ datur: & iſte aduentus eſt iucundus, & cōſolatorius. Gratia enim eſt arrhabo gloriæ. Item Ioan. 14. Ad eum veniemus, & manſionem faciemus apud eum, &c. Apoc. 3.

Aduentus domini in mortem, fit quoties homo moritur: & iſte aduentus eſt terribilis, propter varias tentationes, quæ malitia Sathanæ, incidſt in mortis articulo. Aduentus verò domini ad iudiciū, fiet in die nouiſsimo: & iſte aduentus erit glorioſus, & omni maieſtate plenus, dicente Chriſto: Tunc videbunt filium hominis venientem cum poteſtate magna & maieſtate, &c. *1.Pet.5.* *Luc.21.*

Secundò complectitur præſens euangelium, obediens obſequium triplicium hominum, ſcilicet, Diſcipulorum; quos cum veniſſet Bethphage, miſit in caſtellum, dicens, *Ite in caſtellum quod contra vos eſt.* Iubet diſcipulos in oppoſitum eis vicum ire. Plures enim extra Ieroſolymam habitationes fuiſſe Ioſephus memorat. Innuit prædicatores ab ipſo mittendos eſſe. Et quando à Chriſto mittuntur, vult Chriſtus ipſos annunciare Euangelium intrepidè, & quæ iuſta ſunt ac bona annunciare, & mala reprehendere, & acriter increpare. Nathan miſſus à Deo, auſus fuit ingredi ad Dauid, & illum infracto animo arguere, & ſui peccati conuincere. Moſes etiam miſsus, auſus fuit ingredi ad Pharaonem. Ionas cap. 3. ad Niniuitas. Sic omnes prophetæ miſsi, obedientes fuerunt, & auſi ſunt, quem in mādatis habebāt, dicere. Elias ad Regem Achab. 3. Reg. 18. Ioan. Baptiſta ad Herodem. Marci 6. *Obſequiū obediens triplicīū hominum erga Chriſtum.* *1.Reg.12.* *Exod.5.*

Et inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea. Vaticinium eſt, Chriſtus vt diſcipulos ac reliquos concionatores magis accendat ad ſui mandati exequutionem, pollicetur ipſos inuenturos auditores promptos, ac dociles. Prædicit omni tempore quoſdam fore, qui cum fructu catholicam doctrinā ſuſcipiant: modò ipſi verbum Dei ſynceriter prædicent: docet Lucas præordinatos eſſe à Deo qui ſunt credituri. *Gen.49.* *Act.13.*

Soluite, & adducite mihi. Docet Chriſtus omnes prædicatores quid ſuis miniſteriis prætendere debeant, nempe vtrunque hominem, internum & externum ſoluere à diaboli captiuitate per Sacramenta, & adducere per doctrinam.

Et ſi quis aliquid vobis dixerit, dicite: Dominus his opus habet. Vaticinium eſt, quo Chriſtus omnes miniſtros eccleſiæ præmunit, prædicens aliquot futuros ſemper, qui eccleſiæ catholicæ, & eius euangelio, & doctrinis ſint aduerſaturi, quales fuerunt olim Arriani, Ebionitæ, Pelagiani, Turcæ,

& nunc in præſentiarum Lutherani, & Caluiniſtæ, & Anabaptiſtæ, &c.

Soluentes adduxerunt ad Ieſum, & impoſuerunt veſtimenta ſua. Docet Euangeliſta diſcipulorum obedientiam, qui ſoluentes adduxerunt aſinam & pullum. Per quos ſignificatur populus Iudaicus, & Gentilis. Dicit adduxiſſe ad Ieſum, vt doceat prædicatores id ſemper procuraturos, ne ad mundum, neque diabolum, neque ad carnē, neque ad ſe trahant populū Chriſtianū (quod faciunt hæretici, & falſi prædicatores) ſed ad Ieſum, qui eſt noſtra ſanctificatio, & redemptio, &c. 1. Cor. 1. Talis fuit Paulus. 1. Cor. 10. Item. 2. Cor. 12. & Philip. 4.

Continet præterea obediens obſequium populorū, qui pro honore & gloria noui regis, nouam interni gaudij edebant demonſtrationem, ſcilicet ramis palmarum & oliuarum, atque veſtimentis ſpargendo vias. Rami ac veſtimenta, exempla Patriarcharum, ac Prophetarum, Apoſtolorum, ac martyrum, & aliorum patrū ſignificant, quibus viæ quibus itur ad ſupernam Ieroſolymam, exornantur, quibus etiam viæ aliis qui ſunt infirmiores aptantur, ne ita videantur difficiles & graues, cùm viderint populum innumerabilem per eaſdem vias in Hieruſalem cæleſtē conſcendiſſe. Vide Iac. 5. Exemplū accip. Heb. 13.

Complectitur quoque obſequium obediens, puerorum clamantium Hoſanna, & populorum qui præcedebant & ſubſequebantur, cum iubilo canentes: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* ſuis acclamationibus fatentur Chriſtum eſſe verum Meſſiam in lege promiſſum, qui daturus ſit pacem internam hominibus, quique ipſos ſit reconciliaturus Deo. Significant etiā præcedentes populi, patres illos veteris teſtamenti, qui Chriſtum præceſſerunt: & ſubſequentes, ſignificant pios Chriſtianos, qui poſt Chriſtum etiam crediderunt: quos omnes docet religio catholica non niſi per Chriſtum ſaluatos fuiſſe. Non
Act. 4. eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Cum quibus etiam & nos modò confitemur Chriſtum vnicum eſſe victorem diaboli, inferni, & pacis noſtrę authorem. Hoc præfigurauit, palma: illud oliua.

Eſt Chriſtus racemus ille vuarum, quem humeris impoſitū Caleb & Ioſue, reliquæ multitudini ex terra promiſsionis auulſum, intuendum geſtarunt. Ambos participes fuiſſe fructus, nemo eſt qui dubitet: quamuis poſteriore vidente race-
Num. 13. mum, anterior viſionis beneficio caruerit. Significabāt hi duo viri vtrunque populum, Iudaicum & Iſraeliticum.

Malitia Phariſæorū in Chriſtum & Scribarum tripliciter oſtēditur. 3 Tertiò complectitur præſens euangelium, malitiam extremam Pontificum, Phariſæorum & Scribarum, erga Ieſum: cuius magnificas laudes ferre non poſſunt: erga diſcipulos, cùm
Luc. 19. nec ipſos ferant dantes gloriam Chriſto, cùm dicunt: *Increpa diſcipulos*

ſcipulos tuos. Quibus reſpondet Chriſtus: *Dico vobis, quòd ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.* Qua prima reſponſione eorũ duritiam & cæcitatem acriter arguit Chriſtus, qui Chriſtum ad ſe venientem non modò non ſuſcipiunt, verùm voces diſcipulorum eius aduentum decantantes & declarantes audire grauantur, cùm tanta ſit ratio clamandi, vt & ſi homines diſsimulare vellent, lapides clamantes diuinam ſuam præſentiam mundo eſſent manifeſtaturi, quod in paſsione factum legimus. *Matth.17.*

Significauit etiam iam tempus veniſſe, quo Apoſtoli atque eorum ſucceſſores mundo vniuerſo catholicam euangelij doctrinam animo infracto eſſent proclamaturi, idque tam inuictè ac fœliciter, vt nulla vi, nec authoritate prohiberētur, adeò vt lapides citius ſint clamaturi, quàm aduentus Chriſti poſsit taceri, aut abſcondi. hinc; Non enim poſſumus non, &c. *Act.4.*

Malitiam quoque eorũ hîc tertiò oſtendit erga pueros, cùm dicunt: *Audi quid iſti dicunt.* Q*uibus reſpondet Chriſtus: Nunquam legiſtis, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* *Pſal.8.* Poſtremò eorum malitiam declarat erga cultum Dei, quem cupiditate accenſi obſcurabant, ſtatuentes in templo Dei, venditores boum, ouiũ, columbarũ, vt ſi peregrinus quiſpiam veniret, haberet in promptu victimam emendam, & nummularios, qui non habenti nummos ad offerendũ vel commutarent, vel accommodarent, inde turpem facientes quæſtum: quos omnes vero zelo domus æterni ſui patris violatæ accenſus, illinc expulit duro flagello, & ſeueriſsima increpatione, quam Prophetæ teſtimonio corroborat, dicens: *Scriptum eſt: Domus mea domus orationis eſt: vos feciſtis illam, &c.* *Iſaia 56.* *Ierem.7.*

Huius lectionis euangelicæ ille eſt ſcopus ac ſenſus literalis: Voluit Chriſtus hoc facto Iudæos admonere, ſe eſſe verum illum Meſsiam in lege ipſis promiſſum, cuius aduentũ Patriarchæ tam ardenter expectauerant, atque futurum prædixerant: quem etiam ipſi Iudæi maximè ſe in votis habere frequentiſsimè affirmabant. Vt autem ipſos in ſui cognitionẽ inducat, doceatque ſe eum eſſe quem Zacharias ante quadringẽtos & nonaginta annos, à ſecundo Darij anno, Artaxerxis Longimani, & Iſaias ferè ante octingentos prædixerant, regem ac liberatorem Iudæorum, totiuſque mundi ſaluatorem venturum. Multis retro ſeculis Deus Opt. multa ſigna dederat populo Iudaico, quibus verum illum Meſsiam, quem ipſe illis promiſerat, ab aliis prophetis, qui ſibi illuſtrem illum titulũ dignitatemq́; amplißimam vſurpaturi erant, dignoſcerent. Et inter alia quãplurima quæ ſacris ſcripturis prodita continentur, illud quod præſens Euãgelium proponit atque deſcribit, principem habet locum. Signa quibus Meſsias verus, veruſque filius Dei & homo cognoſcendus erat à Iudæis, aliquot his ſubiiciam: nempe

Luc.10.

Chriſtus hac noua pōpa verus ille Meſſias, rex, ac liberator Iudaeorum, totiúſque mũdi ſaluator oſtenditur.

Signa veri Meſsiæ.

Iſaiæ 7. illud, Ecce virgo concipiet. &c. Rurſum Habacuc 3. In medio duorum animalium cognoſceris, &c. Iſa. cap. 40. Vox clamantis in deſerto. Et illud eiuſdem: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, &c. Et iſtud in hodierno Euangelio à Matthæo inductum ex Zachariæ 9. & Iſaiæ 62. ſcilicet: Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit ſedens ſuper aſinam, & pullum.

Iſaia 35.

Vſus huius Euangelij eſt cognoſcere, Chriſtũ filium Mariæ, eſſe verum Meſsiam in lege, & prophetis promiſſum, & fateri eundem eſſe verum Dei filium & verum hominem filium virginis, verum regem, ſaluatorem ac redemptorem non tantùm Iudæorum, ſed totius generis humani. de cuius veritate nihil prorſus dubitare licebit, vt qui ipſe vnicus ſit, cui omnia ſigna à Rege patre ab initio per figuras, per prophetarũ oracula prædicta, quadrent, & mirificè congruant. Sunt igitur animi Chriſtianorum in fide confirmandi, nec vacillare alicui licebit vnquam, quin Iudæorum perfidiam mox incurrat: & ſi multi (quod futurũ Chriſtus prædixit) dicant: Ecce hic eſt Chriſtus, docebit concionator inexcuſabiles eſſe Iudæos, qui Chriſtum hodie ingredientem non vt verum Meſsiam receperunt, cuius veram præſentiã aſina, pullus, rami, veſtes, voces diſcipulorũ, puerorũ, atque populorũ clamores teſtabãtur, atque ipſorum auribus inferebant, ne ſilentio ipſum veniſſe vnquam cauſari poſsint. Erant omnia illa quaſi præcones Chriſti: docebit populum multos venturos in nomine Chriſti, qui nihil minus quàm admittendi ſunt, vt quibus ſignũ hodiernũ per prophetas prædictũ, non cõueniat, & falſi ſunt prophetæ, & antichriſti. Elicitur hinc grauem eſſe illam cæcitatem, quam animorũ malitia menti parit, ſiquidẽ nec ipſum ſolem videat. Iudæi malitia propria excæcati, Chriſtum ſolem iuſtitiæ hodie ſuam ciuitatem, & templum ingredientem, minimè viderunt.

EPILOGVS.

1 *Tres Euangeliſtæ qui græco ſermone ſcripſerunt, pullum tantùm commemorant. Matthæus verò, qui pro Hebræis Hebraicè ſcripſit, aſinam quoque ſolutam, & domino adductam refert, vt eiuſdem gentis Hebrææ ſi pœnituerit, non deſperandam monſtret eſſe ſalutem, Hieronymus.*

2 *Summa Euangelij mira breuitate in verbis Zachariæ nobis proponitur: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, &c. In omnibus verbis emphaſim habes. Tantum clamemus; Hoſanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini: & tempus viſitationis agnoſcamus.*

3 *Sæpe Ieruſalem aſcendit, nunquam tam clarè, quia crux in ianuis erat: duplicem prophetiam, alteram opere, alterã verbis implet. Opere, quia ſcriptum eſt à Zacharia quod in aſina ſicut Rex ſedebit. Secunda immundarum vocationem gentiũ ſignificat, quia in ipſis requieſcet. Venient enim & adorabunt eum.*

DOMI-

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS, EPISTOLA.

Fratres; Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Deus autem patientiæ & ſolatij, det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum, vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Propter quod ſuſcipite inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei. Dico enim Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones patrum: gentes autem ſuper miſericordia honorate Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe eius. Et iterum; Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi. Et rurſus Eſaias ait: Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere gentes, in eum gentes ſperabunt. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace, in credendo, vt abundetis in ſpe & virtute Spiritus ſancti. *Rom. 15.*

IN HAC Epiſtola diuus Paulus tria facit. Primò indicat vſum ſcripturæ, eiuſque enumerat vtilitates, ſcilicet, Patientiam, Conſolationem, Spem. *Vſus & vtilitas ſacræ ſcripturæ.* Patientia enim prodeſt vt crucem & afflictiones quas ob Chriſti nomen, & eius confeſsionem, Deus permiſerit nobis euenire, infracto feramus animo. Rom. 8. Exemplo ſunt filij Iſrael in Aegypto Exod. 1. Iob cap. 1. 2. Conſolatio prodeſt, vt certò credamus Deum adiutorem, conſolatorem, protectorémque eſſe fidelium. 1. Cor. 10. Fidelis Deus qui non patietur, &c. Exemplo ſunt Tobias cap. 4. Pauperem quidem vitam, inquit, agimus, ſed multa bona habebimus ſi timuerimus Deum, & fecerimus bene: & Latro in cruce. *Solatur nos ſacra ſcriptura.* *Luc. 23.* Spes verò prodeſt, vt in aduerſis firmiter promiſsionibus diuinis fidamus: ſic tamen vt ſub conditione factas eſſe ſciamus: nempe Deum affuturum, ſi ſuæ gloriæ & noſtræ vtilitati profuturum ſit. Exemplo eſt Abraham, cùm iuſſus eſt immolare filium ſuum vnicum Iſaac. *Gen. 22.*

Et quoniam vita Chriſtianorum eſt aſsidua lucta aduerſus Sathanam, Epheſ. 6. Mundum. 1. Ioan. 2. Nolite diligere mundum, &c. Carnem, Gal. 5. Semper caro concupiſcit, &c. Peccata, Eccle. 21. Quaſi à facie colubri fuge peccata, & infernum, ideo oportet vt habeant in afflictionibus verbum Dei, quod qui audiunt & cuſtodiunt, habent non modò conſolationem, ſed etiam vitam æternam, ſi ea quæ verbum Dei iubet, obſeruauerint. *Luc. 11.* Prodeant ergo operum contemptores atque conculcatores, Legum ſacrarum & humanarũ violatores atque profanatores: & conferant falſam nouitiamque ſuam doctrinam, & dementiæ ſuæ vana & pernicioſiſsima ſomnia: tamen his congeſtis, non conſolationem, non patientiam, non ſpem, ſed triſtitiam ſeculi, quæ mortem operatur, atque deſperationem animabus adferent: tantũ abeſt vt conſolari ipſas poſsint. *Operum contemptores notantur.* Nam vt commenta illa falſa ſunt, ita ſunt omnia falſa quæ pollicentur.

tur. Et cùm Dei verbo non conſtent, quin ex diametro aduerſentur, animarum ſaluti, & Dei gloriæ maximè detrahunt & repugnant. Speciem quidem pietatis habent, virtutem eius abnegant.

2.Tim.3.

E doctrinis hæreticorũ & Philoſophorum, vera non capitur conſolatio.

Et quamuis hæretici verbum Dei iactent, tamen deprauant perinde atque diabolus, Matth.4. cuius miniſtri ſunt: idcirco nullam conſolationem veram animabus falſa ſua doctrina adferre vnquam poterunt.

Sic doctrina Philoſophorum, ſeu Platonica, ſeu Ariſtotelica, ſynceram ac ſolidam nullam adfert conſolationem: & vt maximè polliceatur, præſtare non poteſt.

1.Cor.1.

Vnanimes eſſe debent fideles in tribus.

2 Secundò precatur & exoptat Apoſtolus Chriſti fidelibus tria, ſcilicet vt ſint concordes & vnanimes in Chriſto, cùm ait: *Deus autem patientiæ & ſolatij, det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum.* Deinde vt vnanimiter collaudent atque glorificent Deum quando dicit, *Vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Tertiò exoptat vt curam aliorum gerant, & mutuò ſe complectantur, nec ſinant propter diſsimilitudinem rituum, Eccleſiæ ſerenitatē labefieri, vbi ait: *Propter quod ſuſcipite inuicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei:* Probans exēplo Chriſti, nullum faciendum diſcrimen inter Iudæos & Gentes, fortes & infirmos, ſanctos & peccatores, pauperes & diuites, quantum attinet ad Charitatis opera, quæ omnibus fidelibus cuiuſcunque ſint generis, ſunt præſtanda exemplo Chriſti, qui pro omnibus tam Iudæis quàm Gentilibus mortuus eſt, & omnibus charitatem ſuam impēdit. 2.Cor.5. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. Firmis ſcripturæ teſtimoniis hoc ipſum probat Paulus. Pſal.17. Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Deut. 31. Lætamini gentes cum plebe eius, Pſal.116. Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi. Iſaiæ 11. Erit radix Ieſſe: & qui exurget regere gentes, in eum Gentes ſperabunt. Hos locos ſacræ ſcripturæ, & ſimiles oportet in promptu habere, vt Iudæos negantes Gentilibus Euangelium eſſe prædicandum, conuincamus, ipſiſque planè ex ſcripturis oſtendamus, non minus Gentilibus quàm Iudæis Chriſtum natum, paſſum, mortuũ. Præterea quoque oportet eos in promptu habere, vt habeamus certum Dei verbum, quod Sathanæ tentationibus, item mundo, carni, peccatis, morti, atque inferno obiiciamus.

Iudæis veritas, Gentibus miſericordia facta eſt.

Confeſſio Gentium.

Exultatio gentium in Chriſto: Dei per gētes collaudatio

Radix Ieſſe. Dauid arbor, virgo Maria. Flos Chriſtus.

Hic ergo docemur, quòd ſicut olim Paulus Chriſtianos illos qui Romæ agebant, ad concordiã & vnanimitatē exhortatus eſt, ita & modò omnes Chriſtianos, qui in mundo degunt, eandem iubeat ſeruare concordiam.

Eccleſia catholica vnitas ſeruanda.

Docemur præterea, vt omnes qui vnius Dei fidem profitemur,

ſitemur, vno & eodem modo laudemus atque glorificemus Deum.

Docemur iterum, vt quemadmodum Chriſtus miniſtrum ſe fecit Iudæis & Gentilibus, impartiens illis diuinæ charitatis opera: quale fuit beneficium redēptionis generis humani: ita & nos exerceamus opera charitatis promiſcuè erga omnes bonos & malos, Iudæos & Gentiles, pauperes, & diuites, imitantes Chriſtum, qui perſonarum rationem non habuit. At hæretici vnitatem concordiamq́ue Eccleſiæ diſrumpunt, diſceſsionem faciunt, peccata ſcilicet noſtra deteſtati, cœtuſq́ue colligunt, cum quibus puras ſine nobis Deo preces offerant: ſed quas ille exoſas habeat, & deteſtetur. Deut. 12. & 16. Prouerb. 15.

Proximos ſuſcipere quomodo debemus.

3 Tertiò, concludit Apoſtolus hanc Epiſtolam pulcherrima & feſtiua precatione, quando dicit: *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace, in credendo.* Quam nos quoque cunctis fidelibus precari, & optare debemus, ac dicere; Deus ſpei impleat vos omni gaudio, pace atque concordia, idq́ue per Chriſtum, vt ſpes veſtra, quam de Deo concepiſtis, augeatur & creſcat in dies, fiducia bonæ & puræ conſcientiæ. Bonam conſcientiam procreat iuſtitia, iuſtitiam operatur fides, quæ per dilectionem operatur. Dilectio verò ſiue charitas fiduciam æternæ vitæ conſequendæ animabus Chriſtianorum parit.

Gaudium haberi non poteſt ſine pace.

Galat. 5.

Eſt tamen aduertendum, quòd quamuis fides quę operatur per charitatem, iuſtitiam operetur, non tamen ſuis meritis, nec ſua dignitate aut virtute id faciat, ſed vim, potentiam, atque virtutem iuſtificandi ab ipſa charitate mutuetur. Eſt enim charitas Deus, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Ioan. 4.

Doctrina ex lectione præſentis Epiſtolæ haurienda, ad noſtrumq́ue vſum accommodanda, hæc eſt: quòd clariſsima illa geſta populi Iſraëlitici, quæ ſacris Bibliis deſcribuntur, ob id ſcripto Spiritus ſanctus mandarit, vt audiris illis periculis in quibus populus Dei fuit, perpenſaq́ue patientia & æquanimitate qua populus ille grauiſsima illa ſuſtinuit diſcrimina, diuinis promiſsionibus innixus: accendamur & nos ad tolerandas maximas quaſque calamitates excelſa animi fortitudine, propter Chriſtum, ſperantes ipſum noſtri, noſtrorumq́ue laborum habiturum rationem, iuxta ampliſsimam ſuam promiſsionem: Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus. Matth. 28. Bonorum laborum glorioſus eſt fructus.

Sap. 3.

Præterea docet nos Paulus, in exhibendis charitatis officiis non eſſe æſtimandas perſonas, num hic ſit Iudæus, an ille Gentilis: num ille ſit malus, & hic bonus: cùm omnibus indigentibus debeamus ſuccurrere, imitantes in hoc Chriſtũ, qui ſe

Charitas Chriſtianorum exēplo Chriſti perſonas aut nationes excludere non debet.

ſe fecit miniſtrum non tantùm Iudæorum, verum etiam Gentilium. Præſtitit enim immenſa ac pluſquam diuina charitatis beneficia, non tantum bonis Iudæis, verum etiam impiis Gentilibus: idemq; omnibus eſt natus, paſſus, & mortuus. Ad hæc ſicuti pro nobis omnibus ipſe tempore de cælo deſcendit, ita & nos omnes tam Iudæi, quàm Gentiles, tam Germani, quàm Hiſpani, tam Itali, quàm Galli, vnum in Chriſto eſſe debemus, vnoque conſenſu vnanimes in domo Domini ambulare, atque vno ore patrem glorificare. Væ illi qui vnitatem hanc diſ-
Iu.ſ.4. rumpit, & ſchiſma facit.

Docemur inſuper, Deum auctorem eſſe noſtræ pacis, noſtri gaudij, noſtræ concordiæ, noſtræ ſpei, noſtræ fiduciæ, noſque
1.Cor.3. per liberum arbitrium illius eſſe coadiutores.

APPENDIX.

Quamuis Paulus hoc loco ſcripturæ ſacræ officia declarare videatur, non eſt tamen exiſtimandum, ſcripturam vel ipſum Euangelium, nihil amplius præſtare, quàm patientiam, conſolationem & gaudium. Idem etiam Paulus in poſteriori Epiſtola ad Timotheum, cap. 3. ait: Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum ad arguendum, ad corripiendũ, ad erudiendum in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.

EPILOGVS.

1 *Vtilitas literarum ſacrarum: Eruditum reddunt ad ſalutem per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu. In noſtram doctrinam ſcripta ſunt, quæ ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Omnia autem ſcripta fidem & charitatem & vt omnibus in bonum placeamus, continent.*

2 *Summa profeſſionis noſtræ, pax eſt & vnanimitas. Itaque precatur Deum auctorem patientiæ, vt ad exemplum Ieſu Chriſti nos faciat conſummatos in vnum.*

3 *Chriſtus diues Dominus in omnes qui ſe inuocant, Iudæos & Gentes: Circuncisis promiſſus, gentes ex meriſſima liberalitate habent. Qui quondam erant non populus, nunc populus Dei; qui quondam non conſequuti miſericordiam, nunc ſunt conſequuti. 1. Petri. 2.*

DOMINICA SECVNDA ADVENTVS DOMINI EVANGELIVM.

Luc. 21. *IN illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Erunt ſigna in Sole & Luna, & Stellis, & in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuũ, areſcentibus hominibus præ timore & exſpectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna & maieſtate. His autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores, cùm producunt iam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas. Ita & vos, quum videri-*

eis hæc fieri, ſcitote, quoniam propè eſt regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

IN HOC Euangelio loquitur Chriſtus de aduentu ſuo ad iudicium, & facit quatuor. Primò confirmat articulum iudicij, atque prædicit ſigna quæ ipſum diem iudicij præcedent, & creaturas in quibus ſigna illa exhibebuntur, enumerat, nempe Cæleſtes, videlicet planetas Solis & Lunæ, Stellas, Aerem, Ventos: & Terreſtres, Aquas ſcilicet, Flumina, Mare, Terram, Homines, Bruta. Omnes iſtæ creaturæ, tum cæleſtes, tum terreſtres apertiſsimis ſignis teſtabuntur iram Dei, & aduentum eius ad iudicium. Nam ſol obſcurabitur, luna non dabit lumen, ſtellæ cadent de cælo, apparebunt cometæ & varia in cælis ſigna. Aer peſtilens & morbidus, venti ſternent turres, ædificia, arces, arbores, & ſata. cataclyſmi & inundationes erunt multæ. terræmotus magni, & anxietas gentium. extabeſcent homines præ metu, & expectatione.

Mat. 24. Marc. 13. Articulus fidei confirmatur de iudicio futuro.

Signa duplicia diem extremū adeſſe teſtantur, Cæleſtia & terreſtria.

Cùm ergo videritis, inquit, Regnum regno, vrbem vrbi, hominem homini inſidiari, Marc. 13. Solem ac Lunam obſcurari, Ioel. 2.3. Stellas de cælo cadere, Matth. 24. Cometas fulgere, peſtem & morbos crudeſcere. Turbinem ventorum omnia ſternentem. Iere. 25. Maris & fluminum inundationes, regiones perdere, crebris terræmotibus vrbes corruere, Apoc. 16. Homines præ metu extabeſcere, Iſa. 43. Cælum ac terram fragore terribili reſonare Apoc. 16. Elementa omnia mutari, 2. Pet. 3. Montes, valles, regiones, ciuitates, pagos vaſtari, Apoc. 6. 8. Bella, ſeditiones, prælia moueri, doctrinas falſas, mendacia, errores exurgere, tunc ſcitote quia prope eſt in ianuis.

Mat. 24. Apoc. 19. 20.

Tunc dicent mali: Appropinquat dies ille quo iudicandi ſumus, & nos adhuc ſordemus in noſtris vitiis, in noſtris iniquitatibus, iniquè agimus. ſurgamus & conuertamur ad Dominū ſicut Niniuitæ, pœnitentes in ſacco, in ieiunio, in oratione, & dicamus tunc: Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus? Concutiantur timore omnes peccatores, animum mutent, pænitentiam agentes, audito nuncio huius ſeueriſsimi iudicij.

Ioel. 2.

Iuſti verò cum gaudio dicent: Deo ſit gloria in altiſsimis. Siquidem optatam æſtatem ſuæ gloriæ iam iam nobis concedet: dignum eſt vt magna lætitia feramus pœnas, labores quos pro Chriſto patimur. Siquidem ipſe iudicaturus eſt viuos & mortuos. Dignum eſt vt miſericordię opera faciamus. Siquidem mercedem illuſtriſsimam gloriæ in die illo iudicij illis operibus eſt retributurus. Digniſsimum eſt vt omne malum vitemus, atque omne bonum ſectemur, ſiquidem iudicādi ſumus, in gloriamque ſi boni fuerimus, perducendi.

2 Secundò, in Euangelio præſenti docet, quomodo venturus

Quomodo venturus ſit Chriſtus ad iudicium. rus ſit Dominus ad iudicandum. Veniet enim in nubibus cum magna poteſtate & gloria, Marc. 13. & ſedebit in ſede maieſtatis ſuæ: ſedebunt quoque duodecim Apoſtoli cum eo, Mat. 19. Tuncque apparebit ſignum filij hominis, Matth. 24. Mittetque Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, ibidem, & 1. Cor. 15. 1. Theſ. 4.

Aduentus Chriſti impiis terribilis, piis conſolatorius. Sap. 5. Et iſte aduentus erit impiis terribilis. Nam videbunt ſupra ſe iudicem ſeuerum, iratum: infra ſe barathrum patens, à dextris iniquitates, à ſiniſtris diabolos, in conſpectu mundum incenſum, intra ſe conſcientiam malam. Armabit etiam omnem creaturam contra inſenſatos. Piis verò erit hic aduẽtus conſolatorius, qui tunc ab omnibus malis, & aduerſitatibus liberabuntur. Apoc. 12. Abſterget Deus, &c.

In iudicio quid fiet. 3 Tertiò docet quid fiet in iudicio, nempe ſeparabit ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, malos de medio iuſtorum, Matt. 25. & 13. Statuet oues à dextris, hœdos à ſiniſtris. Eiuſdem 25. cap. Proferet ſententiam diffinitam, his qui à dextris erunt: *Matth. 25.* *Venite benedicti, &c.* His qui à ſiniſtris: *Ite maledicti in ignem æternum, &c.*

Separatio illa quomodo fiet? Qui inuenti fuerint bonis operibus ex charitate factis è viuis diſceſsiſſe, propter illa opera virtute Chriſti, & ſua bona voluntate facta & formata ſeparabuntur à malis, collocabunturq; à dextris. Illi verò qui bonis operibus vacui inuenti fuerint, condemnati à ſiniſtris conſtituentur.

Cauſa ſalutis iuſtorum & cõdemnationis malorum. Cauſa ſalutis iuſtorum erit hæc: Quia eſuriui, & pauiſtis me, &c. Matth. 25. Cauſa verò ſententiæ malorum erit, quia eſuriui & non dediſtis mihi manducare. Ibidem. Igitur omnes iudicabuntur ſecundũ opera ſua, prout geſsit vnuſquiſque in corpore ſuo, & nemo iudicabitur, ſecundum fidem tantum: ſicut hæretica obſtinatione, & diabolico ſpiritu auſus eſt affirmare Brentius. Nam manifeſtum eſt hæreticos etiam optimis moribus præditos, iudicandos ſecundum peruerſam fidem.

4 Quartò, conſolatur nos parabola de ficu, & aliis arboribus, & adducit ſimilitudinem Dominus: Non ab autumno, aut hyeme, quando flacceſcunt arbores, folia decidunt, areſcũt flumina, ſilet auium concentus, ſed potius à Vere & Aeſtate, quando lætantur omnes creaturæ, tellus ſe aperit, æther rorem ac flores parturit. Pulcherrima hac ſimilitudine prædicens regnum Dei, & redemptionem, hoc eſt, perfectam liberationem corporis & animæ omnibus ſuis electis: ideoque vult, his fieri incipientibus, leuari capita & inconcuſſo animo eſſe, iuramento affirmans verba ſua non tranſitura.

Tandem docet quid facere homines debeant, ſcilicet vt caueant

ueant & abſtineant à Crapula, Ebrietate, Curis huius ſeculi, ne ſubitus ingruat dies Domini, & incautos nos opprimat, vt laqueus aues aut feras. Scriptura enim dicit, Matth. 24. Si ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, &c. Idem Luc. 12. & Paul. 1. Theſſ. 5. Apoc. 3, & 16. 2. Pet. 3. Dies Domini ſicut fur in nocte, &c.

A quibus vitiis abſtinendũ in diem extremum.

Quibus virtutibus, illum in diem parari debeamus.

Poſtremò docet, vt homines ſint, Sobrij, vigilantes, in oratione feruentes, vt poſsimus bona conſcientia ſtare ante filium hominis. Sed quando erit dies ille? Neſcimus an ſero an medio noctis, an in gallicinio, an meridie, an diluculo. Eſt igitur omnibus vigilandum, ne dies Domini inueniat nos imparatos, ſicut ſponſus fatuas virgines, & Dominus ille peregrè proficiſcens ſeruos nequam, Matth. 25. Nam ſicut virgines imprudentes & imparatæ excluſæ fuerunt; ita & nos, niſi parati ſimus, vt cum ſponſo ingrediamur regiam illam cæleſtem, cæleſti gloria excluſi perpetuum damnabimur.

Aduentus ad iudicium certiſſimus ſed hora incerta vt ſemper ſit nobis ſuſpectus.

EPILOGVS.

1 *Varia ſed certiſſima ſigna inſtantis ſupremi diei Chriſtus numerat hic in Luca, alibi in Matthæo: Chryſoſtomus tantus vir horrore inuaditur hæc legens, & ex profundo corde ingemiſcit. Sic D. Hieron. dicit, Siue comedam, ſiue bibam, videor audire illam tubam; Surgite mortui, venite ad iudicium. O negligentiam noſtram: vt nos componimus ad horribilem illum diem, vt fugiamus à ventura ira?*

Negligentia noſtra reprehenditur.

2 *Secundus Chriſti aduentus prædicitur cum virtute & maieſtate magna, vbi omnes ab Adam vſque ad aduentum Chriſti operum rationes reddant, Miniſtrabunt angeli, cæli fores à ſeculo clauſæ patebunt.*

3 *Pulcherrima ſimilitudine ficus, arborum, æſtatis, regnum Dei & redemptionem, hoc eſt, perfectam liberationem corporis & animæ prædicit electis. Ideoquè vult his ficui incipientibus, leuari capita, & inconcuſſo animo eſſe, iuramento affirmans verba ſua non tranſitura.*

DOMINICA TERTIA ADVENTVS, EPISTOLA.

FRatres, Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque meipſum iudico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Qui autem iudicat me, Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. 1. Cor. 4.

IN HAC Epiſtola Paulus Apoſtolus facit tria. Primò oſtendit omnes Apoſtolos, Epiſcopos, verbiq; prædicatores eſſe miniſtros & diſpenſatores, non dominos. Eſt autem duplex miniſterium. Alterum dirigitur in Deum ſine vllo medio: de quo Deuter. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c.

Miniſterium duplex.

& illi ſoli ſeruies: & vocatur Græcè λατρεία: & hoc miniſterio ſeruiunt homines Deo.

Alterum dirigitur in proximum ex mandato Dei. Hoc miniſterium adminiſtratur per res vel externas & corporales, & vocatur Græcè δουλεία, atque hoc miniſterio ſeruiunt proximi proximis, & Chriſtiani ſanctis, vel adminiſtratur hoc miniſterium per res ſpirituales, & vocatur Græcè ὑπηρετία. Hocque miniſterio ſeruiunt Epiſcopi, & paſtores fidelibus.

Eccleſia Romana domus Dei in terris. Habet enim Deus in terris domum, nempe Romanam Eccleſiam, hoc eſt congregationem fidelium vicario Chriſti Epiſcopo Romano ſubiectam. His præpoſuit Apoſtolos, Epiſcopos, paſtores, ſacerdotes, prædicatores, diſpenſatores ſacramentorum, doctores, diaconos, ſubdiaconos, velut Oeconomos, vt cõmiſſorum animas ſalubri cibo ſanæ & Catholicæ doctrinæ paſcerent, velut miniſtros, vt commiſſorum animabus ſacramenta adminiſtrarent, velut Procuratores, vt commiſſorũ animabus in omnibus neceſſariis proſpicerent & prouiderent. *Oeconomi qui.*

Ne autem iſtam procurationem corporalem, & externam exiſtimaremus, Paulus eam vocabulo myſterij ab omnibus aliis terrenis negotiis diſtinguit. Quaſi, dicat, Oeconomi hominum, regunt dominorum ſuorum liberos & familiam: hiſque demenſum præbent, iuxta corporis externam rationem. Diſpenſatores verò Dei, regunt animas, atque his cibum ſpiritualem largiuntur, quando prædicant ſanam doctrinam, non hæreticam, & ſacramenta ipſis adminiſtrant.

Eſt autem myſterium res arcana, ab hominum oculis ſecluſa, & nemini perſpicua. Et eſt duplex, Dei ſcilicet & Sathanæ: *Myſterium duplex.* Dei myſterium eſt, quod fide intelligimus, & confitemur, in literiſque ſacris contentum ſcimus. De quo hic loquitur Paulus. Huius ſunt diſpenſatores veri & legitimi, atque Apoſtolici Epiſcopi & paſtores, ac vniuerſi alij prædicatores: qui non tantùm Pontificem Romanum legitimum & primariũ Chriſti vicarium & œconomum in hac ſua domo Eccleſiaſtica, agnoſcunt & confitentur; verùm etiam in ſuis doctrinis ac miniſteriis ritus, & veritatem huius Eccleſiæ Romanæ (quam Petrus fundauit & inſtituit) annunciant & exercent. Hos, quamuis peccatorum maculis aſperſa eorum ſit vita, ſequi debent fideles, qui in familiam Chriſti cooptari cupiunt. Hi viam veritatis docent, & verum Dei cultum ipſi ſoli habent.

Sathanæ autem myſterium eſt, quod in ſcripturis ſacris nõ habet fundamentum, nec à Deo proceſsit, ſed Sathanas confinxit. De quo B. Ioannes Apoc. 2. de tenentibus doctrinam Balaam. Huius ſunt diſpenſatores omnes, qui Romanæ Eccleſiæ aduerſantur, qui doctrinam illi contrariam populum docent, qui alios nouitios ritus & nouos Dei cultus ex inferno

orbi

orbi importarunt. Hi prædicant myſterium iniquitatis, quod Sathanas confinxit, ipſiſqúe reuelauit. Tales diſpenſatores fuerunt Lutherus., ac Melanchthon, & ſunt modò Caluinus, Brentius, aliique hæretici. Hos fugiant auditores; nam docent falſitatem & perditionis viam, Hæreticum hominem deuita. *Tit. 3:*

2 Secundò, indicat quibus in rebus conſiſtat tale miniſterium: nempe in fideli diſpenſatione myſteriorum Dei, vt ſcilicet, Concionatores Euangelium Chriſti, in quo diuina gratia, atque dona Dei concluſa tenentur, populo ſincerè proponant, & fideliter doceant, Legẽ ad ſalutem neceſſariam manifeſtent, & vnde ſit petenda virtus qua Lex Dei impleatur, monſtrent, Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, &c. Petite & accipietis. Sacramenta quoque ſicut Romana docet Eccleſia ex Chriſti inſtitutione adminiſtrent. *Miniſterium quibus in rebus conſiſtat.* *Matth. 7.*

Non enim impedit quò minus quis ſit verus ac fidelis miniſter Chriſti, ac legitimus Epiſcopus, quòd ſit princeps & principis filius, potens, diues, Elector, Dominus, nobilis, ſi modo vocationi reſpondeat, Euangelium diligenter & fideliter prædicet, Legem ad ſalutem neceſſariam ſubditis annunciet, ſi ſeptem Sacramenta iuxtà ritum ſanctæ & catholicæ Romanæ Eccleſiæ fidelibus adminiſtret; multos ad fidem conuertat, & in ipſa confirmet, doctrina ſua, & vitæ probitate Eccleſiam ædificet. Si modo etiam famoſos peccatores benignè arguat, peruicaces & incorrigibles puniat, reſipiſcentes amicè ſuſcipiat, refractarios eoſqúe qui aliis ſunt ſcandalo anathemate feriat, pauperibus proſpiciat, afflictos conſoletur, & peregrinos ſuſcipiat, hæreſes cognoſcat, ipſáſque refutet, & veritatem catholicam populò proponat, hæreticos ad reſipiſcentiã compellat, & nolentes acriter plectat carcere, & aliis pœnis, ſi res poſtulet, ac tandem pedo paſtorali abigat.

Si ergo Epiſcopi præſtiterint quod ſuum exigit munus, quid obſtat, quò minus illa ſuperius enarrata poſsideant, cùm diuino iuri atque præcepto non repugnent? Quòd ſi repugnãt, oſtendant aduerſarij cui diuino iuri, aut cui aduerſentur præcepto: quod hactenus neminem ipſorum oſtendiſſe ſcripta teſtantur. Nihil eſt etiam quod poſſeſsionem illam rerum temporalium, ſi licitè & honeſtis mediis ſint partæ, illis auferat. Quid impedit quò minus Eccleſia, vel Eccleſiaſtici Epiſcopi, aut religioſi viri res poſsideant temporales, ſi pia bonorum munificentia hoc ipſis præſtiterit? Licet multorum malitia & inuidia, hoc non ferant: ferunt tamen iura, tum diuina, tum humana, vt Eccleſia & Eccleſiaſtici viri, res, dominia, & alias prærogatiuas ſeculares poſsideant, & eorum ſint domini legitimiqúe poſſeſſores.

Damnat tamen Eccleſia illorum ſententiam, qui arbitrantur illum Epiſcopum vel paſtorem probè ſuo officio perfungi, qui neglectis miniſteriis ſpiritualibus, putat ad ipſum dũtaxat ſpectare debere, vt bona tẽporalia Eccleſiæ amplificet, decimas colligat, oblatas recipiat, iura ſua temporalia tueatur, imperium exerceat, interim lupum graſſantem non curet, interim oues errantes, & animas verbi Dei fame pereuntes negligat, ac nemo lupis reſiſtat, euangelium nemo prædicet, nemo Sacramenta adminiſtret: hos enim iudicamus infideles miniſteriorum Dei diſpenſatores, perditos, infeliceſque paſtores, vt qui nihil habebunt quod reſpondeant, vbi Dominus ſanguinem illarum animarum ab ipſis exegerit. Ezech. 3.

Conditiones boni miniſtri. Inter conditiones ergo boni miniſtri, requiritur vt ſit fidelis, alibi adiicitur in Luca, prudens. Fidelitas in hoc eſt vt nihil con filiorum Dei cælet. Prudentia vt omnia ſuo tempore & ordine in ædificationem corporis Chriſti ſimplici prudentia, & prudenti ſimplicitate diſpenſet.

Diſpenſatores fideles non debent deterreri ab executione ſui officij inſania mundi. 3 Tertiò in hac Epiſtola docet Apoſtolus, bonos Epiſcopos, & fideles diſpenſatores myſteriorum Dei, non debere deterreri à recta via, ac retrahi ab obſequio fideli, per inſanias mundi, ſalutarem Chriſti doctrinam malè iudicantis, damnantis, blaſphemantis, peruerſaque mente interpretantis. Nam fidelium miniſtrorum eſt, officio ſuo diligenter fungi, atque doctrinam quam Apoſtoli in Eccleſia reliquerunt, fidelibus tradere, nec non eandem ſicuti vniuerſa docuit Eccleſia, interpretari: Sacramenta adminiſtrare, non comminiſci nouam doctrinam. Eorum quoque eſt abigere hæreticos, ſchiſmaticos, apoſtatas, vociferagos, aſſentatores, loquentes placentia, zoilos, iniquos & blaſphemos, infamatores, &c.

In Epiſcopos & diſpenſatores myſteriorum Dei Deus ſuo animaduertet tempore: quamuis hæretici ſiniſtrè iudicent, de Papa, Cardinalibus, Epiſcopis, Sacerdotibus, Catholicis, Monachis, ac aliis Eccleſiæ Catholicæ miniſtris: cùm tamen ſummè nobis cauendum ſit, ne ſerui ſententiam Domini anticipemus: vtpote cui omne iudicium de occultis deferri debeat: cuius oculis perſpicua ſunt omnia. Nam ſolus is laudabilis, quẽ Deus laudauerit, qui omnia occulta & non viſa cognoſcit. Heb. 4.

Sed vtinam ſic vita noſtra, ac miniſtrorum Eccleſiæ, eſſet inſtituta, vt cum Paulo dicere poſſemus, & auderemus; *Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum; qui autem iudicat me, dominus eſt. Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Nolite ante tempus iudicare: quoad vſque veniat dominus, qui & illuminabit abſcõdita tenebrarũ, & manifeſtabit cõſilia cordium: tunc laus erit vnicuiq; à Deo.* Quaſi dicat, Semper ſunt in Eccleſia falſi Docto-

res,

res, qui catholicorum doctorum vitam calumniis polluant, conuiciis falſis dilacerent, & miniſterio detrahant. Sed infracto animo id ferendum eſt, quando conſtat Deum futurum iudicem. Quamuis ſim ita iuſtificatus, vt nullius criminis mihi ſim conſcius, non propterea meæ iuſtitiæ certitudinem habeo: quia dominus qui videt cor, iudicat me. Ego homo video ea quæ foris ſunt tantum, dominus autem videt cor. *1. Reg. 16.*

Impoſsibile eſt enim in hac vita cognoſcere, quis coram Deo ſit iuſtus: facillimè enim zizaniorum ſpecie decipimur: & ea de cauſa non debemus præcipitare iudicium noſtrum ante diem iudicij, in quo primum innoteſcet qui verè ſint iuſti, quique iniuſti. Doctrina hæc elicitur, expreſſum Dei verbum eſſe non licere alicui priuata auctoritate miniſtros Dei, nec proximos ſuos iudicare. Oppreſſum & offuſcatum eſt verbũ Dei à Luthero, Brentio, Caluino, & aliis hæreticis, qui iudicant & docent iudicandos Papam, Epiſcopos, Monachos, ac reliquos eccleſiaſticos ordines, Catholicos eſſe malos, flagitioſos, facinoroſos, & indignos, quibus ipſi conuiuere debeant directè contra illud Euangelicum, Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, &c. *Expreſſum Dei verbum docet neminẽ temerè iudicandum* *Lucæ 6.*

Expreſſum item Dei verbum eſt, neminem eſſe certum de ſua ſanctificatione, quamuis nullius criminis ſibi ſit conſcius. Hæretici docent contra Paulum, ſola fide certos reddi homines de ſua iuſtificatione, quum in Chriſto Ieſu neque circuncifio aliquid valeat, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.

EPILOGVS.

1 *Ne Apoſtoli quidem (vt interim taceam de Pſeudoapoſtolis) nimia laude honorandi ſunt. Ideo alibi dicit: Nunquid Paulus crucifixus eſt? Miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei haberi debent. De laudibus miniſtrorum Eccleſiæ acceptandis, vt nec totum, nec nihil accipiatur, vide Auguſtinum Epiſt. 84. ad Aurelium.*

2 *Inter conditiones miniſtri, requiritur vt ſit fidelis: alibi adiicitur in Luca prudens. Fidelitas in hoc eſt, vt nihil conſiliorum Dei celet. Prudentia, vt omnia ſuo tempore & ordine in ædificationem corporis Chriſti, ſimplici prudentia, & prudenti ſimplicitate diſpenſet.*

3 *Quoniam Dei oculis perſpicua ſunt omnia: cui omne iudicium de occultis deferri debet, cauendum nobis eſt, ne ſerui ſententiam domini anticipemus. Nam, ſolus is laudabilis, quem Deus laudauerit, qui omnia occulta & non viſa cognoſcit.*

DOMINICA TERTIA ADVENTVS DOMINI, EVANGELIVM.

Mat. 11.

IN illo tempore, quum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium exſpectamus? Et reſpondens Ieſus, ait illis: Euntes, renunciate Ioanni quæ audiſtis & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur, & beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis & plus quàm Prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

Paſtoris boni officia.

HOc Euangelium complectitur boni Paſtoris ac auditoris officia, nec non eorundem à mundo, & à Deo mercedē.

1 Primùm Paſtoris boni officia ſunt, prędicare legem & Euangelium, hoc eſt: pœnitentiam, in remiſsionem peccatorum, quam in Sacramentis conſequimur. Sic prædicabat Iſaias legem cap. 58. Clama, ne ceſſes: annuncia populo meo ſcelera eorum, & Euangelium. cap. 9. Puer natus eſt nobis. Sic prædicabat Ioannes Baptiſta, Legem. Luc. 3. Genimina viperarum, &c. & Euangelium. Ioan. 1. Ecce agnus Dei, &c. Sic prędicabat Chriſtus, Legem. Matth. 11. Væ tibi Corozaim: & Euangelium, eodem cap. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, &c.

Ioan. 6. & 7.

Deinde ad boni paſtoris officia pertinet, dimouere populum à ſe, ac remittere & ducere ad Chriſtum. Hoc fecit Ioannes Baptiſta: miſit enim duos ex diſcipulis ſuis ad Chriſtum, non quidem ſua, ſed diſcipulorum cauſa, quibus reſpondit Chriſtus.

Luc. 7.

Primò operibus, Curauit enim eadem hora multos, ſcilicet, cæcos, claudos, ſurdos, mutos, leproſos, & alios ægrotos: mortuos quoque ad vitam reſuſcitauit.

Mat. 9.
Luc. 7.

Secundò reſpondit verbis Luc. 7. *Ita renunciate Ioanni quæ vidiſtis & audiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, leproſi mundantur, mortui reſurgunt, pauperes lætum Euangelij nuncium accipiunt.* Quo nimirū facto remiſit illos diſcipulos Ioannis ad ſcripturam. Iſaiæ cap. 61. Spiritus domini ſuper me, eò quòd vnxit me dominus: ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, &c: Item cap. 35. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.

Ioan. 11.
Chriſtus ex ſcripturis quærendus.

Docemur vtique nos Chriſtum ex ſcripturis nobis eſſe quęrendum, ex præcepto Chriſti dicentis, Scrutamini ſcripturas, quoniam ipſæ teſtimonium perhibent de me. Ioan. 5.

Docemur etiam Chriſto, & non alteri, has Iſaiæ ſcripturas

qua-

quadraſſe: eſtque nobis ſtatuendum contra Iudæos, nos verum Meſsiam habere, colere, & adorare; illos verò falſum expectare. Facta hæc Chriſti nihil aliud ſunt quàm mera benefacta, Meſsiam ex prophetiis adeſſe teſtantia. Meritò igitur contra eos gloriari poſſumus & dicere: Non eſt alia natio tam grandis quæ habeat Deos ita appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter. *Deut.4.*

Tandem ad boni paſtoris officia ſpectat, hortari ne quis offendatur in humili forma atque ſpecie Chriſti. Nam licet Euangelij doctrina ſit ſimplex ac humilis, tamen continet in ſe Dei virtutem ad ſalutem omni credenti. *Rom.1.*

Demum complectitur præſens Euangelium paſtoris boni mercedem, à mundo & à Deo. A mundo accipit contemptum, inopiam, vincula, & mortem. Sic Iſaias ſerra ſub Manaſſe rege Iuda ſectus eſt. Ieremias apud Taphnas in Aegypto lapidatus. Ioannes Baptiſta decollatus. Matth.14. Mar.6. Chriſtus crucifixus, ac reliqui Apoſtoli omnes variis ſuppliciis affecti. vt ſatis latè patet in Actis.5.12, & 16.c. *Paſtoris boni merces duplex.*

Mercedem quam bonus paſtor accipit à Deo, primò intelligimus victum. Lu.10. Dignus eſt operarius mercede ſua Mat.10. Cor.9. Sic pauit Deus Eliam.3.Reg.19. Danielem in lacu. Dan.6. Deinde honorem.1.Tim.5. Presbyteri duplici honore digni ſunt, præſertim qui laborant in verbo. Sic Chriſtus commendauit Ioannem Baptiſtam, à natiuitate. Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Matth.11. ab officio. Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam, &c. à conſtantia. Quid exiſtis videre, arundinem vento agitatam? Matth.11. Poſtremò ab auſteritate veſtitus. Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Ibidem & Lucæ 7. *Luc.7.* *Malach.3.*

Poſtremò hanc mercedem intelligimus æternam ſalutem. Dan.12. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, &c. Sic conſequuti ſunt vitam ęternam Prophetę, Apoſtoli, Martyres, atque Confeſſores. *Heb.11.*

2 Reliqua pars huius lectionis, complectitur boni auditoris officia: vt primò tanquam bonus agricola, agrum cordis ſui præparet, lapides eiiciat, ſpinas & tribulos eradicet, obediat Euangelio & Eccleſiæ Romanæ, vt ſic cor ſuum à peccatis & vitiis mundet. Secundò, vt cor mundatum & purgatum ſanguine Chriſti per Sacramenta ſibi communicato, & aratro pœnitentiæ bene cultum, diuino ſemine verbi Dei irriget, virtutibuſque euangelicis exornet, iuxta illud Boëtij lib.3. Metro 1. Qui ſerere ingenuum volet agrum, liberet arua prius fruticibus. Tertiò, vt àgrum cordis, aratro legis bene cultum, & ſemine diuini verbi irrigatum, euāgelicis virtutibus decoratum ſepibus muniat, *Auditoris boni officia.*

ne à feris & beſtiis diſsipetur & conculcetur, néve mors & peccatum per ſenſus corporis quaſi per feneſtras intret. Iere. 9. Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.

Luc. 11.

Auditoris boni merces duplex.

Poſtremò, boni auditoris mercedem ponit. Primam à mundo, nempe aliquando contemptum, perſecutionem, crucem, & mortem. Omnes qui piè viuere volunt, perſecutionem patientur. 2. Tim. 3. fili, accedens ad ſeruitutem Dei, præpara animã tuam ad tentationem. Eccle. 2. Secundã à Deo: nempe æternã beatitudinem, iuxta illud Lucæ 11. Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

Verbum Dei cur audiendũ.

Audiendum quippe eſt verbum Dei, propter eos qui prædicant: quando enim prædicant doctrinam eccleſiaſticam, & catholicam, loquitur per eos Spiritus ſanctus: & qui eos audit vel ſpernit, Chriſtum audit vel ſpernit. Luc. & Matt. 10. Ioan. 13. Sunt enim Dei coadiutores & miniſtri. 1. Corin. 3. & 4. 2. Corinth. 11. Coloſſ. 1.

Audiendum quoq; eſt propter pericula, quę imminent contẽnentibus verbum Dei. Si enim beati ſunt qui audiunt, profectò infelices ſunt qui non audiunt. Matth. 11. Væ tibi Corozaim, &c.

Inſuper audiendum eſt verbum Dei, propter commoda, quę veniunt audientibus. Verbum enim Dei ſolatur peccatores, ne deſperent in peccatis: terret obſtinatos, vt reſipiſcant: conſeruat auditores in fide: incendit ad charitatem, in qua noſtra iuſtitia conſiſtit: docet quo pacto ſint purificanda corpora vt accipiant Spiritum ſanctum, nempe per Spiritum ſanctum.

EPILOGVS.

1 *Legatio diſcipulorum Ioannis ad Chriſtum inſtituta, non quòd Ioannes dubitaret Chriſtum Meſſiam eſſe, neque carcere territus mutauit confeſſionem ſuam: ſed quia eius diſcipuli humanum quiddam de Chriſto patiebantur, ne pernicioſæ materiam opinionis, & Ioannitas pro Chriſtianus relinqueret, ablegauit ſuos.*

2 *Facta Chriſti (cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui excitantur, pauperes euangelizantur) quid ſunt, niſi mera benefacta, Meſſiam ex prophetiis adeſſe teſtantia?*

3 *Magna laus, Ioannis vocis clamantis in deſerto, à conſtantia, à vita, à ſcriptura, & quòd inter eos qui ex mulieribus naſcuntur, nemo maior Ioanne Baptiſta exortus fuit.*

DOMINICA QVARTA ADVENTVS, EPISTOLA.

Philip. 4.

FRatres, Gaudete in Domino ſemper: Iterum dico, gaudete, Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Dominus enim propè eſt. Nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deũ. Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

In

IN HAC Epiſtola Paulus facit tria. Primò docet quemadmodum nos gerere debeamus erga Deum: nempe Gaudere in Domino, idque ſemper: quaſi dicat: Nolite gaudere in auro, argento, dominatione, poteſtate, faſtu, delitiis, comeſſationibus, ebrietatibus, otio turpi, impudicitia, libidine. quales deſcribit Salomon in Prouerb. 2. cap. Lętantur cùm malefecerint, & exultant in rebus peſsimis. Hæc enim omnia falſa, doloſa & pernicioſa gaudia ſunt, quę nunquam verè corda tangunt. Sap. 2. Venite, fruamur bonis, &c. Nunquam ſynceriter afficiunt. Ioan. 4. Qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum. Nunquam in afflictionibus perdurant.

Quomodo nos gerere debeamus erga Deũ

Sap. 5.

Sed debemus in Domino ſemper gaudere. Eſt autem in Domino gaudere, iuſtitiam, pacem, & gaudiũ de reconciliatione in corde gerere. Ioan. 20. Gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino. Semper gaudere in Domino eſt, non contriſtari, ſiue ingruant proſpera, ſiue premant aduerſa. Rom. 5. Sed & gloriamur in tribulationibus, &c. Iuſtum quippe eſt vt nos lætemur, pro illo patientes exigua, qui pro nobis paſſus eſt acerbiſsima: atque etiam gratitudinis ratio hoc poſtulat, vt nos pro illius confeſſione patiamur, qui pro noſtra redemptione tulit intolerabilia.

Gaudere in Domino quid.

Semper in Domino gaudere quid.

1. Pet. 2.

Sicut enim abundant paſsiones Chriſti in nobis: ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. 2. Cor. 1. Nam Deus mala quibus premimur, vt nos probet, immittit. Vnde Paulus. 2. Cor. 6. ait: Quaſi triſtes, ſemper autem gaudẽtes, & Rom. 12. Spe gaudẽtes, in tribulatione patientes. Sanctus Lucas in actis: Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Omne gaudiũ exiſtimate cùm in varias tentationes incideritis. D. Petrus: Nemo veſtrum patiatur vt fur, aut maledicus. Si autem vt Chriſtianus, glorificet Deum in iſto nomine.

Act. 5.

Iacob. 1.

1. Pet. 4.

Secundò, docet Apoſtolus, quemadmodum nos gerere debeamus erga omnes homines, nempe modeſtiam noſtram notam facere omnibus hominibus, quaſi dicat: Eſtote erga homines, mites, placidi, manſueti, non inſolentes, hoc eſt vitam veſtram ſic inſtituite, vt neminem offendatis, nemini damnum inferatis, nulli moleſti ſitis, omnibus hominibus placeatis: citra tamen diuinorum præceptorum violationem, atque tranſgreſsionem. Quare boni conſulite quicquid dixerint, aut fecerint homines. Rom. 8. Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? &c. Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Eſtote cũ diuitibus opulenti, cum pauperibus pauperes, cum infirmis debiles, cum fortibus robuſti. 1. Cor. 9. & in calce cap. 10. Patientes eſtote erga omnes. Epheſ. 4. Cum patientia ſupportantes inuicem in charitate, &c.

Quomodo nos gerere debeamus erga proximis.

Rom. 12.

Hoc vult vocabulum ἐπιεικὲς quod ſignificat, humanitatem,

Modeſtia quid moderationem, æquitatem, modeſtiam, manſuetudinem. Eſt autem modeſtia ſiue moderatio, virtus, qua homo redditur promptus ad compatiendum, facilis ad remittendum, tractabilis ad conuerſandum, paratus ad ſubueniendum.

Quomodo gerere debeamus nos erga noſipſos. 3 Tertiò, docet quemadmodum nos gerere debeamus erga noſipſos, nempe: de nulla re nos debere anxiè ſolicitos eſſe: ſed omnem curam noſtram in Deum, quando vocationi ſeruimus per orationem reiicere: quaſi dicat: Si quippiam in hac vita acciderit, quod vobis noceat, tum vos ad Deum conuertite, in omni precatione, obſecratione, & gratiarum actione.

Oratio quid. *Quatuor ad orationem pertinentia.* Eſt autem oratio colloquium cum Deo: cui Paulus tribuit quatuor: verba ſcilicet ſiue inuocationem, gratiarum actionē, neceſsitatem ſiue petitionem, & obſecrationem: quæ ſignificātur, per incenſum veteris Teſtamenti, nempe per thuribulum aureum, Heb. 9. Carbones ardentes. Leuit. 6. Thus ac thymiama. Exod. 30. & fumum aſcendentem de thuribulo. Sicut enim thuribulum oportebat eſſe aureum, ſic verba orationis debent eſſe pretioſa. *Matth. 6.* Cùm oratis, dicite: Pater noſter, &c. Et ſicut ſacerdotes oportebat ignem ſumere de altari, ſic preces noſtræ debent in ſolam Dei miſericordiam dirigi. Luc. 18. Ieſu fili Dauid miſerere mei. Sicut etiam thus imponebatur carbonibus ardentibus, ſic id quod petimus debemus nominatim exprimere. Luc. 18. Interrogauit Ieſus cæcum, dicens: Quid tibi vis faciam? at ille dixit: Domine, vt videam. Et ſicut fumus aſcendebat in altum, ſic preces fidelium per fidem, & charitatem, atq; humilitatem effuſæ, penetrant cælos. Eccleſ. 35. Oratio humiliantis ſe nubes penetrat, &c. Hæ ſunt conditiones orationis rectæ, qua Eccleſia, & ſancti orant: quibus pax Dei quæ ſuperat omnem intellectum adipiſcitur.

Concludit autem poſtremò Epiſtolam precatione feſtiua, qua precatur eorum corda à Deo gubernari, in pace cuſtodiri, muniri, regi & conſeruari per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, vſque in finem, Amen.

Documentum. Docemur hac Epiſtola, Chriſtianos ita debere eſſe ſtabiles in fide, fideique doctrina, vt nihil poſsit ſors vlla dare, quod ipſorum perturbet animos, vel planè conſternat. Nam tantum abeſt vt aduerſæ fortunæ liceat Chriſtianis ſuccumbere: vt teneantur etiam vel ſummis irruentibus calamitatibus ſingulari animi æquitate, ac moderatione, quæ Deus immiſerit tolerare. Quod vſque adeò Chriſtiani facere tenentur, vt geminata exhortatione ad gaudium Paulus Philippenſes, in ipſiſque omnes Chriſtianos compellat. Apoſtoli, Martyres, ac plerique alij Sancti, quos tyrannorum diuexauit, ac torſit crudelitas, vel aliqua alia afflixit triſtitia, gaudebant vehementer ſe in illam deueniſſe, Deo ordinante, conditionem, quæ maximis

cir-

circumſcepta eſſet miſeriis, tentationibus, atque afflictionibus. Nam ſciebant id quod Dauid multò antè ipſis prædixerat: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerũt animam meam. Pſal. 93. Et quod Paulus 1. ad Corinthios 10. Fidelis eſt Deus, qui non patietur nos tentari ſupra id, quod reſiſtere poſſumus: ſed faciet cum tentatione prouentũ. Gaudeant igitur omnes Chriſtiani, dum maximè affliguntur: nam filij ſunt Dei, quos laborantes videt, afflictos intuetur, contendentes obſeruat, & præliantes iuuat, vincenteſque coronat. Exemplo ſint Iob, Thobias, Dauid, ſanctus Anthonius, atque complures alij, qui vel in maximis calamitatibus, ſpirituali perfundebantur gaudio. *Iudith 8.* *Hebr. 11.*

EPILOGVS.

1 *Chriſtianorum eſt ſemper gaudere in Domino, etiam in mediis afflictionibus, ſcientium quod afflictio patientiam pariat, patientia probationem, probatio ſpem: porrò ſpes non pudefacit, & Dominus prope eſt.*

2 *Vita Chriſtiana eſt modeſtiæ profeſſio. Hæc ſic nota ſit omnibus hominibus, ut boni meliores fiant exemplo Chriſtianorum, & mali concilientur aut frangantur.*

3 *Conditiones orationis, rectæ, qua Eccleſia & ſancti orant, quibus pax Dei quæ ſuperat omnem intellectum adipiſcitur.*

DOMINICA QVARTA ADVENTVS DOMINI, EVANGELIVM.

IN illo tempore, Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus. Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non. Dixerũt ergo ei: Quis es? vt reſponſum demus his, qui miſerunt nos: Quid dicis de te ipſo? Ait: Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini ſicut dixit Eſaias Propheta. Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis, & interrogauerunt eum, & dixerũt ei: Quid ergo baptizas ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta? Reſpondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua. medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis: Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cuius ego non ſum dignus vt ſoluam eius corrigiam calceamẽti. Hæc in Bethania facta ſunt, trans Iordanem vbi erat Ioannes baptizans. *Ioan. 1.*

PRAESENS Euangelium complectitur tria. Principiò, captioſam Iudæorum interrogationem qua Ioannem irretire moliebantur. Videtes enim tempus Meſsiæ adeſſe, aggrediuntur Ioannem tribus mediis, ſcilicet verſutia. Miſerunt enim ad eum non plebeios aut viles homines: à pagis aut obſcuris oppidis, ſed è ciuitate Ieroſolymitana, metropolitana, atque primaria, Sacerdotes, & Leuitas, vt eorum aduentu inflatus, honoris irritamentum perciperet, indeque ſuperbiret, aliquid ſibi tribuens, ratione cuius magnus & mirabilis ipſis haberetur. 1 *Interrogatio Iudæorũ captioſa in tribus.* *Verſutia.*

Secundò, aggrediuntur eum blanditiis: deferunt enim ei non
Blanditiæ. vulgarem honorem. ſed omnium maximũ, nempe, honorem
Meſsiæ Sunt enim parati ſuſcipere illum pro Meſsia, & totius
Iſraëlitici populi rege, & Saluatore, tam longo expectatum
Deut.18. tempore. De quo dictum erat: Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quę præcepero illi. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam.

Contendunt quoque pari conſilio, ipſum celebriter extollere pro Elia, aut alio propheta magno: ſed Ioannes quia illam dignitatem nullo iure ſe habere poſſe intelligit, oblatã ſibi gloriam reſpuit Scit ſe non eſſe redemptorem, ſed captiuum: non regem, ſed regis ſeruum: non Meſsiam, ſed Meſsiæ legatum.

Nemo falſò dignitatu aut officiorũ titulos ſibi vſurpet. Docentur Chriſtiani principes, & vniuerſi Chriſtiani, non licere falſis titulis aliorum dignitatis, & officia vſurpare, quin exemplo Ioannis etiam oblatas recuſare. Fecit hoc rex Poloniæ, qui regnum Boæmicum, quia ciues heretici erant, ſuſcipere recuſauit. Conſule R. D. Staniſlaum Hoſium Cardinalem, Epiſcopum Varmien. lib. 1. de hereſibus, contra Brentium, circa
Matth.23. ca initium: Nolite vocari Rabbi, neque magiſtri. &c. Hebr. 5. Nemo aſſumat ſibi honorem, &c.

Minæ. Tertiò, aggrediuntur Ioannem minis. Cùm enim viderent ſe per verſutiam, & amicam honoris oblationem, nihil promouiſſe, excandeſcunt, & dicunt: *Quis ergo es? Quid dicis de teipſo? vt reſponſum demus his qui miſerunt nos ad te.* Inſtant, vt vel minando quod optant ab ipſo extorqueant. Quia Chriſtus obſcuro genere natus, & conuerſatio Chriſti communis, tanquam vnus enim ex multitudine verſabatur, & veſtimenta Chriſti nihil à vulgo differentia. econtra, Ioannis natales celeberrimi, vita aſperrima, indumentum è pilis camelorum, cibus locuſtæ, &c. maluiſſent Iudæi Ioannem quàm Chriſtũ magiſtrum habere: & ideo mittunt preſtantiſsimos legatos, ſacerdotes, & Leuitas ab ipſis Hieroſolymis, ſi Ioannem his tribus mediis præmiſsis
Quos mundus honoribus dignos æſtimet. huc pertrahant, vt ſe Chriſtum dicat. Sic caro ſemper eos tantùm ſuſcipit, veneratur, & honore dignos arbitratur, qui externa aliqua re conſpicui ſunt: vtpote, generis nobilitate, diuitiis, fauore hominum, vel etiam externa ſanctitate, etiam ſi reipſa ſint indigniſsimi. Sic ad honores ſubuehuntur, qui nobilitate, potentia, diuitiis pollent, etiam ſi ſint ſtupidiſsimi, & moricho ſtultiores. Pauper verò vbique iacet, & ſi etiam digniſsimus. Væ qui ædificatis Syon in ſanguinibus. Habac. 2. Ezech. 24. Nahum 3.

Conſtantia Ioannis. 2 Pro ſecunda parte complectitur præſens Euangeliũ Conſtantiam Ioannis. interrogantibus enim liberrimè reſpondit:

Non

Non ſum ego Chriſtus, neque Elias, neque propheta, ſed vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei veſtri. Iſaiæ 40. Negauit ſe Ioannes eſſe Chriſtum: venit enim Ioannes, parare viam Domino, & dimouere à ſe omnes homines, atque adducere ad Chriſtum, vtpote ad verum Meſsiam. Præibis ante faciem Domini parare vias eius. Negauit quoque ſe eſſe Eliam Theſbitem, curru igneo ſublatum. 4. Reg. 12. Licet angeli teſtimonio fuerit in ſpiritu & virtute Elias. Luc. 1. Negauit etiã ſe eſſe prophetam. Non enim fuit ex eorum numero, qui venturum Chriſtum ſunt vaticinati, ſed præſentem digito commonſtrauit, dicens: Ecce agnus Dei. Ioan. 1. vel negauit ſe eſſe illum prophetam Patribus in lege promiſſum, qui erat Chriſtus, de quo dicitur, Deut. 18.

Luc. 1. *Deut. 18.*

Sed oſtendit vocationem ſuam ex Iſa. 40. ac ſi dicat: Mei officij eſt clamare, prædicare, non meum, ſed Dei verbum, vox ſum, præco ſum ille, quem Iſaias ante octingentos annos prædixit vos audituros in aduentu veri Meſsiæ: Non ſum Chriſtus, non Elias, non propheta, ſed vox clamãtis, in deſerto, vox Dei, cuius mandato ad vos clamo: Parate viam Domini, &c.

Officiũ Iohannis ex Iſaia.

3 Tertiò, comprehendit Euangelium hoc Indignationem Phariſęorum, & expoſtulationem cum Ioanne. *Cur igitur baptizas? ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* Quaſi dicant: Si tu non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta, nõ habes authoritatem vllam peculiarem tibi a Deo conceſſam, cuius virtute aliquid noui in religione mutanda tentare poſsis. Propriũ ius tibi vendicas, arrogaſque tibi poteſtatem, atque talem excitas in populo Iſraëlitico nouitatem, vt in tanta rerum perturbatione nemo ſciat quò ſe vertere debeat. Debueras primùm conueniſſe principes ſacerdotum, & ſeniores populi, vt ab illis titulum, & authoritatem fuiſſes conſecutus, ipſiſque tui inſtituti rationem, & cauſam demonſtrare debueras: viderent ipſi, num iure id tibi eſſet permittendum.

Indignatio Iudæorũ in Ioannem.

Ad hæc verba Ioannes modeſtiſsimè reſpondit: *Ego baptizo in aqua, Medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis: ipſe eſt qui cùm me ſequeretur, ante me factus eſt. cuius ego non ſum dignus vt ſoluam corrigiam calceamenti eius, ipſe eſt qui vos baptizabit ſpiritu & igne.*

His verbis, Primò cõfitetur ſimpliciſsimè, quis ſit, quæ ſit ſua vocatio, quod munus & officium, & teſtatur de Chriſto: quòd ſit filius Dei, quòd fuerit ante aſſumptam naturam humanam: In principio erat verbũ. Ioan. 1. Quòd ſit agnus Dei. Secundò diſcernit baptiſmum Ioannis & Chriſti, hunc vocat baptiſmum aquæ, iſtum vocat baptiſmum ignis.

Iohannis quis ſit quæve ſua vocatio. *Baptiſmatis Iohanis & Chriſti differentia, Matth. 3.*

Ex hoc Euangelio conſtat voluntaria cæcitas Iudæorum, & peruerſum animorum ſuorum affectum cognoſcimus: vt qui cùm docti fuerint, certoque ſciant ex ſcripturis quàm plurima

ſigna

ſigna ſibi multis retro ſeculis à Deo pro vero Meſsiæ dignoſcendo exhibita, nil minus curant: ſed Dei voluntate & prouidētia neglectis, non eum ſuſcipiunt Chriſtum & Meſsiam, quem Deus optimus ac maximus ad ipſos mittit. Sed hunc negligentes, ipſi Chriſtum ſibi fingere & eligere præſumunt, quem in ſuis vitiis diſsimulandis habeant propitium. Tales ſunt noſtro ſeculo Lutherani, & reliqua fex hæreticorum: quales ſunt Caluinus & Brentius, qui reiecta vera Chriſti doctrina, ipſoq; Chriſto neglecto, aliam doctrinam, & alium Chriſtū ſibi impudentiſsimè auſi ſunt cōminiſci: imitantes Iudæos, qui Chriſti & Meſsiæ nomen in Ioanne amabant, interim perſonā veri Meſsiæ in Chriſto contemnebant. De his Iſaias cap. 30. Populus enim ad iracundiam prouocans eſt, &c.

Cæcitas Iudæorum notatur.

Tales etiam ſunt mali Chriſtiani catholici, qui ita interdum ſuis vitiis ſunt dediti, vt nomine tantùm Chriſtiani ſint, reuera Chriſtum atque eius doctrinam contemnant. De eiuſmodi ait Paulus ad Tit. 1. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.

Interrogatio Iudæorū malitioſa in quo probata ſit.

Malitioſa autem interrogatio Iudæorū, inde conſtat, quod rogant ex Ioanne, num ſit Chriſtus, cùm nec minimū ſignum eorum, quæ prophetæ prædixerant, ipſi congruat. Non enim Ioānes erat ex tribu Iuda, ſed ex tribu Nephtalim: nec natus ex virgine, & puella, ſed ex corrupta & ſene: neque natus in Bethleem, ſed in montanis Iudææ: nec fuerat vocatus ex Aegypto, ſed ex deſerto: nec fecerat miracula, neque adoratus fuerat à regibus, nec vocatus Nazaræus, &c. Quæ omnia de vero Meſsia prophetæ prædixerant. Manifeſtiora erant hæc, quàm quæ ab ipſis, niſi volentibus, ignorari potuiſſent. Diſcamus nos non cæcutire, vbi lux ſcripturarum, tam manifeſta nobis ſequenda proponit Eccleſia. Suſcipiamus Chriſtum, & eius doctrinam, ne ſi ſecus fecerimus, ita puniamur, ſicuti tunc Iudæi, & noſtro ſeculo Germani, Angli, & Geneuenſes, qui propter ſuam malitiam Chriſtum à ſe expulerunt, & Ioannem Brentium, Martinum Lutherum, & Caluinum, magna ſuarum animarum iactura, peſtilentiſsimos hæreticos pro Chriſto ſuſceperūt iuſtiſsimo Dei iudicio à Deo derelicti. De his apoſtolus Petrus poſterioris Epiſtolæ capite ſecundo: Fuerunt verò & pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mēdaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos, dominum negant, ſuperinducentes ſibi celerem perditionem. Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur: & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.

EPILOGVS.

1 *Ioannis teſtimonium, quid non ſit (nempe non ſit Chriſtus, nec Helias nec propheta ille) & quid ſit, nimirum vox clamantis in deſerto.*

2 *Quia Chriſtus obſcuro genere natus, & conuerſatio Chriſti communis, tanquam vnus enim ex multitudine verſabatur, & veſtimenta Chriſti nihil à vulgo differentia. Econtra, Ioannis natales celeberrimi, vita aſperrima, indumentum è pilis camelorum, cibus locuſtæ, & cætera. maluerunt Iudæi Ioannem, quàm Chriſtum magiſtrum habere. & ideo mittunt præſtantiſſimos legatos ſacerdotes, & Leuitas ab ipſis Ieroſolymis, ſi Ioannem adulatione huc pertrahant, vt ſe Chriſtum dicat.*

3 *Differentia Ioannis & Chriſti, & vtriuſque baptiſmatis, cum teſtimonio Ioannis, quod argumentum eſt diuinitatis: Cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam calceamenti, &c.*

IN DIE NATIVITATIS DOMINI IESV CHRISTI EPISTOLA.

FRatres, Multifariã multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſæcula. Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorũ faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis eius in excelſis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Ad filiũ autem: Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et tu in principio Domine terrã fundaſti, & opera manuum tuarũ ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt veſtimentum veteraſcent: Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. *Heb. 1.*

IN HAC Epiſtola Diuus Paulus facit tria. Primùm, oſtendit Deum patribus multifariam, multisque modis locutum olim, per Angelos, Prophetas, per verba, ſigna, viſiones, & miracula. Sic angeli nunciabãt Abrahæ, Saram filium parituram. Gen. 18. Angeli educebant Lot è Sodomis. Gen. 19. Angelus nuntiauit Zachariæ, & Mariæ conceptionẽ Ioannis & Chriſti. Luc. 1. Sic Deus locutus eſt Samueli, Eliæ, Moſi, Iſaiæ, & aliis prophetis. 1. Regum 3. 3. Reg. 17. 19. Exodi tertio. Iſaiæ primo. Deus locutus eſt Adæ, de benedicto ſemine, Geneſ. 3. Deus locutus eſt ad Noe, Abraham, Moſen: Deus locutus eſt Moſi in rubo ardenti & nube, & Eliæ in ſibilo tenuis auræ. 3. Regum decimonono. Sunt autem angeli, & prophetæ, miniſtri æterni Dei: & ideo angeli conſolantur & defendunt. Geneſ. 19. Conſolatur angelus Agar. Geneſ. 19. Educunt Angeli Lot è Sodoma, Geneſ. 28. Iacob ab angelis cuſtoditur. *Deus multifariam Patribus loquutus eſt.*

Prophetæ

Prophetæ verò hortantur, & vera pronuntiant. Ierem. 1. 2. 3. & ſequentibus capit.

Nota bonæ voluntatis Dei ſunt verba & ſigna. Sunt autem verba, & ſigna notæ bonæ voluntatis Dei erga nos, ideoque incurrunt in aures, & aliquid iubent, facere prohibent, promittunt.

Deus Patribus locutus per filium. Præterea oſtendit Deum patribus locutum, nouiſsimis diebus per filium ſuum dilectum, per quem nobis voluit voluntatem ſuam innoteſcere. Quare præter hunc Chriſtum, nulli prophetę, nullæ reuelationes, nullum aliud verbum, nulla alia ſigna ſunt expectandá. Verbum enim quod locutus eſt Chriſtus, cõfirmatum eſt eiuſdem miraculis, morte, & reſurrectione. Vnde & potens eſt nos tueri, protegere, defendere, contra omnia mala. Romanorum octauo: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Contra falſas doctrinas. Matthei 7. Attendite à falſis prophetis, &c. Contra hæreticos Matth. 24. Contra diabolum. Pſal. 22. huc facit & 17. & 26. Denique contra carnem, & mundum.

Perſona Chriſti deſcribitur. 2 Secundò deſcribit Apoſtolus perſonam Chriſti, probans Chriſtum maiorem eſſe omnibus creaturis, etiam ipſis angelis: nimirum, quem Deus cõſtituit hæredem omniũ, per quem fecit & ſecula. Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ illius, modereturque omnia verbo virtutis, hoc eſt potentiæ ſuæ, per ſemetipſum purgatione facta peccatorũ noſtrorum, cõſedit in dextera maieſtatis, in excelſis, tanto melior angelis factus, quanto excellẽtius præ illis ſortitus eſt nomen.

Et ne quis obiiciat, Paulum hanc deſcriptionem è ſuo tantùm confinxiſſe cerebro, adducit teſtimonia ſcripturæ: *Cui dixit aliquando angelorũ, Filius meus es tu?* Pſalmo 2. Et rurſum: *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium?* Pſal. 88. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit:* Et adorent eum omnes angeli Dei. Pſalmo nonageſimo ſexto: *Qui facit angelos ſuos ſpiritus.* Pſalmo 103. *Ad filium ait: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, et odiſti iniquitatem. propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Pſal. 44. *Et, Tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis: & omnes vt veſtimentum veteraſcent.* Pſal. 101. Ad quem angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoaduſque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? &c. *Pſal. 109.*

Eſt autem ſumma horum verborum, Chriſtum eſſe natura Deum, cum patre eiuſdem diuinitatis, ſubſtantiæ & potentiæ. Vnde & potens eſt nos iuſtificare Deus qui iuſtificat. Rom. 8. etiam ſanctificare. Pſal. 3. Domini eſt ſalus. 1. Cor. 1. Inſuper & glorificare, Rom. 8. Quos vocauit, hos & glorificauit. Poteſt etiam nos tueri, protegere, defendere, contra omnia mala.

Tertiò,

3 Tertiò, commendat hic Apoſtolus Chriſti dilectionē qua vſqueadeo nos diligit, vt angelos ſuos in miniſterium noſtrum mittat. Sic angelus nunciauit Zachariæ conceptũ Ioannis Baptiſtæ, Mariæ conceptum Chriſti, Luc. 1. Paſtoribus verò Natiuitatem Chriſti, Luc. 2. Angeli nunciarunt reſurrectionem Chriſti mulieribus, Marc. 16. & aſcenſionem eius nunciarunt Diſcipulis, Act. 1. Angelus liberauit Petrum à carcere. Act. 12. Eduxit Apoſtolos è carcere, & introduxit in templum. Act. 5. Conſolabatur Paulũ. Act. 18. & cōfortabat Chriſtũ. Luc. 22. *Ex ſingulari Chriſti dilectione. Angeli in miniſterium noſtrum creati.*

Sunt enim adminiſtratorij ſpiritus, naturæ incorporeæ, & flammeæ: hoc eſt, puritate, claritate, agilitate, ignem referētes: in miniſterium Dei, & hominum creati. Sic Deo perpetuò miniſtrant. Angelus apparuit Gedeoni, Iud. 6. Angelus pauit Agar, Geneſ. 21. Angeli detulerunt in cælum animam pauperis Lazari, Luc. 16. Angeli poſt tentationem miniſtrabant Chriſto, Matth. 4. Angelus præmonſtrabat viam populo Dei in deſerto. Exod. 13. 14. & 33. aliiſque multis locis. *Spiritus adminiſtratorij.*

DOCTRINA.

1 Quamuis Deus ampliſsima beneficia in populum Iſraëliticum contulerit, vt qui per angelos mirifica ratione ipſi ſit locutus, & ſe ſuamque voluntatem declararit; multò tamen ſunt ampliora, quæ nobis liberaliſsima preſtitit munificentia. Quibus non per angelos, nec in ſomniis, nec per prophetas, nec alia quantumuis admiratione ſe inſinuauit, verùm per filiũ ſuum, non adoptiuum, ſed naturalē: ipſumque vnicum, & ſibi conſubſtantialem: quid officij à nobis ſibi exhiberi vellet, fecit notum. Non eſt locutus per ſeruum Moſen, ſed per filium vnicè charum. Huius beneficij ea eſt magnitudo, vt maximā admirationem, reuerentiam, & gratitudinem à nobis requirat. Hinc præ ingēti admiratione, ait Pſal. Quid eſt homo quòd memor es eius, & filius hominis, quia reputas eum?

2 Proinde teſtimoniis quamplurimis probat filium illũ per quem nobis eſt locutus, quamuis in ſtabulo ex virgine ſit natus; Deum tamen verum eſſe, cui par cum patre eſt imperium, & æqua maieſtas, vnaque diuinitas, & poteſtas, eundemque non tantum ſuperiorem angelis eſſe, verum etiam eorundem eſſe creatorem, Dominum & gubernatorem. Nec tantum extendi eius imperium in naturam angelicam; ſed etiam in vniuerſas alias rerum creatarum naturas. Nam ipſe eſt, per quem facta & creata ſunt omnia, quemque cōſtituit Deus hæredem vniuerſorum. *Æqualitas filij cum patre multis teſtimoniis comprobatur.*

3 Chriſtus per ſeipſum purgationem peccatorum fecit, & conſedit ad dexteram maieſtatis in excelſis, vt ſciant fideles remiſſa ſibi peccata, & regnare, vincere ac triumphare Chriſtum.

Intelli-

Intelligant etiam magnum illud,admirabile,& ſtupendum D.Chryſoſtomo adnotante,quod caro noſtra ſurſum ſedet, & adoratur ab angelis,archangelis,Cherubin & Seraphin. Exceſſum patitur Chryſoſtomus hæc cogitans. Ergo maledicta hæreſis,quæ negat veram Chriſti humanitatem.

EPILOGVS.

1 *Dei ineffabilis bonitas,qui nouiſſimè locutus eſt nobis in filio,vt per eũ qui eſt in ſinu ſuo nobis annunciaret omnia. Quomodo igitur effugiemus,ſi tantam neglexerimus ſalutem?*

2 *Teſtimonia diuinitatis pleniſſima, & varia ex ſcripturis,Pſal.2.96. 103.44.101.vt ſciamus quod is qui venit annunciare remiſſionem peccatorum Deus eſt,nec dubitemus de Dei voluntate.*

3 *Chriſtus per ſeipſum purgationem fecit peccatorum, & conſedit ad dexteram maieſtatis in excelſis, vt ſciant fideles remiſſa ſibi peccata, & regnare,vincere ac triumphare Chriſtum. Intelligant iam magnum illud admirabile, & ſtupendum, Chryſoſtomo adnotante,quod caro noſtra ſurſum ſedet & adoratur ab Angelis, Archangelis, Cherubin & Seraphin. Exceſſum patitur Chryſoſtomus hæc cogitans. Ergo maledicta hæreſis,quæ negat veram Chriſti humanitatem.*

IN EODEM SACRO DIE

EVANGELIVM.

Luc.2.

IN illo tempore, Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem. Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazareth,in Iudæam,ciuitatẽ Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eo quod eſſet de domo & familia Dauid,vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore, prægnante. Factum eſt autem cum eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret. Et peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio,quia non erat ei locus in diuerſorio. Et paſtores erant in regione eadem vigilantes & cuſtodientes vigilias noctu ſuper gregem ſuum. Et ecce angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus de ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altiſſimis deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Tẽpus natiuitatis Chriſti.

HISTORIA Euangelica de Chriſti Natiuitate, quatuor conſideranda proponit. Primùm,tempus, ſcilicet, quando natus eſt Chriſtus. Temporibus puta vltimæ Monarchiæ,ſub Auguſto Cæſare, & Herode rege, iuxta vaticinium Iacob Patriarchæ,Gene.49.& Danielis Prophetæ,capite 9. ſtante quidem adhuc politia Moſi:ſed tamen, ſeruitute ſubiecta, vt confutetur Iudæorum error,qui poſt euerſam Moſi politiam adhuc expectent Meſſiam, cùm oportuerit eum durante adhuc

politia Moſi, & adhuc ſtante ſecundo templo naſci, vt teſtatur Aggeus cap. 2. Daniel cap. 9. *Micheas cap. 4. & 5.*

Confirmatur hac doctrina animus Chriſtianus in fide articuli domini noſtri Ieſu Chriſti, quem eo tempore natum intelligit, quo prophetæ prædixerant, Eſt autem doctrina pro Iudæis conuincendis.

2 Secundò, præſens hiſtoria proponit locum, vbi natus eſt Chriſtus, nēpe Bethleem Iudææ, ciuitate Iuda, Mich. 5. Huc, quia decretum exiit à Cæſare Auguſto, vt cenſeretur totus orbis, venit Ioſeph à Nazareth Galileæ, vt proficiſceretur cum Maria deſponſata ſibi vxore, prægnante: erat enim de domo & familia Dauid. Fuit autem hæc profectio Mariæ valdè difficilis, & moleſta, propter importunitatē temporis. Nam Maria prægnās, & grauida, coacta fuit peregrinari hyberno tēpore, quando proculdubio reliquæ mulieres bigis aût curribus inſigni pompa vehebantur. Et poterat illud Dauidis dicere: Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini inuocabimus. *Locus natiuitatis Christi.* *Psal. 19.*

Fuit quoque hæc profectio tenerrimæ virgunculæ difficilis & moleſta, propter incommoditatem loci. Nam Maria coacta eſt in diuerſorio quibuſlibet etiā infimæ plebis hominibus locum dare, & in ſtabulum ad beſtias diſcedere: Hinc ait Euangeliſta, *Et non erat eis locus in diuerſorio.*

Fuit præterea illi admodum moleſta, propter priuationem auxilij. Nam ſacra virgo Maria puerpera in diuerſorio neceſſariis obſequiis deſtituta, omnium rerum inopia, & penuria premebatur: vt verè poſtmodum de ſe teſtatus ſit dilectiſsimus filius eius. D. Matth. 8. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet: In cuius paupertatem reſpexit D. Apoſtolus: Scitis gratiam, inquit, Domini noſtri IESV CHRISTI, quoniā propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia nos diuites eſſemus. *2. Corint. 8.*

3 Tertio loco, modū inſinuat, quomodo natus ſit Chriſtus: In ſumma nempe paupertate & miſeria. Nā puerperæ Mariæ propter abiectam humilitatem, nemo præſtabat officiū: nulla ibi obſtetrix: nulla muliercularū ſedulitas interceſsit: ipſa pannis inuoluit infantem, ipſa mater & obſtetrix fuit. Vbi enim dies pariendi completi eſſent: *peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit:* In præſepio ſuper fœnum reclinauit; & indubiè quem genuit adorauit, agilis & alacris cum angelis Dei ad ſanctum præſepe vigilans, & Ioſeph ſponſo ſuo, virginitatis ſuæ teſtibus, quem angelo teſte & ſpiritu ſancto illuſtrante, filium eſſe altiſsimi didicerat: cùm interim diuites & nobiles, ac potentes in plumariis ſtratis, atque lectis purpura & *Modus natiuitatis Christi.*

auro perornatis, requieſcerent: De quibus Amos 6. Væ vobiſq; qui opulenti eſtis in Sion,& confiditis in monte Samariæ optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraël. Et nõnullis interiectis: Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris, &c.

Iſai. 5.

Propalatio natiuitatis Chriſti.

4 Quartò, ponit promulgationem, quomodo ſcilicet Chriſti Natiuitas ab Angelis, & à Paſtoribus promulgata eſt. Primùm ab angelis, Angelus enim Domini apparuit paſtoribus, nocte ſuper gregem ſuum vigilantibus. Sic enim apparet omnibus vigilãtibus ſuper greges ſuos: vt patet ex Paulo, Act. 20. cap. De negligentibus paſtoribus vide, Ezech. 34.

Aſtitit Angelus illis claritate magna, & perculſi ſunt timore: conſolatus eſt eos. Gratiam Spiritus ſancti per fidem Ieſu Chriſti, & per ſacramenta pœnitentibus dari, ſerio eſt prædicandũ: quæ prædicatio verè eſt Euangeliũ. Hinc Paulus dicebat teſte Luca, Teſtificans Iudæis, & Gentibus in Deum pænitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Act. 20.

Annunciauit illis Saluatorem mundi: Dedit eis ſignum, *Inuenietis, inquit, infantem pannis inuolutum, & in præſepio reclinatum.* Plerunque in ſcripturis ſacris, in veteri Teſtamento, legimus promiſsionibus ſuis diuinis Deum ſigna adiunxiſſe.

Poſtremò, adiunctis aliis, Angeli canunt Canticum, *Gloria in altiſſimis Deo, &c.* Quo Cantico precantur Gloriam in excelſis Deo, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis.

Secundò, ponit promulgationem Natiuitatis Chriſti, per Paſtores. Deſcendentibus enim Angelis in cælum, loquebãtur inter ſe Paſtores, *Tranſeamus vſque Bethleem.* Ea profectione oſtenderunt fidem, Charitatem, Spem, Confeſsionem veritatis. Fidem oſtenderunt, quod verbis angelorum credunt, & feſtinantes Bethleem pergunt. Charitatem verò quod relictis gregibus, non ad pontifices in Ieroſolyma, non ad primates in Bethleem, ſed ad Mariam, & Ioſeph digrediuntur, deſiderio primum obſequium præſtandi.

Spem declararunt, quod ſperantes ſe inuenturos, quod angelus dixerat, pergunt. Confeſsionem denique veritatis, quod conſtanter, & liberè verbũ Dei ab angelo auditum diuulgarũt.

A planetis, elementis, & aliis quoque creaturis declarata eſt Chriſti natiuitas. Nam tres ſoles eo die in oriente viſi ſunt. vtque reuelaretur myſterium Trinitatis, poſteà in vnum ſolem recurrerunt. Stella magis apparuit Matt. 2. Fons aquæ Romæ in liquorem olei verſus eſt, vineæ Engaddi protulerunt flores, & fructus. Templum pacis ea nocte corruit, & alia multa.

Articulus fidei de verbi incarnatione, confirmatur.

Hiſtoria huius Euangelij non tantùm confirmat articulum illum noſtræ fidei de incarnatione verbi: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus

natus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria virgine, & homo factus eſt: verùm continet alias circunſtantias, quę Sacramento incarnationis verbi confirmando, multum momenti adferunt. Primò, narrat atque declarat ordinem natiuitatis Chriſti. Secūdò, docet in Bethleem Iuda, ciuitate Dauid natum fuiſſe, iuxta illud Mich. cap. 5. Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es, &c. Et iuxta illud Dauidis, Audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis ſylue. Tertiò, docet veritatem vaticinij Abacuc, qui 3. cap. dixerat fore, vt medius inter duo animalia natus, eſſet cognoſcendus. Quartò, teſtatur extremam paupertatem, in qua Chriſtus natus eſt. Quintò, narrat qui primi ipſum natum inuiſerint, adorauerintque, virgo ſcilicet, Ioſeph, atque paſtores. Sextò, refert qui teſtificati fuerint mundo eius natiuitatem, & quibus primùm: angeli ſcilicet paſtoribus. Quæ omnia multis retro ſeculis ita vaticinati fuerant omnes prophetæ. Nihil eſt igitur quo Chriſtiani dubitare poſsint de veritate huius articuli, ſed firmiter ſtatuent ipſum eſſe verum. *Pſal. 131.*

EPILOGVS.

1 *Chriſtus Ieſus dominus noſter, Deus et homo verus (anno ab initio creationis mundanæ, ter milleſimo nonagenteſimo ſexageſimo ſecundo, ſecundum Hebræorum veritatem: ſecundum ſeptuaginta quinquies milleſimo ducenteſimo primo. A diluuio bis milleſimo trecenteſimo ſexto. Ab Abrahæ natiuitate bis milleſimo 14. A Moſe, & egreſſu filiorum Iſraël de Aegypto. 159. A Salomone, & prima templi ædificatione. 131. A readificatione ſub Dario, 519. Ab vrbis Romanæ conditione 755. Olympiadis 194. anno tertio, quando firmiſſimā pacem ordinatione Dei Cæſar Auguſtus compoſuit) commodùm naſcitur in hanc vitam ex virgine Maria in Bethleem Iudæ, iuxta prophetiam Danielis 9. & Micheæ 5.*

2 *Summa Euangelicæ prædicationis de Chriſto per Angelum proclamatur, Ne timeatis, annuncio gaudium, natus eſt vobis ſeruator. Emphaſis in, Seruator, & in verbo, vobis.*

3 *Angeli adſunt domino angelorum, in conceptione, natiuitate, imò in toto circulo vitæ Chriſti, & habet cantus angelorum Euangelium, cum pacem, & εὐδοκίαν Dei annunciant.*

IN DIE CIRCVNCISIONIS

CHRISTI EPISTOLA.

CHariſsime, apparuit gratia Dei & Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè, iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo, exſpectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquere & exhortare in Chriſto Ieſu Domino noſtro. *Tit. 2.*

HAEC Epiſtola de ſalutifera Chriſti ſaluatoris natiuitate, & apparitione, oſtendit tria. Primò, quomodo apparuerit Chriſtus, nempe per ſalutiferam gratiam, atque miſericordiam ſuam. Cuius duo ſunt officia, ſcilicet, adferre ſalutem hominibus, Iudæis, & gentibus. Sic enim ait Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ. Luc. 1. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto, Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Quomodo Chriſtus apparuit.

Offi. Chriſti duo.

Deinde docere, & erudire nos, quemadmodum pueri ignorantes & errantes erudiri & admoneri ſolent earũ rerum, quas antea ignorant. Sic enim ait angelus: Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis ſaluator.

Luca 2.

2 Secundò, oſtẽdit pręſens Epiſtola, quibus apparuerit Chriſtus, nempe omniũ ordinũ, atque ætatũ hominibus, non tantum Iudæis, verùm & gentibus. *Omnibus hominibus*, id eſt, cuiuſcunque ſint conditionis, ſiue ſerui ſint, ſiue liberi: cuiuſcunque ſint ſexus, ſiue maſculini, ſiue fœminei, græcis ac barbaris. Sic enim ait Chriſtus Marci vltimo, Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Item Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis. Et Paulus. 1. Timoth. 2. ait: Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quando igitur ab hac gratia & miſericordia Dei, atque ſalutifera natiuitate, noſtra ſalus pendet, meritò laudemus, diligamus, ac glorificemus Deum, dicentes: Gratias nunc omnes reddamus domino Deo, qui ſua natiuitate nos liberauit à poteſtate Diaboli. Pſal. 102. Benedic anima mea domino; & noli obliuiſci, &c. Vide ibi ad longum.

Quibus Chriſtus apparuit.

Quare Chriſtus apparuit.

3 Tertiò, oſtendit quare apparuerit Chriſtus, nempe, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, id eſt, mundanas concupiſcentias, viuamus in præſenti ſeculo Sobriè, hoc eſt corpus noſtrum, id eſt carnem noſtram, quaſi fræno conſtringamus, caſtigemus, atque regamus, ne fiat inſolens, efferum, procax, agreſte, ducens inordinatam vitam in comeſſando, potando, dormitando, turpi otio indulgendo: ſed temperatè, honeſtè, & grauiter ſe gerat in verbis, & omnibus operibus ſuis, ac in tota vita. 2. Cor. 6. Exhibeamus noſmetipſos in omnibus, ſicut Dei miniſtros.

Rom. 13.

Proinde, *vt hic iuſtè viuamus*, hoc eſt, vt quando iam Chriſtus natus eſt, & paſſus, qui ſua iuſtitia nobis iuſtitiam parauit, deditque vt iuſti eſſemus, & conceſsit gratiam, qua bene iuſteque operaremur, ita vitam inſtituamus, vt neminem offendamus. 2. Cor. 6. Nemini dantes vllam offenſionem, &c. Neminique damnũ inferamus. Sine offęnſione eſtote Iudæis & Gentibus, & Ec-

1. Cor. 10.

& Eccleſiæ Dei, in vxore ſcilicet & liberis, familia, bonis, fama & perſona ſed animo atque corpore, & vniuerſis quæ poſſidemus, parati ſimus ad ſubueniendum, auxiliandum, conſolandum, inſeruiendum, condolendum, quemadmodum Chriſtus fecit Luc. 4. Vbi allegat cap. 61. Iſaię, quam ſcripturam impletam dicit in auribus ipſorum.

3 Tertiò, *vt piè viuamus.* hoc eſt, vt Deum timeamus, diligamus, & glorificemus. Hæc omnia autem ex Dei expreſſo verbo requiruntur: quod & Paulus in hac epiſtola teſtatur, nempe, abſtinere à malis operibus, & ſtudia, officiaque bona ſectari. Qui hoc negat, obſcurat expreſſum Dei verbum, & opprimit.

Qui ergo ſobriè, iuſtè, & piè vixerit, poteſt ſperare beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, hoc eſt, beatam immortalitatem & aduentum glorioſum filij Dei.

Compendium Epiſtolæ.

1 Primò, igitur docet præſenti Epiſtola Paulus, Chriſtum idcirco in mundum veniſſe, vt omnes homines ignorantia peccatorum detentos, erudiret; & de rebus ad ſalutem neceſſariò pertinentibus edoceret. Laborabat enim vniuerſum genus humanum ignorantia rerum diuinarum, & nimia peritia eorum quæ carnis ſunt, mundi, atque diaboli. Vt ergo hæc opera, quæ in ſchola ſua diabolus mūdum docuerat, Chriſtus deſtrueret, & voluntatem patris mundo annunciaret, natus eſt & paſſus. 1. Ioan. 3. In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli: vt euangelizaret regnum Dei miſſus eſt. *Cur Chriſtus in mundum venerit.* *Luc. 4.*

2 Secundò, res ad ſalutem neceſſariæ, quas expreſſum Dei verbum in hac Epiſtola à nobis exigit, ſunt ſobriè, iuſtè, & piè viuere, & omnem impietatem, & ſecularia deſideria abnegare, hoc eſt, μετανοῆσαι. Marc. 1. & Matt. 3. Pœnitemini, & credite Euangelio.

3 Tertiò, qui hæc quæ ſuperius commemorauimus præſtiterit, is tantum, non qui ſolam fidem habuerit, poterit exſpectare beatam ſpem, cum fiducia eam conſequendi, & aduentum filij Dei. Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine, domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris. Quid hæretici ad tam expreſſum Dei verbum reſpondebunt? nil ſanè, niſi ex arrogantia ſe erraſſe. Pietatis ergo amatores diſcutiant pro ſua dignitate hæc verba Pauli, & deprehendent facilè, nos Chriſti & Apoſtolorum doctrinas ſequi: hæreticos verò Caluinum, & Brentium, infernales, ac diabolicas amplecti: det illis dominus meliorem mentem. Amen. *Quis meritò poterit expectare beatam ſpem, et aduentum filij Dei.*

EPILOGVS.

1 *Summam Chriſtianiſmi clara & mira breuitate complectitur, Abnegata impietate, ſobriè & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo, hoc eſt, Pœnitemini, & credite Euangelio. Marc. 1. Matth. 3.*

2 *Prædicatur & commendatur Chriſtus, & quid noſtri cauſa fecerit, dedit ſemetipſum pro nobis, redemit nos ab omni iniquitate, mortuus eſt propter peccata noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Rom. 4.*

3 *Qui hoc credunt, ſectatores ſunt bonorum operum. hic habes radicem cum fructibus, fidem cum operibus, & quod ſine gratia nullum ſit bonum opus.*

IN EODEM SACRO CIRCVNCISIONIS DIE EVANGELIVM.

Luc. 2. *IN illo tempore: Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus: quod vocatum eſt ab angelo priuſquam in vtero conciperetur.*

HOc Euangelium complectitur duo.

1 Primò, circuncifionem Chriſti: circa quam notanda ſunt nouem. Primum, vbi mandata ſit in ſcripturis, nempe Geneſ. 17. Poſtquam Abraham eſſet nonaginta nouem annorum, apparuit ei Deus, dixitque ad eum: Statuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te, &c. Eſt hoc pactum meum: Circuncidetur ex vobis omne maſculinum, Infans octo dierum circuncidetur in vobis. Et maſculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit.

Circunciſio vbi mãdata in ſcripturis.

Secundum, quid Circunciſio ſit, nempe, pactum atque fœdus, quod Deus fecit cum Abraham, & ſemine eius. Sicuti enim in contractibus litteræ conſtituuntur ſigillis appenſis, ſic Deus promiſsionem ſuam, & fœdus circunciſionis ſymbolo, velut annexo ſigillo, corroborauit. Erat & ſacramentum populo Iſraëlitico à Deo conceſſum, cuius beneficio peccati originalis prauitatem repellerent, & iuſtitiæ originalis innocentiam ſibi compararent. Vide D. Auguſtin. ad Valerium, libr. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 11. in fin. To. 7.

Circunciſio quid ſit.

Tertium, Quotuplex ſit circunciſio? Duplex ſcilicet: Externa & interna. Externa eſt corporalis, quæ fit quando circunciditur caro: & iſta concernit tantum maſculos: & obligabat hæc vſque ad Chriſtum. Hinc Paulus ad Galat. 5. Si circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Interna verò circunciſio eſt ſpiritualis quæ fit quando circunciduntur affectus mali in

Circunciſio duplex.

in ſingulis ſenſibus: & iſta concernit maſculos & fœminas, obligatque ſemper vſque ad finem mundi. 2.Cor.7. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei. *Matth.18.* *Colloſ.3.*

Quartum eſt, quare data ſit circuncisio? nempe propter tres cauſas. Primò, vt Deus retunderet humanæ rationis acumen: quæ ſibi videtur plerunque ſapientiſsima ad ſcrutandum opera Dei. Deinde data eſt, vt nos admoneret noſtræ vitioſæ natiuitatis & miſeriarum, in quas nos Adæ inobedientia coniecit. Tertiò, in remedium eſt data, vt Iudæi haberent ſacramentum pro peccato originis expiando, & notam qua cognoſcerentur, ad populum Dei pertinere. *Circuncisio cur data ſit.*

Quintum, quis vſus circuncisionis? nempe vt nos Chriſtiani circuncidamus membra noſtra, Chriſto dicente: Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, &c. Matthæi 18. Imprimis cor eſt circuncidendum, quod eſt radix omnium malorum. Ex corde enim exeunt cogitationes. Matthæi 15. Hanc quia Iudæi non habebant; Stephanus eos vocabat incircuncisos corde & auribus. Hæc circuncisio cordis eſt à Deo neceſſaria omnibus Chriſtianis; vt Deuteronomij decimo Deus ita iuſſerit: Circuncidetis præputium cordis veſtri. &c. Circuncidimini domino, & auferte preputia cordis veſtri. Hec circuncisio cordis non fit manu, aut voluntate tantum humana, ſed ſpiritu Dei viui, dicente Moſe Deuteron. 30. Circuncidet Dominus Deus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas dominum Deum tuum, &c. ad Coloſſ.2. Circuncisi eſtis circuncisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, ſed in circuncisione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis. *Vſus circuncisionis.* *Act.7.* *Ierem.4.*

Sextum eſt, cur Deus præceperit circũcidi oculos, aut aures, aut pedes, vt oſtendat totam naturam noſtram eſſe corruptam. Scio, inquit Paulus, quòd in me, hoc eſt, in carne mea, non habitat bonum. *Cur Deus præceperit circuncidi membra.* *Rom.7.*

Septimum: cur cultro lapideo? quia Chriſtus petra eſt: per hunc oportet nos circuncidi in ſacramentis ab omnibus peccatis, 1.Corint.10. Petra autem erat Chriſtus. Et 1.Pet.2. Lapis offenſionis, & Petra ſcandali, &c. *Cur cultro lapideo fiebat circuncisio.*

Octauum, cur Chriſtus fecerit ſe circuncidi, cùm eſſet ipſa iuſtitia? venit legem impleturus, vt nos à maledictione legis eriperet. Ad Galat.4. Factus ſub lege: vt eos qui ſub lege erant redimeret. Et ideò non debet nobis durum videri, ſubdi iugo Chriſti, & pœnitentiæ, & religionis, pro honore Dei, & bono noſtro. Tollite iugum meum ſuper vos. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. *Chriſtus quare circuncisus.* *Matth.11.*

Prætereà non dedignatur veluti peccatis parentum obnoxius, accipere circunciſionem, quæ remedium erat culpæ originalis, emplaſtrum vulneris, medicina peccati, qui ſolus ab omni peccati contagio immunis, ablaturus erat omnia peccata mundi, ſibíque populum nouum acciturus, cui cor eſſet ab omnibus carnis cupiditatibus repurgatum: idque non cultris petrinis, ſed gladio ſermonis Euangelici, per fidem omnia purgantis: ea nimirum de cauſa vt humiliemur, qui volumus eſſe, & ſumus peccatores, & nolumus reputari, & tales haberi. Erubeſcimus ligaturam vulnerum, qui interdum de vulneribus gloriamur, valde proni ad vulnera, poſtea ad remedia verecundi. Humiliemur ergo ſub potenti manu Dei. atque cum Dauide, Ezechia, Manaſſe, Publicano, & Petro Apoſtolo, cognoſcamus nos peccatores eſſe permaximos. nec pœnitentiæ remedium erubeſcamus, vt miſericordiam conſequamur. Prouerbiorum 28. & 1. Petri 5. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Cur 8. die fiebat circũciſio. Nonum quod notandum occurrit, eſt, cur octauo die circuncifus ſit Chriſtus? Octauus dies adumbrat vltimam reſurrectionem: vbi fiet vera & perfecta circuncifio. Et quia puerorum caro non eſt ſatis conſolidata, vt tantum poſſit ferre dolorem.

2 Secundò, complectitur hoc Euangeliũ, nominis Ieſu originem, virtutem, ac efficaciam. Hoc nomen Ieſus, attulit Angelus de cælo, dixitque Mariæ: Concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, Lucæ 1. ſed à Deo ab æterno impoſitum, 4. Eſdr. Et reuelabitur filius meus Ieſus cum his, qui cum eo ſunt, & iocundabuntur qui relicti ſunt in annis quadringentis, & erit poſt annos hos, morietur filius meus Chriſtus, & conuertetur ſeculum. Et Iſai. 11. Vocabitur nomen eius Emmanuel, quod eſt, nobiſcum Deus. A Maria verò & Ioſeph eſt vocatum.

Nominis Ieſu origo, virtus, & efficacia.

Luca 2.

Hoc nomen prædicabant Apoſtoli, & diuulgabant per totum orbem terrarum. Act. 9. Vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus: faciebantque per hoc nomen multa ſigna & prodigia in populo. Luc. 10. Act. 6. In hoc nomine Petrus curauit claudum ante portã templi. Act. 3. & paralyticum Aeneam.

Act. 9.

Nominis Chriſti gratia omnes martyres occiſi. Propter hoc nomẽ occiſi ſunt omnes Chriſti martyres. Act. 3. Ibant Apoſtoli gaudẽtes à conſpect. &c. Hoc nomen adorãt Reges & principes, prædicant Epiſcopi & ſacerdotes, confitẽtur omnes Chriſti fideles. Pſal. 112. & 148. Hoc nomen adeò Paulus dilexit, vt in ſuis epiſtolis ferè per ſingulas periodos inculcauerit, atque inſeruerit, Hoc nomen dat virtutem, vt trium-

triumphemus de noſtris inimicis, iuxta illud Pſal. 63. In nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. Et Pſa. 19. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine domini magnificabimur. Hoc nomē dat virtutem noſtris orationibus. Ioan. 16. Si quid petieritis patrem in nomine meo.

Hoc nomen habebunt omnes electi ſcriptum in frontibus ſuis Apocal. 7. Hoc nomen datum eſt hominibus de cælo, in cuius virtute ſaluentur. Actor. 4. Non eſt aliud nomen datum hominibus, ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluari, niſi in nomine Ieſu. Et Ioël 2. Qui inuocauerit nomen domini, ſaluus erit.

Sed hæc quæ de nomine Ieſu diximus, concionator declarabit populo, non eſſe intelligēda, de vocali tantum expreſsione quam plerunque ore habere ſolemus, ſed de virtute huius nominis in corde recluſa. Sicut enim Euangelium ſcriptum ferentem non iuuat, ſed ob ſuperſtitionem nocet, prodeſt autem ſi corde res Euangelio contentas geramus, & amemus: ita nomen Ieſu, non omnibus prodeſt, dicente Chriſto: Non omnis qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt. *Matth. 7.*

Eſt & hic locus oportunus ſatis ad perſuadendum Chriſtianis, vt ab omni ſiniſtra, & peruerſa cogitatione, & ab omni malo propoſito abſtineant: quod ſi fiat, veram cordium circunciſionem ſe habere confidant. Circuncidendum eſt cor, circuncidenda lingua, circuncidendæ aures, circuncidendi oculi: non ferro, non cultro lapideo, ſed ſpiritu Dei viui. Si ita circunciſi fuerimus, nec malum animus concipiet, nec iniqua parturiet, nec manus patrabit, nec oculus ad concupiſcendum videbit. Quam circunciſionem à nobis requirit Deus. Paulus, Non enim quæ in manifeſto eſt carnis circunciſio, ſed circunciſio cordis in ſpiritu, id eſt, ea quę fit intus, per ſpiritus ſancti virtutem. Et ad Coloſ. 3. dicit: Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus, &c.

Rom. 2. Circunciſio ſpiritualis.

Rom. 2.

EPILOGVS.

1 *Qui ſecundum diuinam naturam vnus & idem, cuius anni non deficiunt. Hebr. 13. Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſecula, clauſus eſt ſub tempore, & lege, pro noſtra ſalute. Quare nec durum videri debet nobis, ſi claudimur ſub iugo Chriſti, & pænitentiæ, & religionis pro honore Dei. Matth. 11. Tollite iugum meum ſuper vos, &c.*

2 *Chriſtus circunciditur, vt nos ſpiritualiter circuncideremur. Figuras legis cuſtodit conditor legis, vt nobis ſpiritum qui in eis latebat aperiret.*

3 *Vocabulum, Ieſu, glorioſum, omni odoratu, cultuquè digniſſimum: nomen, quod eſt ſuper omne nomen, quod non debuit primum ab hominibus*

appellari, neque ab eis efferri in mundum: ſed ab excellentiori quadam, maioriquè natura: vnde & ſignanter Euangeliſta addidit, dicens: Quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur. O dulce nomen toties *expectatum, toties deſideratum, ſed hodie primò exhibitum nobis, & vocatum, dudum enim longe erat à peccatoribus ſalus, longè erat Ieſus, & propè erat Deus vltionum, dominus exercituum: vnde Dauid agnoſcens nomen potentiæ, poſtulabat nomen clementiæ. d. Dic domine animæ meæ, ſalus tua ego ſum. q. d. Satis dixiſti, ego ſum dominus, ideo abſconde nomen poteſtatis & timoris, & exhibe nomen benignitatis, ſalutis, &c.*

DOMINICA A NATIVITATE CHRISTI, EPISTOLA.

Galat. 4.

FRatres, quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cùm ſit dominus omnium: Sed ſub tutoribus & actoribus eſt, vſque ad præfinitum tempus à patre: Ita & nos cùm eſſemus paruuli, ſub elementis mundi huius eramus ſeruientes. At vbi venit plenitudo temporũ, miſit Deus filium ſuũ natũ ex muliere factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum Dei reciperemus. Quoniam autem eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem: Abba, pater. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius: quod ſi filius, & hæres per Deum.

IN HAC Epiſtola, tria Chriſtianis docentur in primis vtilia, ac neceſſaria. Primùm commonſtrant nobis liberatorem, qui nos reddidit à maledicto legis liberos & immunes. Is Ieſus Chriſtus eſt filius Dei, & Mariæ: verus Deus, & homo. Figmentum igitur & mẽdacium Sathanæ eſt, dicere quòd Chriſtus ſit legiſlator Chriſtianorum, non aliter quàm Moſes, qui fuit legiſlator Iudæorum, aut Phoroneus, qui fuit legiſlator Græcorum, aut Solon qui fuit legiſlator Athenienſium, aut Mercurius Aegyptiorum, Lycurgus Lacedæmoniorum, Numa Romanorum, & Mahumetes Turcarum legiſlatores. Nam ipſe Chriſtus ait: Non miſit Deus filium ſuum in mundum, vt condemnet mundum, ſed vt ſeruetur mundus per eum: hoc eſt, Dei filius non venit promulgatum nouas leges, & earum ſeueritate damnatum homines quemadmodum Moſes fecit: ſed vt gratiam conferret, qua implere poſſent homines legem, & eius obſeruatione ſeruari, atque ita nullos legis timerent horrores. Sicut enim puer, aut infans, quamuis ſit hæres ac dominus omnium bonorum non habet liberam poteſtatem iis pro ſuo arbitratu vtendi ac fruendi, ſed educatur ſub tutoribus: ſic & nos ſumus hæredes præſtantium theſaurorum Abrahæ promiſſorum. Sed iis vti non potuimus, dum adhuc in ætate imperfecta ſub lege timoris eſſemus. verùm hęc tutela eſt neceſſaria & vtilis. Nam ſi puer in manu ſua facultates hæreditarias haberet, breui tempore profunderet omnes.

Chriſtus noſter liberator.

Ioan. 3.

Pæda-

Pædagogia verò eſt temporanea, non æterna. Nam tantiſper durat, dum adoleuerit puer, & ad ætatem grandiorem deuenerit: tunc illi à tutoribus hæreditas reſignatur. Sic & nos, qui quaſi ſerui nihil æterna vita dignum faciebamus, coacti ſumus perſeuerare ſub huius mundi elementis & Moſe, donec ſemen benedictum Chriſtus veniret, qui ſummum pretiũ perſoluit, & fecit vt è ſeruis eſſemus liberi. *Ioan.3.*

2 Secundò, docentur fideles, quomodo nos Chriſtus ab ipſa lege liberauerit. Nempe, quia is qui legis erat dominus, & ſine peccato, legi ſe ſubiecit, cui nihil debebat. Quia enim qui ſine peccato erat, ſubiecit ſe morti, liberauit homines à dominio mortis, quæ per peccatum intrauit in hunc mundum. Romanorum. 5. Et quia ſubiecit ſe legi, liberauit homines à dominio legis, quæ propter trãſgreſsionem poſita eſt, donec veniret ſemen, &c. Galat. 3. Item, Miſit Deus filium ſuũm factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, & adoptionem filiorũ reciperemus. *Chriſtus quomodo nos liberauerit.* *Galat.4.*

3 Tertiò, docetur, quidnam Chriſtus per mortem ſuam precioſam, atque reſurrectionem glorioſam nobis promeruit, nempè, vt qui legi eramus obnoxii, ob idq; legis ſerui, redimeremur à ſeruitute, & per adoptionem acciperemus ius filiorum Dei. Vbi ſciendum quòd adoptio ad ius filiorum Dei, nihil aliud ſit, quàm clementiæ ac bonitatis diuinæ ſpecimen, aut ſymbolum, quo Deus Pater per fidem in Ieſum Chriſtum nos adoptauit, ac ſuos filios effecit: conceſsitque, vt cum fiducia poſſimus ad gratiæ thronum accedere, quaſi filij, qui habent communionem, & conſortium quoddam cum diuina natura. Vnde conſtat hanc adoptionem diuinam multum differre ab humana. In illa fit quod Ioannes dicit cap. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. *Quid nobis Chriſtus morte ſua & reſurrectione promeruerit.*

Deinde hoc tertio articulo docetur, quod Chriſtus per mortem ſuam atque reſurrectionem nobis promeruerit vt mitteretur Spiritusſanctus in corda noſtra, clamans: Abba, Pater. Hoc eſt, faciens nos clamare, Abba, Pater: cuius etiam virtute legem impleremus. Vbi ſciendum, quod Spiritusſanctus mittatur duplici ratione, viſibiliter ſcilicet, & inuiſibiliter.

Viſibiliter venit ſuper Chriſtum ſub columbæ ſpecie, cùm baptizaretur ad Iordanem. Et ſuper Apoſtolos, in die Pentecoſtes, ſpecie diſſectarum linguarum ignearum. *Spiritus ſanctus duplici ratione mittitur.*

Inuiſibiliter verò Spiritus vbi vult, ſpirat, daturque in corda fidelium. Spiritu enim per auditum Euangelij operante in nobis fidem, & charitatem inuiſibiliter, ſentimus in nobis argumentis probabilibus adoptionis, & filiationis diuinæ gratiam. Nam quod aliter ſumus affecti quàm antea, quodq́ue in nobis cogitationes ſanctiores emineant, ac *Act.2.*

melius

melius & purius de verbo, de fide & ſacramentis ſentiamus; mera ſunt argumenta Spiritus ſancti, qui in nobis habitat per virtutem ſuæ diuinæ gratiæ: cuius cùm certitudinem non poſſumus habere: habemus tamen quædam indicia efficacia.

Spiritus ſancti clamor quid ſit. Eſt autem Spiritus ſancti clamor, de quo Paulus agit, nihil aliud, quàm quidam effectus ſpei, ſeu fiduciæ immenſę in Deū, quam in intimo cordis receſſu retinens homo, clamat ad Deū tanquam clementiſsimum patrem, non dubitans illum propitium eſſe omnibus inuocantibus eum in veritate. Pſalmo centeſimo quadrageſimo quarto. Talem fiduciam habuit Iob capite decimotertio, Etiā ſi ipſe occiderit me, in ipſo ſperabo. Et *Pſalm. 72.* Dauid, Defecit caro mea & cor meum, &c. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in domino Deo ſpem meam.

Talem fiduciam dare non poſſunt caro & ſanguis, quæ magis ſibi à Deo metuunt, exiſtimantes eum ſeueriſsimum iudicem: vt teſtatur exemplum Cain, Gen. 4. At Chriſtiani Spiritum ſanctum habent, niſi peccato ipſum expellant, qui clamat in illis, id eſt, facit eos clamare: Abba, Pater.

Cur duplicādo dicat, Abba, pater. Duplicat autem verba propter duas rationes. Prima ratio eſt, vt oſtendat magnitudinem & efficaciam clamoris. Qui enim grauiter clamat, is plerumque verba geminat & repetit vt intelligi ac exaudiri poſsit. Secunda ratio eſt, vt per verba repetita ſecundum ſcripturæ morem, maiorem certitudinem afferat. Sic & Chriſtus repetitis verbis dicit: Amen amen, &c. Ioan. 16.

Deus vult nobis eſſe pater, permanere, modo præſtemus nos bonos & obſequentes filios. Sciamus igitur Deum velle patrem nobis eſſe, & permanere: ſi modò ea præſtemus, quæ ipſe ſua diuina lege aſpirantibus ad hanc filiorum adoptionem præſcribit facienda. Et licet aliquando oculis noſtris aliter appareat, tamen dum vocationi ſeruimus, conſtanter dicere poſſumus: O Deus, tu pater meus es, & ego filius tuus propter Chriſtum. Et quamuis cognoſcam, ſentiam & experiar, à Sathana, peccato & inferno, me grauiter accuſari: tamen confido te mihi fore propitium patrē, ſi ego tuis mandatis obſequentem me præſtitero. Scio filios *Adoptio filiorum Dei nobis perquam neceſſaria.* tuos Spiritum non ſeruitutis ad timorem, ſed adoptionis accepiſſe: quem ſpero cordi meo illapſurum, vt gemitibus inenarrabilibus exclamare poſsim, Abba, Pater. Tu igitur has preces exaudies, & me, ſi tibi placuerit, ab omnibus malis clementer liberabis, Amen.

Dogmata.

Hæc adoptio vſqueadeo generi humano neceſſaria fuit, vt niſi ſummo Chriſti beneficio parta eſſet, omnes perpetuò manſiſſent filij, & mancipia diaboli, filij iræ, & æterna illa beatitudine abdicati: teſte Paulo, Epheſ. 2. Eramus omnes natura filij iræ, &c.

Adoptio

Adoptio hæc non talis eſt, quales ſolent eſſe humanæ adoptiones. Per quas adoptati, ius tantùm habent in hæreditatem relictam, non fiunt tamen participes naturæ eorum, qui ipſos adoptant. Chriſtus verò ſic nos adoptauit, vt non tantum ius habeamus ad vitam æternam, verùm etiam adoptionem filiorum Dei, quam in Adam ſemel acceptam perdideramus, rurſus per Chriſtum recipiamus. *Alia eſt diuina adoptio ab humana.*

Ita quemadmodum is qui filius erat Dei, factus eſt filius hominis, vt qui filij hominũ eramus, efficeremur filij Dei per adoptionem, ita inquam, participauit Chriſtus, imò aſſumpſit naturam humanam, vt nos participes efficeremur virtutum naturæ diuinæ: nempe ſapientiæ, ſcientiæ, bonitatis, iuſtitiæ, & charitatis, per quas efficimur filij Dei. Gratias igitur Chriſto agamus, cuius diuina gratia, tot ac tanta beneficia nobis contingunt.

EPILOGVS.

1 *Tempus legis, & gratiæ diſcrimina. Lex per Moſen data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Hebræorum nono. De ſanctimonia mundana, quæ non potuit cultorem perfectum reddere, in cibis, potionibus, ablutionibus, ac iuſtificationibus carnis vſque ad tempus correctionis impoſita.*

2 *Plenitudo temporis, eſt annus Domini acceptus, & dies ſalutis, cùm Deus manifeſtatur in carne, & Dei filius, fit virginis filius.*

3 *Dignitas credentium: filij ſunt & hæredes per Deum, non per meritum: nec naturam, ſed per gratiæ ſpiritum, qui clamat in cordibus noſtris, Abba, pater.*

EVANGELIVM DOMINICAE SEQVENTIS DIEM NATALEM DOMINI.

IN illo tempore, erant Ioſeph & Maria mater Ieſu mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo: Et benedixit illis Symeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna propheteſſa filia Phanuel, de tribu Aſer. Hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua. Et hæc vidua erat vſque ad annos octoginta quatuor, quæ non diſcedebat à templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Et hæc ipſa hora ſuperueniens confitebatur domino, & loquebatur de illo omnibus qui exſpectabant redemptionem Iſrael. Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazareth. Puer autem creſcebat & confortabatur, plenus ſapientia: & gratia Dei erat in illo. *Luc.2.*

IN HOC Euangelio tria veniunt obſeruanda. Primùm, eſt admiratio parentum Ieſu: admirabantur enim, eò quòd mirabilia, & antea inaudita, dicerentur de puero Ieſu. *Admiratio parentum Ieſu.*

Nam ab Angelo, eius natiuitas, imò & conceptio annunciatur virgini Mariæ, Lucæ 1. Paſtores grege relicto veniunt, ſeq; ange-

angelos vidiſſe, & Meſsiam certò natum teſtantur. Luc. 2. Magi ab oriente ſtella viſa Bethleem adeunt, puerum inueniunt, ac muneribus datis adorāt, Matt. 2. Simeō ſenex geſtiens, puerum vocat, Seruatorem, Lumen gentium, Gloriā plebis Iſraël, Anna puerum glorificat.

Noſtrum eſt admirari opera Dei. Sicut igitur parentes hæc admirantur, ſic & nos admirari Dei opera debemus: vt inde Deū agnoſcamus, & perſpecta eius benigna voluntate, ad eum perducamur: & viſa tanta potentia eum timeamus. Iudæi autem viſis in monte miraculis Chriſti, & auditis eius concionibus, ad Deum ſunt conuerſi, Ioannis ſexto. Iudæi quoque in die Pentecoſtes, audita Petri concione conuertuntur. Sic omnes fideles, cùm conſiderant Dei immenſam bonitatem, in condendo, reparando, conſeruando, glorificando homine oſtenſam, timent eius potentiam, amant eius bonitatem, & credunt quòd omnia in æquitate ſit operatus.

Act. 2.

Sap. 11.

Benedictio Simeonis. 2 Secundum quod hîc obſeruandum occurrit, eſt Benedictio Simeonis, qui dicit ad Mariam: *Ecce, hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael.* Quaſi dicat: Multi offendentur in hoc puero, Multi grauiſsimè ruent, Multi damnabunt eius verba, opera, & vitam. Et ij quidem, non ex Turcis, vel hæreticis, vel Ethnicis, ſed quod valde moleſtum erit, ex Iſraëlitis ſuo ipſius populo, futuri. Vide Iſa. 28. & 1. Pet. 2.

Ingratitudo, et contemptus penes quos ferè ſit. Sic ingratitudo, & contemptus verbi, ſemper ferè penes illos fuit maximè, qui ſummis donis à Deo optimo maximo fuerūt ornati, iuxta illud Iſaiæ quadrageſimo ſecundo: Quis cæcus niſi ſeruus meus, & ſurdus, niſi ad quem nuncios miſi?

Chriſtus ſignū cui à multis cōtradicitur. *Poſitus etiam eſt*, inquit, *in reſurrectionem multorum*, quaſi dicat: Multi reſurgent agnoſcentq́ue beneficium ſalutis & doctrinæ.

Poſitus, inquit, quoque eſt: *In ſignum cui contradicitur*. Quaſi dicat: Multi etiam huic Chriſto contradicent, quod factum eſt à multis populis. Pſal. 82. Gebalitis, Amorrhæis, Agarenis, Moabitis, Idumæis, Iſmaëlitis, Amalecitis. Item à Philiſtæis, ſiue Palæſtinis, Tyriis, Sydoniis, Aſſyriis, Aegyptiis, Syriis, Samaritis. Poſteà verò à Sacerdotibus ſummis, Phariſæis, Sadducæis, Scribis, Senioribus, Hæreticis, Sectariis: & hoc noſtro ſeculo, à Luthero, Caluino: qui noluerunt à Chriſto reprehendi, aut doceri. Lutherus, Caluinus, Anabaptiſtæ, & reliqua fex, nolunt nec à Chriſto, nec ab eius ſponſa Eccleſia reprehendi: nec eius doctrinam, qua inſtruantur, admittunt, ſed reiiciūt & confundunt. Item & mali Chriſtiani nolunt reprehendi, neque argui de ſuis vitiis: interdumq́ue repugnant diuinis doctrinis, ſed fruſtra. Non amat peſtilens eum, qui ſe corripit, nec ad ſapientes graditur.

Prouerb. 15.

Deinde

Deinde ſanctus ſenex dicit ad Mariam: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur multorum cordium cogitationes.* quaſi dicat: Multas, inquit Simeon, tu Maria propter hunc filium ſuſtinebis affictiones, videbis eum ligari, crucifigi, occidi, &c. Hæc omnia fient tum propter noſtram ſalutem, tum etiam vt appareat tandem, quinam verè, vel in ſpeciem Ieſum, & ipſius eccleſiam dilexerint. *Prophetia de cruce Mariæ.*

3 Tertium, quod in hoc Euangelio obſeruari oportet, eſt: Teſtimonium Annæ de Ieſu, quòd is ſit verus Meſsias, iamdudum ab omnibus piis expectatus. *Fuit hæc Anna, filia Phanuel, de tribu Aſer: fuit ſeptem annis in coniugio, fuit vſque ad 84. annos vidua: fuit perſeuerans,* quia non diſcedebat de templo, *ſeruiens Deo in oratione, ieiuniis, & obſecrationibus*: id eſt, optans Chriſtum verum Meſsiam; iuxta promiſsiones factas, atque id non ſemel atque iterum, ſed die ac nocte. *Annæ teſtimonium de puero Ieſu.*

Lutherus, Brentius, & Caluinus, ac reliqui hæretici, cùm videant hîc opera laudari, melius iam ſapientes; quàm ante viginti annos (prorſus enim tunc reiiciebant opera) dicunt ſe opera bona non reiicere, ſed operum falſam eſſe fiduciam. Nos verò dicimus auctoritate hac diuina, opera neceſſaria ad ſalutem, meritumq́ue habere, bonamq́ue fiduciam animis iuſtorum ex diuina promiſsione gignere. Docet enim beatus Ioannes Epiſtola 1. cap. 1: Fiduciam gigni ex benefactis piorum. Idem cap. 3. & 4. docet ex his omnibus locis fiduciam ſubſequi iuſtificationem potius, quàm ante ire. Idem etiam docet Paulus ad Heb. 3. cap. Nos ſumus, inquit, domus Chriſti, ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque in finem, firmam retineamus. Hæreticum eſt enim aſſerere, quod ſola fiducia præcedens iuſtificationem, iuſtificet hominem credentem. Docemus verò nos catholici authoritate ſacræ ſcripturæ, opera neceſſaria ad ſalutem, ad iuſtitiam augendam, & ad vitam æternam promerendam: quæ omnia propter opera Anna eſt conſecuta, non ex fide ſola, Vixit enim & permanſit in fide Chriſti venturi, & in bonis operibus, expectans redemptionem Iſraël, Seruiens Deo in fide, & in charitate, & in ſpe diligenter, in virginitate, coniugio, & viduitate. *Hæretici non ſibi conſtant.* *Opera neceſſaria ad ſaluté.* *Fiduciam pariunt benefacta piorum.* *Opera neceſſaria ad ſalutē.*

1 Obſeruandæ autem hic occurrunt quædam neceſſariæ doctrinæ, videlicet, Primò, de incredulitate mundi. Pauci enim Simeoni & Annæ crediderunt: Non mirum ſi noſtris temporibus Turcæ ſint multi, multi Mauri, multi Gentiles, multi Lutherani & hæretici, Stultorum infinitus eſt numerus. *Eccle. 1.*

2 Secundò de cruce piorum: Vix enim è templo Ioſeph & Maria redierant domum, cùm iuberentur in Aegyptum ob Herodis tyrannidem ſecedere. *Matth. 2.*

3 Tertiò, de humanitate Chriſti. Creuit enim, & proficiebat

in

in ſapientia, & ætate, ac in reliquis virtutibus, Vtinam ita & nos, noſtrique pueri creſceremus. 1. Pet. 2.

4 Quartò, de peruerſitate educationis. Noſtri liberi non creſcunt in ſapientia, ſed in ſtultitia, ſuperbia, malitia, &c. Cauſa omnis parentum eſt, qui rarò ad pietatem aſſuefaciũt pueros, ipſi mali: corrigatur hæc peruerſitas, ne plagam Helij ſentiant. 1. Reg. 4.

Omnis ſtatus inſtituẽda ſua vita abſolutũ hic habet exemplar.

Ethicum plane eſt præſens Euangelium: In quo omnibus ſingulare exemplum imitandum proponitur. Senibus proponitur Simon ſenex pius, Iunioribus Ieſus puer, Maritis Ioſeph, virginibus proponitur Maria virgo piiſsima, viduis Anna. Omnibus denique ſuo officio inuigilare volentibus, proponuntur paſtores ſeduli.

Vtinam modò imitaremur horum exempla, eundem profecto quem illi, aſſequeremur finem.

EPILOGVS.

1 *Chriſtus aliis in reſurrectionem, aliis in ruinam. Fides eſt credere, & ædificare, incredulitas ruina eſt, & caſus.*

2 *Conſolatorium, vbi non eſt contradictio, non eſt verbum Dei. Semper namque contradicitur verbo Dei. Si Chriſtus poſitus in ruinam & reſurrectionem: ergo & membra Chriſti. Hinc Apoſtoli, Domine quis credidit auditui noſtro? Iſa. 53. Ioan. 12. Rom. 10.*

3 *Opera fidei in Anna propheriſſa, orare, ieiunare. Non ergo donantur opera, ſed primùm docetur fides, deinde opera, vt boni faciamus bona opera, Gen. 4. Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius.*

IN FERIIS EPIPHANIAE DOMINI EPISTOLA.

Iſaia 60.

Surge, illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt, quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autẽ orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabũt gẽtes in lumine tuo & reges in ſplendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuũ, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, & fortitudo gentium venerit tibi: Inundatio camelorum operiet te, Dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domini annunciantes.

HAc lectione hortatur Iſaias Ieroſolymitanos.

1 Primò, vt ſurgant à ſomno peccatorum, & omnes incredulitatis tenebras abiiciant, cùm ait: *Surge illuminare Ieruſalem.* Subdit cauſas quare debeant ſurgere, *Quia venit lumen tuum,* & quia *gloria Domini ſuper te orta eſt.* Quia *tenebræ operient terram, & caligo populos,* & quia *ambulabunt gentes in lumine tuo.*

Chriſtus lumẽ. Vocat autem Propheta lumen, Chriſtum, quemadmodum ipſe ait, Ioan. 8. Ego ſum lux mundi. Gloriam Domini vocat illam

llam quam Paulus ad Rom. 3. dicit nobis neceſſariam, Omnes, inquit, peccauerunt, & egent gloria Dei. Hæc ſita eſt in miſericordia, & clementia Dei erga nos. Vocat propheta tenebras, incredulitatem cum ſuis fructibus, & cæcitatem, quam vſque in hoc tempus patiuntur Iudæi. *Rom. 11.*

Ambulare verò in lumine, vocat, Euangelium ſuſcipere, fidem confiteri, opera lucis facere. Hoc Euangelium primùm fuit prædicatum Iudæis, poſtea Gentilibus. Ambulare in tenebris, eſt Euangelium Chriſti, & Apoſtolorum doctrinam, atque Eccleſiæ Romanæ deſerere: nouum autem Euangelium (quale eſt illud quintum Lutheri) ex ſuo confingere ingenio. *Ambulare in lumine quid vocet.*

Appellat autem hic Iſaias, Gentes populos qui ſuperſtitionibus dementati, ac diabolicis idololatriis abſorpti ac deditì, omnibus denique criminum & vitiorum generibus obruti fuerunt. Hoc teſtatur Paulus ad Rom. 1. Qui cùm cognouiſſent Deum, &c. Legatur totum illud caput. Idem ad Rom. 3. eorũdem ſcribit peccata. Idem ad Rom. 6. ait, Sicut exhibuiſtis mẽbra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati, &c. Idem. 1. Cor. 1. tradit quales olim fuerint gentes, & ipſarum nefaria docet peccata, ſed tamen concludit: Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, cap. 6. eiuſdem Epiſtolæ.

2 Secundò, hortatur Iſaias Hieroſolymitanos, vt leuent oculos, & videant mirabilia, quæ Chriſtus natus fecerit, atque ſalutiferum ſuæ viſitationis tempus effluere non ſinant, cùm ait: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerũt tibi.* Et ſubdit cauſas quare debeant leuare oculos. Quia inquit, *Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* Quibus verbis iubet Eccleſiam eſſe lætam, quòd Deus clemens & miſericors vocauit Gentes ad pænitentiam atque ad fidei iuſtitiam, & ſacramentorum participationem. Epheſ. 2. Vos qui aliquando eratis procul, facti eſtis prope, &c. *Gentes cur iubentur leuare oculos.*

Subdit, *Inundatio camelorum operiet te, multitudo maris, & fortitudo Gentium veniet tibi.* His verbis enumerat regiones atque nationes Gentium, quæ ad fidem conuertentur, Deo concorditer ſeruituræ, intelligitque non maris aquas, ſed latiſsimas regiones & homines maris accolas: quales ſunt qui maris inſulas inhabitant. *Nationes ad fidem conuertendas, enumerat.*

Appellat autem Iſaias, Mare mediterraneum, quod in terræ meditullio refuſum, ab occidente in orientem ſe profundit, habens à latere dextro Mauritaniam, Africam, Cyrenaicam, & Aegyptum, vſque Paleſtinam, & Iudæam. A latere verò ſiniſtro, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Macedoniam, & Aſiam, vſque ad Ciliciam. In medio verò potentiſsimas continens inſulas, vtpote, Candiam, Cyprum, Cretam, Rhodum, Siciliam, *Mare mediterraneum.*

Corſicam, Maioricam, Sardiniam, Chium, Golfœtum, & alias innumeras. Paulus ad has Gentes ferè peruenit, omnesq; 2.Tim.1. Epiſtolas ſcripſit, vocatus propterea doctor Gentium.

Gentes hortantur ad laudem Dei. 3 Tertiò, hortatur propheta eoſdem vt annuncient cum Gẽtibus laudem Domino, cùm ait, *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Subdit quoque cauſas quare debeant annunciare laudem Domino. *Ratio laudis.* Quia cognoſcunt ſe diuino Chriſti beneficio iuſtos, non ſolius fidei apprehenſione, ſed diuinarum, ac æternarum virtutum participatione, nempe fidei, & charitatis, quibus legem implere poſſunt. Ob idque in gratiarum actionem, offerunt Deo ſacrificium iuſtitiæ. Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, Pſal. 4. Offerunt ſacrificium cordis: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, Pſal. 50. Atque etiam ob id offerunt Deo ſacrificium laudis. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo vota tua. Et rurſus: *Pſal.49.* Sacrificium laudis honorificauit me.

Magi impleuerunt Iſaiæ vaticinium. Hoc vaticinium perfectum fuit, quando Magi Chriſto in Bethleem nato obtulerunt aurum, thus, & myrrhã. Auro vtique confitentes, Chriſtum eſſe verum Regem in Iſraël. Thure, Sacerdotem ſummum, & mediatorem à Deo miſſum. Myrrha autem, verum hominem, qui moriturus quidem eſſet, ſed corruptionem nullam ſenſurus, verum à morte reſurrecturus, & per æterna ſæcula victurus. Quæ confeſsio, eſt conſolatio ſaluberrima, & propugnaculum munitiſsimum aduerſus omnes diaboli tentationes, atq; inſultus & aduerſus omnes, quibus hic in terris affligimur, calamitates. Laus Chriſto, Amen.

EPILOGVS.

1 *Eccleſia per prædicationem Euangelij in toto mundo congregatur. In hac regnat Chriſtus, & ſunt bona omnia iam quidem obſcura, ſed in dies per Chriſtum futura clariora, vt quamplurimi accedant.*

2 *Vbi Eccleſia non eſt, ibi ſalus non eſt, & miſeræ ſunt gentes, vbi verbum Deo ignoratur.*

3 *Qui in Germania, Flandria, Francia, & Hiſpania Chriſti fidem amplectitur, non poteſt non amare, qui Dei nomen inuocant in ſemotiſsimis regionibus, Sabæa, Panchæa, Arabia, apud Damaſcenos, Armenios, Aſſyrios. Vnus enim Deus, vna fides, vna religio, & in Chriſto vnum, & conſummati in vnum ſunt electi omnes, Epheſ. 4.*

IN EODEM SACRO DIE

EVANGELIVM.

Matth.2. *IN illo tempore, Cùm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus eſt & omnis Hieroſolyma cum illo.*

lo. Et congregans omnes Principes ſacerdotum, & ſcribas populi, ſciſcitabaur ab eis,vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iuda. Sic nim ſcriptum eſt per prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum ſrael. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, uæ apparuit eis, & mittens illos in Bethlehem dixit, Ite & interrogate dilienter de puero: & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adoem eum. Qui cùm audiſſent regem, abierunt: Et Ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer. Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde. Et intrantes domum inueerunt puerum cum Maria Matre eius, & procidentes in terram, adorauerunt um. Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

HISTORIA hæc Euangelica complectitur nouem. *Tempus & locus natiuitatis Chriſti.*

1 Primò, complectitur tempus, & locum natiuitatis Chriſti: *Cùm natus eſſet*, inquit, *Ieſus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis.*

Quod Euangeliſta ait, *In Bethleehem*, vult ipſis in memoriam reuocare vaticinium Micheæ: Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in milibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël, & ingreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.

Quod autem dicit Euangeliſta: *In Bethleem Iudæ*: vult ipſis oſtendere, cuius populi Rex futurus ſit, nempe Iudæorum: proinde ad differentiam Bethlehem, in tribu Zabulon, de qua ſit mentio, quæ erat in Galilæa. *Cap. 5.*

Quod inſuper dicit: *In diebus Herodis regis*, vult ipſis redigere in memoriam vaticinium patriarchæ Iacob, Non auferetur ſceptrum de tribu Iuda, &c. Gen. 49. Iſte Herodes aſcalonita, natione Idumæus, cuius filius Herodes Antipas occidit Ioannē, & Chriſtum illuſit. Luc. 23. Fuit etiam alter Herodes Agrippa, qui Iacobum occidit. Meminit ergo regis alienigenæ, vt oſtenderet quemadmodum locum, ſic & tempus diuinis conſentire oraculis, vt dictum eſt ex Geneſi. *Ioſue 19.* *Act. 12.*

2 Secundò, præſens hiſtoria complectitur vocationem Gentium per ſtellam, *Venerunt*, inquit, *Magi ab Oriente Hieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim, &c.* Magi iſti, auctore Strabone libro decimoſexto fuere apud Perſas, quod Chaldæi apud Babylonios, Sacerdotes apud Aegyptios, & Moſes apud Hebræos, viri ſapientes, & in rebus naturalibus ac motibus cœleſtibus eruditi. Magos quippe Perſæ vocabant, philoſophiæ ſuſpiciendos profeſsione, quemadmodum Iudæi ſuos ſcribas, Græci philoſophos, Latini doctores nominant; qui & reges dicebantur, & erant. Pſal. 71. Tob. 2. Aureo enim illo ſeculo per ſapientiam, non potentiam gubernabant. Vnde Seneca ait, Laudatus hic mos erat Genti- *Gentium vocatio oſtenditur.* *Magi quales fuere apud Perſas.* *Laudatus mos Gentilium.*

lium in quibus non potentior erat, niſi qui melior. Inter nos verò non ita nunc agitur, inter quos nonnunquam rempublicam adminiſtrat non ſapientior aut melior, ſed potentior, ſtultior, & ineptior. Vnde, Væ terræ cuius rex puer eſt.

Turbatio Herodis.

3 Tertiò, comprehendit hęc hiſtoria, turbationem. Primùm Herodis regis, qui violento imperio regnum Iudæorum occupauerat: ideo nunquam fuit animo tranquillo: ſemper ſibi metuebat, ne quis ex regio ſemine ſuperſtes emergeret, qui ipſum regia exturbaret ſede. Idcirco familiam Dauid, adeò eſt perſequutus, vt quaſi extincta plane tunc temporis haberetur. Tale quid moliebatur olim Athalia, vt patet 4. Regum 11. 2. Paral. 22.

Turbatio Hieroſolymitarum

Deinde, comprehendit turbationem Hieroſolymorum qui triginta iam annos experti fuerant populi Romani, & Herodis regis tyrannidem. Metuebant igitur propter nouum Regē natum, nouos excitandos tumultus. Hieroſolymitæ quippe, terrenam, & malam in peccatis pacem amabant, & ideo regem ex cælo ſignificatum perhorrebant animo, magis contenti Herodi ſubiici, quàm à Rege cælitus miſſo gubernari. Sic plerique temporalem amantes pacem, dummodo poſſent pro libitu, in negociis circũuenire proximos, theſauros augere, ſplendidè viuere, carnis deſideriis indulgere, eligerent potius impio, ac crudeli, & infideli tyranno ſubdi, quàm Catholico Regi, imò potius diabolo quàm Deo, ſicut pulchrè indicat parabola lignorum à Ioatham propoſita, quæ elegerunt ſibi rhamnum in Regem, vt imperaret eis.

Iud. 9.

Herodis vulpina calliditas.

4 Quartò, comprehendit vulpinam Herodis calliditatem. Conuocat enim publicè omnes pōtifices, & ſcribas populi, & ſciſcitatur ab eis locum Chriſti naſcituri. Qui dicunt ei, *In Bethleem Iudæ, Sic enim ſcriptum eſt per prophetam Michæam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam, &c.*

Conuocat enim Herodes etiam clam Magos, diligenterq́ue ab eis requirit tempus ſtellę. Et dixit ad eos: *Ite & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniam & adorem eum.* O vulpinam aſtutiam! Nam putabat ſe venturum ad puerum Regem natum, ipſumq́ue occiſurum. At non eſt conſilium, neque prudentia contra Dominum, Prou. 21. Hinc Iſa. 29. dicitur, Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, &c.

Pontificum & ſcribarum impietas & cæcitas.

5 Quintò, continet miram impietatem, & cæcitatem pontificum, & ſcribarum: indicant enim Herodi regi, & Magis, locum natiuitatis Chriſti ex ſcripturis, ipſi tamen non credunt, neque Chriſtum quærunt. Hi ergo aliis demonſtrato vitæ fonte, ipſi mortui ſunt ſiccitate. Similes facti ſunt iis, qui arcam Noë fabricauerunt, qui aliis quò euaderent præſtiterunt,

oſi in aquis diluuij perierunt. Quare hæc prophetæ citatio dãnabit eos in nouiſsimo die.

Sextò, præſens lectio continet, Tentationem Magorum. Veniunt Hieroſolymam Metropolim Iudæorum, quærentes Regem natum, ſed non inueniunt. Potuiſſent dicere omnem itineris moleſtiam fruſtra fuiſſe ſuſceptam, ob idque ab incepta profectione deſiſtere. Hinc monet Dauid Pſal. 104. Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius ſemper. *Magorum tentatio.*

Septimò, continet conſolationem Magorum: audito enim Rege profecti ſunt, *Et ecce ſtella quam viderant in oriente, antecedebat eos, donec progreſſa ſtaret ſupra locum, vbi erat puer. Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde. Et ingreſsi domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & proſtrati adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, Aurum, Thus, & Myrrham*, quæ preſtantiſsima protulerat eorum patria. Si terrenum quæſiſſent Regem, certè confuſi fuiſſent tanti itineris incaſſum conſumpto labore: nūc quia cæleſtem inquirunt, ſpiritu illuminati, hæc non neceſsitatis, ſed diſpenſationis eſſe diuinæ agnoſcunt in figuram, quòd puer iſte non mundanam, & tranſitoriam, ſed cæleſtem, & æternam daturus eſſet ſibi credentibus felicitatem. Gaudebant enim oculi eorum humilem aſpicere, quem ſpiritus terribilem cordibus eorum monſtrabat. Quid autem ſenſerint de puero, oſtendunt, quum proſtrati adorant eū, quem multis argumentis didicerunt, quòd eſſet Deus. Hinc adorant in carne verbū, in infantia ſapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maieſtatis. *Magorum conſolatio.*

8 Octauò, comprehendit munera Magorum Chriſto oblata, Thus, Aurum & Myrrham. Thus ſicut Deo vero, Aurum, ſicut Regi magno, Myrrham ſicut homini morituro, reſurrecturo tamen, perpetuumque victuro. *Magorum munera quæ.*

Debemus & nos offerre Chriſto, Thus fidei. Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit, Heb. 11. *Magorum munera nos myſticè offerre decet*

Debemus offerre Aurum charitatis, Dei, & proximi, quo Dei dilectores ſimus, & proximorum inopias ſubleuemus. Plenitudo legis eſt dilectio. *Rom. 13.*

Debemus quoque Chriſto offerre Myrrham mortificationis carnis, iuxta illud Pauli: Si vixeritis ſecundum carnem, moriemini: Si autem ſpiritu, facta carnis mortificaueritis, viuetis, ad Rom. 8. His tribus virtutibus tanquam officiis veris, colitur Deus cultu vero, & neceſſario, ad ſalutem conſequendam: Talibus enim hoſtiis promeretur Deus. *Heb. 13.*

9 Nonò, complectitur hæc hiſtoria, reditum Magorum per aliam viam. Solet diuina prouidentia ſuis proſpicere, at- *Magorum reditus per aliā viam.*

que ita conſulere: ne in hoſtium veniant manus. Quòd ſi ad ſuam gloriam, vel noſtrarum animarum ſalutem hoc viderit expedire, immittit afflictiones, ſed ſimul etiam gratiam, ne deficiamus, niſi velimus. Fidelis Deus eſt, qui nõ patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet etiã cum tentatione prouentum, vt poſsitis ſuſtinere, 1. Corinth. 10. Chriſtianorum eſt, ſe in periculum temere non conijcere. Paulus in ſporta per murum Damaſci fuit demiſſus, fugitque hoſtiles manus, Fugit & Athanaſius Arrianorum inſidias, aliique complures.

Act. 9.

Via alia à prauanobis redeũdum ad patriã cæleſtem.

Et nos, qui in hunc mundum venimus per viam ſceleratam, per peccatum originis inquinati, redire debemus per aliam viã, nempe per viam Chriſti, ſcilicet fidei, charitatis, mortificationis, in futuram illam, atque cæleſtem patriam; quam hic peregrinantes inquirimus, dicentes cum Pſalmiſta: Dirige greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. Quod faxit qui eſt in ſecula benedictus Deus, Amen.

EPILOGVS.

1 *Specimen hic eſt vocationis Gentium in obedientiam fidei.*

2 *Scriptura veteris Teſtamenti, clarè exprimit tempus aduentus Chriſti, locum natiuitatis, modum naſcendi, conuerſandi, & moriendi. De loco natiuitatis hic habes ex Michæa. 5. cap.*

3 *Exemplum impietatis in Herode. Et Herodem hodie multi agunt, qui titulo pietatis ſe quærunt. Rurſus exemplum ſpei, & fidei, & ſollicitudinis Dei pro ſuis hic habes memorabile.*

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM DOMINI.

EPISTOLA.

Rom. 12.

FRatres, obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. & nolite cõformari huic ſeculo: ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra nõ eundẽ actum habent: Ita multi unũ corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

IN HAC Epiſtola enumerat Paulus varia bonorum operum genera, Chriſtiano ad ſalutem neceſſaria.

1 Principiò, obſecrat, vt exhibeamus corpora noſtra hoſtiã viuam, & ſanctam, Deo acceptam, rationabile obſequium noſtrum. Quaſi dicat, Qui iam baptizati eſtis, & Chriſti gratiam conſecuti, adeò vt illi iam conſecrati anima & corpore, ſitis in filios

ilios adoptati, inſtituti hæredes vitæ æternæ, ſic vitam inſti-uite, vt ſemper exhibeatis, hoc eſt præſteris corpora, & animas eſtras, hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum; idque ex ſincera charitate in Deum: quæ acit vt nos, qui propter peccatum eramus mortui, per charita-em ſimus viui: quæ nos puros, ſanctos facit, atque à ſordibus peccatorum mundos, quæ charitas etiam facit, ne hominibus antum, ſed etiam Deo velimus placere; nec id verbis, aut ſola ide, ſed bonis operibus: quæ denique facit, vt ſimus verè Chri-tiani, & hoſtias ſpirituales offeramus, non vt Iudæi, qui offe-ebant Deo hoſtias mortuas, non viuas, arietes, & non animas: nimalium corpora, non ſua, impura & ſanguinolenta ani-nalia; qui offerebant Deo non puros nec ſanctos affectus, ſed ordibus peccatorum commaculatos; qui offerebant etiam Deo hoſtias non ipſi placentes, ſed ſibi blandientes, Deoque liſplicentes, qui denique Iudæi offerebant Deo, carnale, non pirituale; animale, non mentale; externum, non internum ob-equium.

Chriſtianorũ eſt offerre rationabiles & viuas hoſtias, non mortuas.

Si quis ergo optat exhibere Deo hanc hoſtiam viuam, ſan-ctam, Deo placentem, & rationabilem, in primis laboret con-upiſcentias omnes, affectus prauos, cogitationes malas, ob-ſcœna verba tollere. Deinde laboret, concupiſcentias bonas, bo-ios affectus, bonas cogitationes, bona verba, ſancta denique opera formare. Nam hoc eſt exhibere membra noſtra Chriſto, hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem, rationale obſequiũ noſtrũ; mactare carnis cupiditates, & affectus peruerſos, ac bo-ios concipere, & in actũ deducere, vt illis ſublatis, & his inſitis, otos nos Deo conſecrare poſsimus in victimam, & ſacrificium Deo acceptiſsimum. ita tamen, vt ſemel Deo conſecrati, non ad lios vſus carnis, aut mundi nos accomodemus, viuentes ſecun dum libidinem cupiditatum carnis.

Quid ſit offerre nos metipſos hoſtiam viuã, ſanctam, Deo placẽtem, &c.

Hoc ſacrificium cordis ſiue ſpiritus offerũt Deo, & poſſunt offerre omnes Chriſtiani, tum viri tum fœminæ. Ad hanc ho-ſtiam offerendam facti ſumus omnes ſacerdotes in baptiſmo: hanc poſſumus offerre die noctéque, & quo frequentius obtu-lerimus, hoc gratius obſequium Deo præſtabimus. 1. Pet. 2. Verum ſacrificium Miſſæ non omnes offerre poſſunt, ſed tan-tum illi, qui in ordinis dignitatem ſunt promoti.

Quale ſacrificium poſſunt offerre omnes Chriſtiani.

Quare vnum ſacrificium cunctis fidelibus, alterum vero ſo-lis presbyteris permittitur? Quia Chriſtus, Luc. 22. Dixit ſolis ſuis diſcipulis in nouiſsima cœna, cum illud ſacramentum in-ſtitueret: Hoc facite in meam commemorationem. Paulus ve-ro, Rom. 12. Epheſ. 4. dixit omnibus fidelibus: Renouamini in nouitate ſpiritus, exuite veterẽ hominem, & induite nouũ, qui ſecundum Chriſtum creatus eſt.

Miſſæ ſacrificium offerre nõ poſſunt niſi ſoli ſacerdotes.

D 4 Con-

Differentia ſacerdotij. Conſtat igitur illa differentia ſacerdotij, & ſacrificiorum expreſſo Dei verbo. Quòd ſi verò hæretici noſtri temporis dicant aliter intelligendas eſſe ſcripturas, quàm nos catholici intelligimus, atque interpretamur, doceant quàm Spiritus ſancti reuelationem illuſtriorẽ, aut ampliorem quàm nos habeamus, ipſi habuerint: vnde conuincamur ipſis eſſe credendum. Doceãt quando, quomodo, qua forma ſit illis Spiritus ſanctus locutus, quodque ſignum ipſis dederit. Quæ ſi exhibere non poſſunt, fateantur neceſſe eſt, ſe eſſe à Satana deluſos. Ad nos reuertantur, vndę ſunt temerè digreſsi, & melius ſapient.

2 Secundò, iubet exuere affectus, & geſtus mundanos & renouari mente, cùm dicit: *Nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri.* hoc eſt: carnem mortificate, & crucifigite: concupiſcentias cohibete, prauas cogitationes, verba, & opera mala vitate, nolite mundo applaudere, neque aſſentiri. *Matth. 16.* Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, &c.

Reformamini in nouit. &c. hoc eſt, Fidem, & charitatem, ſpem, timorem, & fiduciam Dei apprehendite.

Mundus enim non fidit Deo, non timet Deum, non inuocat Deum, non audit verbum Dei, non facit bona opera: contra primam tabulam. Sed mundus excitat tumultus, ſeditiones, murmura, & docet inobedientiam, contra parentes, magiſtratum, principes. Hoc & hæretici hodie probè facere norunt.

Mundus etiam exercet homicidia, furta, rapinas, adulteria, atque omne malorum genus; contra ſecundam tabulam.

Chriſtiani à mundi operibus abſtinere debent. His ergo Chriſtianus abſtinere debet; iuxta illud 1. Ioan. 2. Nolite diligere mundum, neque ea quę in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo. Quoniam omnẽ quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt & cõcupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ. Iac. 4. Quicunque voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituitur, iuxta illud Chriſti Mat. 6. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Et illud Pauli, Gal. 1. Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Idque fieri debet, vt fidelis diſcat, quid velit & præcipiat Deus; vt diſcat quoque quid placeat Deo, vt fides creſcat & charitas continuis augeatur incrementis, Deoque ex officio ſeruientes, ſciamus ipſum nobis fore propitium, daturumque gratiam, qua non configuremur huic mundo: hoc eſt, ad vitam tranſigendam non ſecundum carnem, & mundum, ſed ad renouandum interiorem hominem, & perfectam vitæ nouitatem conſequendam.

In alienam vocationem non temere irrumpendum. 3 Tertiò, hic prohibet Apoſtolus duo vitia, πολυπραγμοσύνην, ne quis in alienam vocationem temerè irrumpat, ſed ſuam fideliter curet. Cæterùm prohibet φιλαυτίαν ne quis rectè tradita à legitimis paſtoribus, qui iuxta Rom. Eccleſię Catholicam veri-

veritatem docent, corrumpat: ſed ſuam ſpartam, vt dicitur, ornet, & dono ſuo vtatur. Sunt enim multi priuati homines, qui ſeſe temerè ingerũt, tam rebus publicis, quàm eccleſiaſticis, venientes non miſsi, nec adferentes ſignum, nec habentes mandatum, excitantes tumultus, ſchiſmata, ſeditiones. quales fuerunt Arrius, Pelagius, Lutherus, Melanchthon. & ſunt modò Brentius & Caluinus. Sunt & multi ſcioli, qui nolentes videre modum ſui doni, falſa perſuaſione doctrinæ, aut ſanctitatis opinione infatuati, omnes ſuas cogitationes, & ſi maximè vanas & arrogantes, tanquam nouas prophetias admirantur. nec ſe continent, quò minus erumpant, & noua dogmata, atque hæreſes ſpargant. Tales ſunt Anabaptiſtæ, & alij hæretici, qui hoc noſtro calamitoſo ſeculo Eccleſiam perturbant.

Valde igitur eſt neceſſarium, vt quiſque ſuæ ſeruiat vocationi, & ſorte ſua ſit contentus, & nemo ſeſe aliis præferat. Argumentatur autẽ à ſimilitudine corporis humani, & ait: Quemadmodum in corpore humano multa ſunt membra, videlicet, oculi, aures, os, manus, & pedes, ſic in Eccleſia ſunt Epiſcopi, ſunt auditores, Prædicatores, Magiſtratus, & ſubditi, nimirũ per hæc membra deſignati. Quod ſi ergo alicui doleat pes, ſtatim reſpiciunt oculi, contractant manus, os auxiliũ implorat. Sic in Eccleſia debet alter alterius onera portare, alij aliorũ neceſsitatibus ſubuenire, conſolari, adiuuare verbis, & operibus. Quod ſi fecerimus, habituri ſumus Deum propitiũ, hîc in gratia, & iſtic in gloria. Amen.

Neceſſariũ vt quiſque ſuæ ſeruiat vocationi & ſorte ſua ſit contentus.

Dogma.

1 Hæc lectio prorſus eſt ethica, quam non minus indicat Paulus ad ſalutẽ neceſſariam, quàm illas ſuperiores vndecim capitibus tractatas, quæ erant dogmaticæ.

2 Docet ex expreſſo Dei verbo, neceſſariam eſſe ad ſalutem, carnis, affectuumque prauorum mortificationem, voluntatis mutationẽ, & renouationem ſpiritus: quæ fit per charitatem.

3 Docet, non omnes promiſcuè ad eadem munera obeunda eſſe vocatos, nec omnes eſſe ſacerdotes Leuiticos, nec omnia omnibus licere adminiſtrare, ſed diuerſa eſſe in Eccleſia miniſteria, ex diuino iure diſtincta.

Non omnes ad eadem munera obeunda vocati.

Vtinam hanc & alias Pauli Epiſtolas ſana mente diſcuſſas haberet Caluinus, haberentque & plerique alij hæretici. Non ſic enim contra Dei verbum, nec Laniones Epiſcopos, nec fœminas dicerent ſacerdotes. Det illis dominus ſaniorem mẽtem. Amen.

EPILOGVS.

1 *Rationalis cultus, & qui per animam, & ſpiritum fieri debet. Hoc eſt, vera religio in Chriſtianiſmo eſt, vt nos ipſos Deo hoſtiam viuentem, ſanctam, acceptam Deo præbeamus.*

2 *Chriſtiani mundo ſe non conforment, qui totus in malo poſitus eſt, relicta voluntate Gentium quæ eſt in laſciuiis, concupiſcentiis, vinolentiis, comeſſationibus, compotationibus. totos ſe dedant in voluntatem Dei.*

3 *Mira, & pulcherrima ſimilitudo, de ſocietate membrorum in vno corpore inter ſe (qua & Cicero in officiis lib. 3. vtitur) hac nos in mutuam corporis Chriſti ædificationem conglutinat, vt nobis inter nos proſimus.*

DOMINICAE EIVSDEM
EVANGELIVM.

Luc. 2. *IN illo tempore, Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus cum redirent, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos: & non inuenientes, regreſſi ſunt in Ieruſalem requirentes eum. Et factum eſt poſt triduum, inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius. Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis, quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerunt verbum quod locutus eſt ad eos. Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.*

Chriſtus duodenis cõſuetudinem diei feſti obſeruat. HISTORIA hæc Euangelica complectitur ſex.

1 Primò, complectitur, profectionem Chriſti in ciuitatem Ieroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti: Mandatum enim erat Iudæis. Deutero. 16. tribus vicibus annuatim in templo comparere. ſcilicet in ſolemnitate Paſchæ, ſiue azymorum, vt recordarentur eductionis patrum de Aegypto per mare rubrum. *Exod. 14.* In ſolemnitate Pentecoſtes, ſiue hebdomadarum, vt recordarentur datæ legis Moſaicæ in monte Sinai. *Exod. 19.* Et in ſolemnitate tabernaculorum, vt recordarentur peregrinationis, quia in deſerto per 40. annos ſub dio viuebant.

Chriſtus oſtendit ſe verum à deo patre miſſum doctorem. 2 Secundò, complectitur digreſſionem Chriſti à parentibus, Factus enim annorũ duodecim voluit exhibere ſpecimen ſuæ vocationis, vt oſtenderet ſe verum à Deo patre factum doctorem ad docendũ veritatis viam. Quare, ſedebat in templo, *Ioel. 2.* in medio doctorum, audiens, & interrogans illos, ne Iudæis relinquatur vlla excuſatio dicendi ſe Chriſti doctrinam non audiuiſſe. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatũ non haberẽt: nunc autem excuſationem non habẽt de peccato ſuo. Ioannis 15. Dedit quippe eis doctorem iuſtitiæ.

Solicitudo parentum Chriſti erga eundem. Maria cauſſa filij graues dolores pertulit in mundo. 3 Tertiò, continet præſens hiſtoria, ſolicitudinem parentum Chriſti. Quæſierunt enim puerum Ieſum per tres dies inter cogna-

cognatos, & notos, tam extra quam intra Ieruſalem, & non inuenerunt. Maria licet in mulieribus benedicta fuerit, tamen filij cauſa frequentes, & graues dolores in hoc mundo paſſa fuit: ſemper enim alia crux & afflictio ſuper aliam ingruebat. Nam in Bethlehē Iudææ vrbe peregrina, apud ignotos, in ſtabulo, inter beſtias, filium ſuum parere, & in præſepe reclinare coacta eſt. A Simeone quoq; viro pio ſic benedicebatur, vt animum deſpondere potuiſſet, niſi ſpiritus ſanctus fortitudinis gratia, ipſius cor confirmaſſet. Herodem etiam tyrannum fugere cum filio in Aegyptū coacta eſt, ibique inter alienigenas, & idololatras in ſumma omnium rerum penuria, quamdiu æterno placuit patri, vitam tranſegit. Filium inſuper in templo Hieroſolymorum amiſit, atque eius præſentia, & familiaritate toto triduo, magno animi ſui dolore caruit, tandemque triduo peracto in templo reperit. Verè ergo piæ matri congruit prophetia Symeonis. d. Tuam ipſius animam pertranſibit gladius. per quem nil melius quā dura tribulatio intelligitur, ſicut per ferrum quod animam Ioſeph pertranſiſſe legitur. Pſal. 140. Vnde beatus Hieronymus de aſſumptione beatæ Mariæ ad Paulam, & Euſtochium ſcribit: Beata, inquiens, Dei genitrix, & martyr, & virgo fuit, quamuis in pace vitam finierit.

Maria martyr fuit.

4 Quartò, comprehendit Chriſti ad virginem matrē reſponſum. *Quid eſt quod me quærebatis? an neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?* Quibus verbis indicat Chriſtus, parentes aut intempeſtiuis liberorum curis, & ſolicitudinibus nimis diſtorqueri, aut negligentia nimia langueſcere, ita vt modum ſeruare nequeant. Chriſtus hac reſponſione etiam oſtendit, nihil ſe in ſuos parentes vnquam commiſiſſe: docetque ſimul, Deo magis obediendum, quam parentibus. Nam & ſi Deus graui maledictione filiis vt parentibus obedientes ſe præſtent, iuſſerit, ea tamen lege, vt ſibi ſupremam authoritatem, & obedientiam illibatam reſeruent.

Chriſti reſponſum ad matrē quid indicet et oſtendat.

Act. 5.

Hæc quoque Chriſti verba: *Quid eſt quod me quærebatis? an neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt. oportet me eſſe?* ſunt omnibus Chriſtianis accipienda quaſi armatura cōtra omnes tentationes ſathanæ, mundi, & carnis. Maximè cùm parentes, vel quæuis alia creatura præſumpſerit nos, inducere, vt aliquid contra legem Dei faciamus. tunc reſpondendum eſt: an neſcitis quia in his quæ patris mei cæleſtis ſunt, oportet me eſſe? Luc. 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, &c.

Armatura omnibus Chriſtianis datur contra omnes tentationes ſatanicas, & contra parētes cū obſunt ad pietatem.

5 Quintò, comprehēdit Obedientiam Chriſti, cum dicitur: *deſcendit cum eis, venit Nazareth, & erat ſubditus illis.* His verbis breuiter Lucas deſcribit obedientiam Chriſti, nempe, quòd fuerit parentibus ſubditus. Confunditque filiorum huius ſeculi prauitatem, & ſuperbiam, qui ſuis parentibus adeò inobediētes ſe præſtant,

Obediētia Chriſti erga parentes.

præſtant, vt interdum nec veſtigium minimum gratitudinis, aut humanitatis in ipſis reluceat. Qua pœna tales digni ſint, vide Deut. 21. Si genuerit homo filium contumacem, & proteruum, &c. Lege etiam initium epiſtolæ Pauli ad Epheſios 6. cap.

Adoleſcentia Chriſti omnibus pueris ſpeculum & exemplar. 6 Sextò, complectitur præſens hiſtoria Adoleſcẽtiam Chriſti: Sicuti Chriſtus ætate, & robore, ac viribus indies magis ac magis creſcebat, ita eius ſapientia, quam experimentalem vocant, magis ac magis ſeſe videndam exerebat, illuſtriorque apparebat. Nam quod ad ſolidas & veras virtutes attinet, à primò inſtanti ſuæ conceptionis, fuit verus, atque perfectus homo, plenus gratia, & veritate, omnibus virtutibus à ſpiritu ſancto decoratus. *Ioan. 1.* Erat Chriſtus verus puer. ob idque puerilem exuens ætatem, adoleſcens rerum plurimarum experientiã acquirebat: nihilominus tamen erat Rex regum, ac dominus dominantium. *Apoc. 19.* Exinaniuit ſemetipſum, factus obediens patri vſque ad mortem. Philip. 2. præbens nobis exemplum, vt & nos ipſi Deo, parentibus, prælatis, Epiſcopis, paſtoribus, magiſtratibus obtemperemus, vt per obedientiam Dei iuſtificati, creſcamus in viros perfectos, quibus Deus daturus ſit ſuam gloriam. Amen.

EPILOGVS.

1 *Quæ de infantia Chriſti præter ſcripturas adferuntur, à fabulis non abſunt. Hæc fuit libido fermentati ſeculi ſuperioris, vitiandi omnia, & illuſtrium titulis abuti, ſic ψευδεπιγραφίαι mille acciderunt. Euangelium abbreniatus eſt ſermo, cui plus ſenſuum ineſt quàm verborũ. Ea quæ de Chriſto reſert ſcire, ſcripta ſunt. & hoc nouum Teſtamentum vocatur. Qui plus ſcire affectat, ſe eorum quæ ſcripta ſunt indignum declarat: Tanta facta ſunt, quanta tunc fieri debuerunt; tanta ſcripta ſunt, quanta nunc legi debent. Ioannis 20.*

2 *Cognati, & noti, ſignificant carnem, & ſanguinem, cum omnibus huius mundi conſortibus. In omnibus huiuſmodi phalangis ab Hieruſalẽ auerſis Chriſtus non eſt. Nam apud Iſaiam nono, Princeps pacis dicitur: & quod factus ſit in pace locus eius: quo ſignificatur alienus eſſe ab illis, qui pacem Eccleſiæ peregrinis opinionibus & luxu perturbant. Et Apoſtolus dicit Chriſtum, Deum eſſe pacis, & non litium. Vnde & ipſe Chriſtus docuit, Matthæi 24. Schiſmaticorũ eccleſiam, & ſpeluncas fugitare debere. Nolite credere, inquit, nolite exire.*

3 *Appoſitiſſimum hic habetur exemplum, chariorem nobis eſſe debere gloriam Dei, & ſalutem animarum, quàm vllum parentum affectum: Deus enim parentibus, & rebus omnibus eſt præferendus; iuxta illud Matthæi 10. Qui amat patrem, & matrem pluſquam me, non eſt me dignus.*

4 *Forma formandæ iuuentutis eſt Chriſtus, qui parentibus eſt ſubditus, proficit ſapientia, & ætate, gratia apud Deum, & homines. Ad hanc Leſbiam*

biam regulam formemus pueros noſtros, adeo diſcolos, iuxta illud Eccleſi.7. Filij tibi ſunt: erudi illos, & curua illos à pueritia, &c. Sic matrimonij ſtipendia parentibus iucunda erunt, & felices Reſpub. Chriſtianæ, habentes talem ſementem.

DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM, EPISTOLA.

Rom. 12.

FRatres, Habentes donationes ſecundum gratiam quæ data eſt nobis, differentes: ſiue prophetia ſecundum rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina. Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſolicitudine, qui miſeretur in hilaritate, dilectio ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono. Charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes. Solicitudine non pigri, ſpiritu feruentes. Domino ſeruientes. Spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi inſtantes. Neceſſitatibus ſanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes. Benedicite perſequentibus vos. Benedicite & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus, idipſum inuicem ſentientes: Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.

Donorũ differentia dei ordinatio. *Dona ad Eccleſiaſticũ regimen pertinentia.* *Prophetia duplex.*

HAC Epiſtola oſtendit Paulus, quòd ex Dei ordinatione ſit inter fideles donorum differentia: & enumerat, Primo loco ſex bona opera, ſiue ſex dona ad regimen eccleſiaſticũ pertinentia ponit, ſcilicet: Prædicare verbum Dei, opitulari prædicatoribus, & egenis, docere, exhortari, impartiri eleemoſynas, præeſſe aliis, cùm ait: *Habentes donationes, ſecundum gratiam quæ data eſt nobis, differentes: ſiue Prophetiam ſecundum rationem fidei.* Eſt autem prophetia duplex, altera diuinatum rerum, & quidem futurarum inſpiratio, altera ſcripturæ interpretatio. Hæc duo qui facit in Eccleſia, debet facere ſecundum conuenientiam fidei, id eſt, conuenienter ad fidem.

Siue miniſterium in miniſtrando, id eſt, in adminiſtratione. Eſt autem adminiſtrare, eſſe Epiſcopum, Sacerdotem, Diaconum, Subdiaconum, Tutorem pauperum.

Docere quid. *Siue qui docet in doctrina.* Eſt autem docere, homines in catholica, & in illa, quam ignorant, doctrina inſtituere.

Exhortatio. *Qui exhortatur in exhortando.* Eſt autem exhortari, inſtitutos excitare, commonere, impellere, vt pergãt in bono, in quo ſunt inſtituti.

Qui tribuit in ſimplicitate. Eſt autẽ tribuere ſimpliciter, ſincerè, atque liberè præſtare eleemoſynas. Hæc vox ad eos pertinet, qui huic negotio præficiebantur. Act. 6.

Præeſſe quid. *Qui præeſt in ſolicitudine.* Eſt autem præeſſe, diligenter intendere, vt omnia decenter fiant. Hoc tangit Prælatos, in quauis congregatione præſides conſtitutos. Hos omnes oportet eſſe non veternoſos, non impigros, non negligentes, non ſuperbos. Sicut enim in auriga ſitum eſt, vt equi, & currus bene procedãt:

ſic

ſic in Eccleſiæ Prælatis ſitum eſt, vt omnia in eccleſia proſperè, & feliciter ſuccedant. Quòd ſi dormierint, & fræna remiſerint, periculo proxima ſunt omnia.

Eccleſia varias habet functiones.

Hinc conſtat, in Eccleſia varias eſſe functiones, ex Chriſti diſpenſatione ita differentes, vt nemini, qui Chriſti verborum ſit amator, liceat eas perturbare, cõfundere, nedum tollere. Non vult Paulus omnes prophetare, neque præcipit vt omnes doceant, neque vt æquè & promiſcuè adminiſtrent, neque dicit omnes debere præeſſe: ſed diſtincta atque diſcreta vniuſcuiuſque membri in Eccleſia docet eſſe debere officia, & miniſteria. Contra expreſſum Dei verbum. Caluinus, & Brentius, ac reliqui hæretici omnia omnibus confusè promittunt, omnes faciunt, Epiſcopos Sacerdotes. &c.

Opera bona ad omnes in Eccleſia Chriſtianos totidemque dona communiter ſpectãtia quæ.

2 Secundo loco, enumerat Apoſtolus 21. bona opera, totidemque dona ad omnes in Eccleſia Chriſtianos, communiter ſpectantia. Primum eſt, Miſereri pauperum in hilaritate. Eleemoſyna enim non eſt præſtanda difficulter, nec beneficium in pauperes tardè conferendum. Hilarem enim datorem diligit Deus. 2. Cor. 9.

2 Diligere proximum non ſimulatè, ſed ſynceriter, & fraternè. Non ſua quærere, nec ad omnia conniuere, vt hypocritæ.

3 Odiſſe malum. Chryſoſtomus notat emphaſim illius verbi, Odiſſe malum. Non, inquit, dixit Paulus: Abſtinentes à malo: ſed odio vehementi, quod malum eſt proſequentes, & ab ipſo malo abhorrentes.

4 Adhærere bono. Non ſimpliciter dixit Apoſtolus, adhærentes bono, ſed, Agglutinati bono. Hoc enim ſignificat vox Greca κολλώμενοι. Et Græco etiam patet bonum & malum hîc non ad perſonas, ſed ad rem referri: bonũ enim ſumitur pro honeſtate, malum verò pro turpitudine.

5. Fraternè & mutuò diligere, vt bonum mordicus teneamus.

6 Honore inuicem præuenire. Quia hac ratione naſcitur dilectio, & nata perdurat.

7 Solicitudine non pigros eſſe, id eſt, ſedulitate & ſtudio exhibendi aliis officium, non eſſe pigros.

8 Spiritu feruentes eſſe. Hoc eſt, prompto ac vehementi ſpiritus motu accenſos ad officiũ proximo prеſtandum feſtinare: vbi ſpiritus feruet, caro ſupplantatur: vbi friget, æſtuat libido.

Seruitus Dei in omnibus vitæ humanæ officiis.

9 Domino ſeruire: non tantùm precibus, verùm etiam aliis vitæ humanæ officiis. Sic ſutor, aut ſartor, vel latomus, qui ad Dei honorem ſtudet familiam alere, ſeruit Deo in ſua vocatione.

Quatuor verò hæc præcedentia opera, profluunt ex fraterna & paterna charitate: atque docent, vt alios quantumuis humiles nobis præferamus. Declarant quoque, ex diuino iure, fratrũ

no-

noſtrorum habendam nobis eſſe rationem: Idq́ue ordinante, & inſtituente Deo, qui eſt omnium Pater, Chriſtoq́ue confirmante, qui eſt omnium frater.

10 Spe gaudere.

11 In tribulatione eſſe patientes.

12 Orationi inſtare.

His tribus oſtenditur, quid ſit domino ſeruire: nempe, vt Chriſtianus quærat amicos, non in carne, nec in rebus terreſtribus, ſed in ſolo Deo; licet etiã res infeliciter ſucceſſerit. Deinde, vt ſit patiens, & fortis in neceſsitatibus, & afflictionibus, cruce, & paſsione, maloq́; reſiſtat. Inſuper vt inſtet per fidem precationibus; quẽadmodum ille Luc. 11. & alia quædam vidua. Lucæ 18.

13 Neceſsitatibus ſanctorum communicare.

14 Hoſpitalitatem ſectari.

Eſt Hebraica phraſis, qua ſignificatur anguſtia, & inopia rei familiaris Chriſtianorum: eſtq́ue vocabulum ſcholæ Chriſtianæ, ſicut nomen, Fratres, Diſcipuli, Chriſtiani, quos tyranni perſequuntur, profligant, ſpoliant, eiiciunt in exilium. Debemus igitur neceſsitatibus ita communicare, vt afflictis egentibusq́; noſtra libenter impartiamur; & aliunde eiectos ita quærere, vt ipſos hoſpitio excipiamus, non expectantes dum ipſi nos rogent, ſed venantes, & ambientes illorum aduentum: vt Abraham, Loth, & duo illi euntes in Emmaus. Gen. 18. 19. & Luc. 24. Vide etiam ad Heb. 13.

Phraſis Hebraica.

15 Benedicere perſequentibus nos: id eſt, bene loqui de his, qui nos inſectantur. Quæritur à doctis, an ſit præceptum benedicere inimicis? Doctus concionator petet ſolutionẽ ex S. Thoma Aquin. 2. ſecundæ, quæſt. 25. optimè hanc quæſtionem diſcutit. Conſulat & Auguſtinum, quatuor in locis (vnde Thomas ſua deſumpſit) nempe in ſermone Domini, in mõte, in lib. de mendacio, ad Conſent. cap. 15. epiſt. ad Marcellinum, & in Enchiridio cap. 73. quem locum citat Thomas.

Præceptum an benedicere inimicis.

16 Non maledicere, Solent qui iniurias vlciſci non poſſunt, vulgo eos diris deuouere, à quibus læſi ſunt: tamen hæc duo Chriſtianis non licent: quamuis ad inimicos pertineãt, quibus omnia bona: cùm corporis tum animi precari debemus; iuxta illud Lucæ 6. Diligite inimicos veſtros, Benefacite his qui oderunt vos. Benedicite maledicentibus vobis. Orate pro calumniantibus vos.

17 Gaudere cùm gaudentibus.

18 Flere cum flentibus.

19 Idipſum inuicem ſentire.

20 Non alta ſapere.

21 Humilibus conſentire.

Hæc

Hæc quinque ad noſipſos pertinent, & oſtendunt, quomodo nos gerere debeamus, tempore proſperitatis, infortunij, gaudiorum & luctuum. Eſt enim animi barbari, parumque Chriſtiani, lætari, vbi alij triſtantur, frontem caperare, vbi alij gaudent.

Debemus quoque non alta ſapere, ſed humilibus conſentire, non eſſe prudentes apud noſmetipſos, ſed humiles: quemadmodum Chriſtus Ieſus, qui ſe humiliauit, factus obediens

Philip. 2. Patri, vſque ad mortẽ. Cui ſit gloria & honor in ſecula. Amen.

Chriſtus omnium virtutũ exemplar. Pulcherrimum exemplum omnium iſtarum rerum habemus omnes Chriſtiani in Chriſto Ieſu domino noſtro. In cuius ſanctiſsima vita, & morte, inueniemus hæc omnia ipſum obſeruaſſe. Nos igitur diſcipuli, magiſtrum: filij imitemur patrem.

Vtinam Brentius atque Caluinus, & reliqui hæretici, ſacrã hanc doctrinam, & Dei expreſſum verbum pro ſua dignitate perpendiſſent, ac modò perpenderent: non enim ſic delirarent, vt omnia, exceptis quibuſdam officiis, quæ in ſuum ornamẽntum reſeruant, confunderent, tollerent, & perturbarent, contra expreſſum Dei verbum, niſi velint negare, hanc Pauli epiſtolam eſſe verbum Dei.

EPILOGVS.

1 *Neceſſarium præceptum, vt vocationi ſuæ inſeruiat, ſpartam ſuã quiſque adornet, & ne ſutor vltra crepidam.*

2 *Sed hic ſimilitu videamus, quæ vocationes Deo placeant, ne quis ſibi placeat, & non proximo in ædificationem.*

3 *Optima hic habetur regula diſcernendorum ſpirituum, analogia fidei. hinc hic Monachi quidam, & Anabaptiſtæ, qui reuelationes iactant, cum cohorte ſpirituum erroris, erroris conuincuntur, atque reiiciuntur.*

IN EADEM DOMINICA

EVANGELIVM.

Ioan. 2. IN *illo tempore. Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Ieſus: Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius miniſtris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Ieſus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſque ad ſummum. Et dicit eis Ieſus: Haurite nunc, & ferte Architriclino, & tulerunt. Vt autem guſtauit Architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat vnde eſſet, miniſtri autem ſciebant qui hauſerant aquam: vocat ſponſum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſeruaſti bonum vſque adhuc. Hoc fecit Ieſus initium ſignorum in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.*

HISTORIA Euangelica complectitur quatuor. *Sacramentum matrimonij opus dei.*
1 Principio, oſtēditur Sacramentū matrimonij eſſe opus Dei. Nā Deus pater inſtituit illud in paradiſo, tēpore innocētię. Et quàm ſingulari ſua prouidentia illud inſtituerit, docet Moſes, qui Gen. 1. docet Deū ante hominē creatū dixiſſe: Faciamus hominē ad imaginē & ſimilitudinē noſtram, vt dominetur in piſcem maris, & in volucrē cęli, & in iumentū, & in omnē terram. Et Gen. 2. Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſufflauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Ibidem, dixit Deus; Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Immiſit itaque Dominus Deus ſoporem in Adam. tulitque vnam ex coſtis eius, & clauſit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam, dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Et benedixit illis, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. *Tempus quando deus matrimonium inſtituit.* *Geneſ. 1. Coniugij inſtitutio.*

Deinde liquet, Sacramētum matrimonij eſſe opus Dei, quia Chriſtus Dei æterni patris filius ſua præſentia idem Sacramentum decorauit. Ioan. 2. denuóque in Sacramentum nouæ legis inſtituit, atque confirmauit, quando dixit: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Mat. 19. & Marci 10. Quod Paulus, qui Chriſti erat diſcipulus, quique de huius matrimonij dignitate; in cæleſti illa ſchola fuerat inſtructus, inde reuerſus, ſacramentum magnum vocauit. Ad Epheſ. 5. Et primo miraculo Chriſtus ipſum nobis commendauit. *Chriſtus matrimoniū in ſacramentū nouæ legis inſtituit & confirmauit, primóque miraculo commendauit.*

2 Secundò complectitur præſens hiſtoria cauſas coniugij, quare ſit inſtitutum: nempe ad procreandam ſobolem, pro conſeruatione generis humani: & pręcipuè, vt Eccleſia filios inde haberet renatos. Nā Deus non concupiſcit multitudinē filiorū infidelium. Eccleſiaſtici 15. Omnia fiunt propter electos. 2. Timo. 2. Nuptiæ, non tantùm ſunt inſtitutæ, vt filij naſcantur, ſed vt renaſcantur in Chriſto. Auguſt. lib. 1. de nupt. & concupiſcen. cap. 8. Idem cap. 16. *Cauſſa cur matrimonium ſit inſtitutum.*

Præterea, inſtitutum eſt, ad vitanda peccata fornicationis & adulterij. Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum. *1. Corint. 7.*

Tertiò iuſtitutū eſt, ad vitandū otiū, & vacationē à labore. Nam otium in hac vita eſt peſsima res. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, abundantia panis, & otium ipſius, & filiarum eius. Ezechie. 16. Otium etiam peperit omnia vitia. Idcirco Chriſtus reprehendit omnes otioſos: Quid hîc ſtatis tota die otioſi? Omnino igitur eſt fugiendum. *Matth. 20.*

Labor res optima. Labor verò, res optima eſt. Præcludit enim viam omnibus malis cogitationibus, verbis, atque factis. Hinc rectè quidam monuit dicens: Semper aliquid boni facito, vt diabolus te inueniat occupatum. Auget etiam labor rem familiarem, & domeſticam, hominem ſeruat incolumem, eundemque dignum facit, qui panem manducet, vt vitam laudabiliter tranſigat, mandatumque diuinum impleat: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. *Geneſ. 3.*

Coniugatis, quid faciendū. 3 Tertiò quid faciendum ſit coniugatis oſtenditur, debent enim perpendere, & in memoriam reuocare, Fidem, Sacramentum, Charitatem, Prolem, & Crucem. Primò, debent attendere fidem, vt ſciant coniugati, coniugium non tantum opus eſſe Dei, verum & Sacramentum à Deo inſtitutum. ipſumque ſua ſingulari bonitate conſpicuam vxorem poſſe dare, qua vnuſquiſque contentus, aliarum formarum deſinat ſpectator eſſe, vt concupiſcat, ſuæque vxori ita fidem propter Deum ſeruet, vt à Deo ſperare poſsit fidei præmium. quam coniugem, non propter carnem, vt impij, ſed propter Chriſtum ſeruat, & ab vxore vult ſibi eodem modo ſeruari. Auguſt. lib. 1. de nupt. & concup. cap. 17.

Debent quoque perpendere, & in memoriam reuocare Sacramentum, vt ſciant coniuges tunc ſacramenti matrimonij virtutem retineri, quando ipſi coniugati ſacramentum, nec ſeparati, nec adulterari permittunt. ſed concorditer caſteque cuſtodiunt. Idem Auguſt. ibidem.

Deinde, debent perpendere Charitatem, vt ſciant coniuges, coniugium ſtatum eſſe pacis, atque mutuæ charitatis. in quo alter coniugum alterum amet, eique inſeruiat, conſulat, & auxilietur. & vt primum inter coniugatos, deinde inter liberos, familiam, omneſque homines exuberet charitatis obſequium, præſidium, atque conſolatio. Vide B. Paulum ad Epheſ. 5. Coloſ. 5. & 3. Pet. 3.

Præterea, in memoriam reuocare debent Prolem. vt intelligant coniugati ſe in eum finem coniungatos, non tantum vt filios gignant, quod & impij, & infideles, & hæretici intendunt, ſed vt proles quas propagauerint, Deo per ſacramentum conſecrare debeant, vt ex ipſis nati Deo renaſcantur. Auguſtin. lib. 1. de nupt. & concupiſc. cap. 8. & 17.

Poſtremò debent perpendere Crucem, vt coniugati intelligant acerbam crucem à Deo ſibi impoſitā, Crux enim viri eſt: Maledicta terra propter te. &, In ſudore vultus tui, veſceris pane tuo. Crux autem mulieris eſt: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios tuos, & vir dominabitur tui. Ibidem. Sed vterque habet conſolationem, crux enim erit temporalis, futura ſarcina corporis, non animæ. *Geneſ. 3.*

Quar-

4 Quartò, complectitur hæc hiſtoria egregium exemplum fidei & charitatis. Exemplum fidei in Maria. Nam vbi vinum deficeret, dixit ad Ieſum: *Vinum non habent*, Non petit expreſsis verbis miraculum, ſed tantum neceſsitatem amicorũ Chriſto proponit: cæterum, modum eius neceſsitatis occurrendæ, Ieſu voluntati, atque arbitrio relinquit. vt nos doceat in noſtris miſeriis ad Chriſtum recurrendum: & vbi illi indigẽtiam noſtrã manifeſtauerimus, non illi præſcribamus tẽpus, aut modum, aut horam, qua nobis id quod poſtulamus, concedat: ſed hoc eius relinquamus arbitrio. Hoc ipſe nos docuit, cùm dixit: Cùm oratis dicite: Fiat voluntas tua. Ineptè & malitioſè agũt noſtri ſeculi hæretici, qui ex hoc loco prolixas orationes condemnant. hoc eſt, fidei officium, nos ad Chriſtum dirigere, in ipſum, & in ipſius miſericordiam, noſtrã ſpem collocare. Hinc Paulus: Sine fide impoſsibile eſt Deo placere. Hebr. 11. *Exemplũ fidei in Maria.* *Luc. 11.* *Hebr. 11.*

Charitatis exemplum petendum in Chriſto eſt, qui vinum præſtantiſsimum ſuppeditauit. Quo miraculo innuit ſe neceſsitatibus coniugatorum libenter proſpecturum, modò ipſi obedientes ſe Chriſto & eius ſponſæ Eccleſiæ præſtent, & Chriſtum per virginis Mariæ, & aliorum ſanctorum interceſsionem orent. Docet etiam non tantum neceſsitatibus, verum & honeſtis conuiuiis, ſi quid deſit, modo pij ſimus, vltro neceſſaria ſuppeditaturum. Quoniam non eſt inopia timentibus eum. *Charitatis exẽplũ in Chriſto.* *Pſal. 33.*

Dogma huius Euangelij lectione contentum eſt, Chriſtianis licere conuiuia in nuptiis, & aliis temporibus celebrare: ea tamen lege, vt comeſſationes, & ebrietates in ipſis non inueniantur, neque faſtus, aut ſuperfluus ferculorum luxus, ſed honeſta moderatio, & amicorum mutua recreatio. Quæ ſi ita inſtituantur, vt ventri & luxui non ſeruiant, Chriſtus ipſe ſua præſentia decorabit: tantum abeſt vt ab ipſo damnentur. Improbantur verò conuiuia diuitis epulonis, qui mendici Lazari non miſerebatur. ac filiorum Iob, quos flamma è cælo demiſſa, conuiuãtes conſumpſit. Iob 1. Item populi Iſraëlitici, qui vbi comediſſent & bibiſſent, ſurrexerunt ludere. *Cõuiuia honeſta in nuptiis et aliis temporibus licita.* *Luc. 16.* *Exod. 32.*

Dicitur in principio Euangelij: *Erat mater Ieſu ibi.* quæ forſan eò vocata fuerat, vt matronæ noſtris temporibus vocari ad nuptias ſolent, non ſolùm vt ſua præſentia nuptias cohoneſtent, quin etiam vt nouas vxores ſui officij admoneant, & informent. nempe, vt maritos honorent, ipſiſque obediant, filios in Dei timore inſtituant, & reliquam familiam prudenter, & ſanctè gubernent. Tob. 6. Epheſ. 1. Coloſ. 3. Ita noſtra conuiuia celebremus, vt Chriſtus & Maria mater ea non dedignentur, ſed ipſis vltro intereſſe velint. *Matronarum eſt cõiuges ſui officij admonere.*

EPILOGVS.

1 *Honorabile coniugium inter omnes, & cubile impollutum, quod Chriſtus cum caſtiſsima ſua matre, & ſanctis diſcipulis honorauit, & ſua & ſuorum præſentia, & vini miraculo liberali, & ſuaueolenti.*

2 *Chriſtus aliquando minimè blandus matri, quod ex hoc, & aliis Euangelij locis diſcitur vt doceat & carnalem cognationem nihil profuiſſe matri, niſi fide beata fuiſſet, & parentibus diuina non impedientibus, parendum eſſe.*

3 *Chriſtus quotannis aquam in vinum conuertit. Nam ipſe is eſt, qui vineas irrigat, qui pluuiam per vitis radicem in vinum vertit, & quod in nuptiis repentè, hoc in planta ſingulis annis longiori temporis ſpatio efficit. tantum vt agnoſcamus opera Dei, & creaturis eius cum gratiarum actione vtamur.* 1. Timot. 4.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM, EPISTOLA.

Rom. 12. *FRatres, Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. Nulli malum pro malo reddentes: prouidentes bona, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habentes Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptũ eſt enim: Mihi vindictam & ego retribuam, dicit Dominus: Sed et ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potũ da illi: Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.*

Philautia & arrogantia cauenda. IN HAC vltima parte capitis 12. Paulus ſeptem bona opera enumerat.

1 Primum opus eſt, Cauere philautiam, & arrogantiã, cùm ait: *Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos.* vult dicere: ne ſublimiter de vobis ſentientes, plus nimio vobis tribuatis, & inflati, vobiſque placentes, donis Dei abutamini, exiſtimantes vobis non opus eſſe alieno conſilio, nec alterius eruditione. Eſt autẽ philautia, atque arrogãtia, ſuperbiæ filia, in rebus humanis crimen peſsimum.

Læſo non eſt licitũ viciſsim lædere. 2 Secundum opus bonum enumerat. Non reddere malũ pro malo, cùm ait: *Nulli malum pro malo reddentes.* vult his verbis dicere, nemini licitum eſt, ne Gentili quidem, vbi læſus fuerit, viciſſim lædere. Ethnicorũ enim eſt, maleficium pro maleficio reddere. Chriſtiano verò minimè licet, & ſi læſus ſit, conuiciũ pro conuicio, aut iniuriam pro iniuria retaliare: dicente Chriſto, Matth. 5. Diligite inimicos veſtros. Benefacite his qui oderunt vos. Orate pro perſequẽtibus vos, vt ſitis filij patris veſtri. Subnotauit hoc idem Apoſtolus ad Rom. 12.

3 Tertium opus ponit, Conuerſationem honeſtam habere inter omnes homines, cùm ait: *Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Quibus verbis vult innuere: Actiones veſtras ſic inſtituite, vt quæ agitis, placeãt, & probentur,

bentur, non tantùm Deo, verum etiã cunctis hominibus. Hoc eſt: Non ſufficit vt veſtra conſcientia vobis teſtetur, ea quæ agitis Deo eſſe accepta, & grata: verum eſt habenda & hominum ratio, ne qua mali ſpecie in noſtris operibus offendantur. In rebus verò fidei & conſcientiæ, non eſt curandum, quid homines velint, aut quid dicant: ſed quid religio catholica poſtulet. *Boni eſſe debemus non tantũ coram Deo, ſed etiam corã hominibus.*

4 Quartum enumerat, Pacem habere cum omnibus hominibus, cùm ait: *Si fieri poteſt, quod in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*, ac ſi dicat: Si ſalua pietate & iuſtitia fieri poſſit cum omnibus hominibus pacem habere. Ne cuiquam præbeatis vllam occaſionẽ diſſidij, belli, aut tumultus. Patimini omnia quæ ferre poſſitis. Ne ſitis criminatores, ſatius eſt iniuriis affici, quàm aliis inferre. Hoc tamen hic notandum, quod non ſit poſſibile, vt vbique ſit pax, cùm mundus corruptus ſit, & malus. Nec eſt etiam in hominis poteſtate pax, vt ea perpetuò fruatur: quia non durat, vt dicitur, diutius quàm vicinus eius velit. *Pax habenda cum omnibus.*

5 Quintum opus ponit, Non vlciſci, non vindicare, cùm ait: *Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ.* Scriptum eſt enim: Mihi vindictam, ego retribuam, vult dicere: Iniuria laceſſiti, ne poſcite vindictam: quin potius cedite iræ, quæ euaneſcet veſtra lenitate. Præclarum exemplum huius boni operis eſt Chriſtus, teſte beato Petro. & poſt Chriſtum ſanctus Stephanus protomartyr. Luc. 23. Act. 7. Deus enim in nobis tria ferre non poteſt, vindictam, iactantiam, & iudicium. *Vindicta deo relinquenda.*

6 Pro ſexto opere ponit, Cibare inimicum eſuriẽtem, & potare ſitientem, cùm ait: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Quaſi dicat: Si fortè eſuriat inimicus tuus, cibo illum ſubleua. ſi ſitierit, potum porrige. Vix enim eſt ingenium tam barbarum, tam efferum & immite, quin officiis poſſit deliniri, quando hac via manſueſcunt & feræ & beſtiæ. Quid docuit pſittacum ſuum chere? fames intollerabile malum. Ambroſius: Paſce fame morientem: ſi non pauiſti, occidiſti. *Inimici benè faciendũ vt noſtra beneficentia ad amorem noſtrum prouocentur.*

7 Pro ſeptimo opere bono enumerat. Non vinci à malo, ſed vincere in bono malum, cùm ait: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Quo vult dicere, Vide ne qui malus eſt, tuam bonitatem expugnet ſua malitia, & incipias illum imitari. quin potius tua bonitas illius expugnet feritatẽ, vt victus, in tuas partes rapiatur. Ad hoc hortatur Chriſtus, Matt. 5. & Apoſtolus ad Philip. 2. & D. Petrus prima canonica 2. cap. Veſtra enim peculiaris laus erit, ſi malefacta benefactis, iracundiã lenitate, maledicentiam benedicentia, iniuriam officio, ſuperetis, Chriſti exẽplo: cui ſi compatimur, conregnabimus quoque in æterna beatitudine. Amen.

SVMMARIVM.

1 *Chriſtianiſmi radix eſt paupertas ſpiritus, & modeſtia animi, quæ μεγαλοφρονεῖν, altum ſapere, & ſuperbiam mentis ferre nequit.*

2 *Pax & concordia Chriſtianos omnes ſic conglutinet, & iungat, & communi ſtudio, alij pro alijs ſoliciti ſint, vt omnibus Iudæis, Gentibus, & inimicis benefiat, lædatur nemo. Hoc erit carbones ignis ſuper capita talium congerere.*

3 *Quod Tertullianus de patientia, hoc Chriſtiani ex hoc loco ſciant omnes ſibi dictum à Deo: Vindictam mihi, & ego vindicabo, patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo, Iacobi 1. Beatus vir qui ſuffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Auguſtinus. Qui ergo fuerit patientior ad iniuriam, potentior conſtituetur in regno.*

IN EADEM DOMINICA

EVANGELIVM.

Matth. 8.

IN illo tempore, Cum deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Et ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens Ieſus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra eius. Et ait illi Ieſus: Vide nemini dixeris, ſed vade & oſtende te ſacerdoti & offer munus tuum quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis. Cum autem introiſſet Ieſus Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio rogans eum & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego veniam & curabo eum. Et reſpondens Centurio, ait: Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael: Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob, in regno cælorum. Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer eius in illa hora.

HISTORIA huius Euangelij continet cauſas duarum perſonarum.

1 Primò, leproſi, deinde Centurionis. Vterque auxilium & opem Chriſti implorat. Leproſus petit pro ſua perſona. Centurio autem petit pro ſua familia. Vterque autem quod optat obtinuit: Leproſus mundatur, Centurionis famulus ſanatur.

Leproſus mundatur, non tãtum quia credidit, ſed quia poſt fidem Chriſtus eum tetigit. Quem niſi Chriſtus tetigiſſet, ſanitas nullo pacto ſubſecuta fuiſſet.

Sed vnde Leproſus tantam opinionem de Chriſto conceperat? Leproſus audierat bonam famam de Chriſto, quòd eſſet clemens, atque potens. & ideò venit ad Chriſtum dicens: *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Breuis eſt hæc oratio, ſed efficax,

Oratio leproſi efficax.

continens omnia, quæ ad veram orationem pertinent. Nam petit in nomine Ieſu, iuxta illud: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, &c. *Ioan.16.*

Deinde, reiicit voluntatem ſuam in voluntatem Dei, iuxta illud: Fiat voluntas tua. *Matth.6.*

Credit præterea ſe à Chriſto adiuuari poſſe, Poſtulet in fide nihil hæſitans. *Iaco.1.*

Tandem cognoſcit ſuam miſeriam, & petit mundationem. Oratio humiliantis ſe, nubes penetrat. *Eccle.35.*

Ad hanc orationem declarauit Chriſtus ſuam charitatẽ erga ipſum, quem protenſa manu tetigit atque curauit, dicens: *Volo, mundare.* Vnde colligimus, quòd niſi Chriſtus nos tetigiſſet, humanam naturam in ſe ſuſcipiens, non fuiſſet ſana omnis caro. Hinc Iſaias: Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes, cap. 64. Et Hieremias cap. 17. Sana me domine, & ſanabor. ſaluum me fac, & ſaluus ero. *Chriſtus niſi nos tetigiſſet, nõ fuiſſet ſana omnis caro.*

Docet etiam Chriſtus, quàm promptus ſit, & paratus ad curandas omnes noſtras ægritudines. Si modo hoc ab illo ſuppliciter & diligẽter petamus, hinc ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, Matth. 11. Origenes Homil. 5. tom. 2. Non ſoluit, inquit, legem, tangendo leproſum, quia accedente Chriſti manu lepra fugerat. Omnia enim munda mundis, Tit. 1. Fuit quoque contactus ipſius virtuoſus. Luc. 6. Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes. & Matth. 6. Quotquot tangebant eum, ſalui fiebant de quacunque infirmitate. *Chriſtus quàm promptus ſit ad curãdas omnes noſtras ægritudines.*

Quod verò iam mundato leproſo mandauerit, dicens: *Vide nemini dixeris.* ſuis parauit exemplũ, ne quam ex benefactis auram gloriæ venentur apud homines, licet deceat eum qui beneficio affectus eſt gratum eſſe & officioſum, etiam ſi non indigeat qui bene meruit, quemadmodũ hic leproſus egreſſus cœpit prædicare, & diffamare ſermonem, ita vt iam non poſſet manifeſtè introire in ciuitatem, ſed foris in deſertis locis eſſe, & conueniebant ad eum vndique, Marc. 1. Luc. 5. *Gloriæ inanis aura ex benefactis fugiẽda.*

Quod autem dixerit mundato: *Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moſes in teſtimonium illis.* Docet Chriſtus iudicium Leproſorum, non ad alios, quàm ad ſacerdotes ſpectare. Quibus adeò ex diuino iure eſt obediendum in cauſa lepræ, vt vel ab ipſo mundatos ad ſacerdotes ire præcipiat, nec prius de ſua puritate ipſos exultare permittit, quàm ſacerdotum decreto & iudicio mundi renuncientur. Quod iudicium de lepra corporali, vnicum erat exemplum iudicij animæ de lepra ſpirituali à ſacerdotibus noui teſtamenti faciendi. Quibus dixit, Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittentur, &c. *Leuit. 14.* *Sacerdotibus ex iure diuino obediendum.*

2 Centurio quippe obtinuit puero ſuo incolumitatem: non quidem ſola fide, vt falſò hæretici ex hoc loco affirmant, ſed fide, oratione, humilitate, atque in famulum charitate. Nam ita legimus ipſum ad Chriſtum locutum: *Acceßit Centurio rogans eum & dicens: Domine puer meus iacet, &c. Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.* Quæ verba fidem, orationem, & humilitatem ſonant.

Luc.7.

Centurio, non ſola fide ſed etiã charitate aliiſque operibus ſeruo obtinuit incolumitatem.

Habuit quoque charitatem in Deum, & religionem Iudæorum, & in puerum: quod inde conſtat in Deum, & in eius populum: quia ſeniores Iudæorum, quos ad Chriſtum miſerat, dixerunt: Dignus eſt, vt hoc illi præſtes, diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam nobis conſtruxit. Quòd charitatem habuerit in puerum ſuum, conſtat: quia miſit ſeniores ad Chriſtum, qui ipſum rogarent, vt eius puerum ſanaret, & ipſe veniens hoc ipſum rogauit.

Luc.7.

Hæc fides, & charitas, humilitas, deuotio, & oratio Centurionis adeò placuerũt Chriſto: vt ſequẽti ſe turbæ dixerit: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Quare dico vobis quod multi ab occidente, & oriente venturi ſunt: & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob, in regno cælorum. Filij vero regni, eiicientur in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium.* Centurioni verò dixit: *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi.*

Malach.1.

Dogma hoc Euangelio contentum eſt, Chriſtum verum eſſe Meſsiam à prophetis prædictum à lege decantatum: vt pote, cui omnia illa congruant teſtimonia, quæ prophetæ multis retro ſeculis diuinitus illuſtrati prædixerant. Inter quæ teſtimonia, illud Iſaiæ non infimum tenet locum, quòd is cunctas ægritudines eſſet curaturus. Tũc ſaliet claudus ſicut ceruus, &c. Quæ omnia cum videamus Chriſtum admiranda poteſtate operatum, neceſſum eſt vt inde ipſum verum noſtrum Meſsiam confiteamur, eiſque noſtras ægritudines tum corporis tum animæ curandas offeramus.

Chriſtus verus Meßias à prophetis prædictus & à lege decantatus oſtenditur.

Cap.35.

Eſt etiam doctrina pro alio dogmate confirmando, nempe, quod non ſola fide Chriſti, gratiam atque beneuolentiam nobis promeremur, ſed fide & aliis virtutibus: quod abundè ſatis præſens teſtatur Euangelica hiſtoria de Cẽturione & leproſo, quorum ille fide, oratione, humilitate, & charitate in Deum, & in eius populum, & in ſuum puerum, & hominũ interceſsione, ſuæque indignitatis manifeſta & vera confeſsione Chriſtum acceſsit, eiuſque gratiam ſibi conciliauit, ac ſeruo ſalutem obtinuit.

Fide & aliis virtutibus gratiam promeremur.

Leproſus autem, fide, oratione, cognitione, & confeſsione potentiæ Chriſti, eiuſdemque bonitatis, & ſuæ etiam miſeriæ, puritatem corporis eſt conſequutus. Magna igitur, & voluntaria eſt hæreticorum malitia, qui ex hoc loco non dubitant affir-

Malitia hæreticorum.

affirmare, ſola fide nos Chriſtum eiuſque gratiam promercari. Non poſſumus quoque ſatis admirari eorum veternum, aut impudentiam extremam quorundam Germanorum, qui cùm hunc locum percurrant, totque ac tantas virtutes in Centurione cognoſcant, illis præteritis ac ſuppreſsis, ſolam fidem extollunt, ac iactant. Nolunt intelligere, vt bene agerent. *Pſal. 35.*

SVMMARIVM.

1 *Vera fides, quam Theologi formatam vocant ſe totam frangit in voluntatē Dei, vt homo hac præditus, ſanus, inſanus, mortuus aut viuus Dei eſſe velit.*

2 *Docemur maximè ſi infirmi ſumus nos debere id quod petimus ponere in voluntate Dei, qui melius nouit quid nobis vtile ſit, cuius voluntas regula eſt omnis bonitatis & iuſtitiæ. Scit enim (inquit ad nos Chriſtus, Mat. 6.) Pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum. Profuerit proinde quæ media ſunt, non niſi ſub conditione petamus: cuiuſmodi ſunt bona naturæ & fortunæ quæ petentes dicemus. O Domine ſi noſti ſanitatem, pulchritudinem, diuitias, ſtatum prælationis, ingenij acumen, induſtriam, &c. mihi eſſe vtilia ad ſalutem, des oro, quoniam potes, vt conſequar. Fiat voluntas tua. Sic leproſus omnia diuinæ voluntati commiſit.*

3 *Chriſtus Dominū legis & finem legis ſe declarat, qui Leproſum, quod in lege prohibitum erat, tangit: docens animæ lepram, peccatum, magis abominandam metuendamqúe.*

4 *Potentia diuinitatis Chriſti, & verbo ſanat Leproſum, & Centurionis ſeruum, ſimulqúe præludit vocationi Gentium.*

DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM, EPISTOLA.

FRatres, Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces rem proximi tui, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc inſtauratur: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis eſt dilectio. *Rom. 13.*

PAVLVS hac Epiſtola cōplectitur exercitia charitatis, quæ eadem dilectione concludit: idque facit duabus ſententiis maximè obſeruandis, dicens: Primò: *Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* His verbis omnes Chriſtianos hortatur, vt ſic ſe gerant erga quemlibet, ne quis habeat occaſionem aut conquerendi, aut accuſandi. vult ergo dicere: Soluite cuique quod illi debetis, ſic vt nemo poſsit vos admonere vllius debiti, excepto vno debito mutuæ dilectionis. Preterea debiti ſolutio, & ipſum debitum veſtrum ex libera dilectione profluat, non ex coacta legis neceſsitate.

Eſt enim duplex debitum. Alterum, quod legis naturam *Debitum duplex.*

 refert:

referτ:quo fit, vt debeamus hominibus, & vt homines in nos ius habeant, & actiones inſtituant. Huius debiti conditio requirit, vt reddamus magiſtratui quod debemus: Nempe, Tributum & vectigal, obedientiam, honorem. Hæc omnia debēt Chriſtiani ſuis principibus, quos tanquam numen terrenum, in quo diuina emineat maieſtas, debent venerari atque colere: ipſiſque ſint obnoxij, & eorum mandatis: ita vt teneantur ex conſcientia, exemplo Chriſti, quæ ad pacem tranquillitatemque reipublicæ ſtabiliendam poſtulauerit conferre.

Rom.13. *Luc.2.* *Matth.17.*

Alterum debitum eſt dilectionis, quo ſe Chriſtianus cùm liber ſit, tamen aliis ſubiicit & ſeruum facit, de quo Paulus, Cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſeruum feci, vt plures lucrifacerem.

1.Cor.9.

Lex enim præcipit dilectionem. Huic autem legi tum ſatisfit, quando leges omnes tractantur pro charitatis ratione, & dilectionis modulo 1. Timot. 1. Totius legis ſumma, caput & finis, dilectio. Huic quoque legi tum non ſatis fit, cùm leges contra charitatis officia, in ſeueriorem vſum detorquentur. Dicitur enim, ſummum ius, ſumma iniuria.

Summum ius ſumma iniuria.

Huius rei habemus exempla. 1. Samuel. 21. Dauid petit panes à ſacerdote, eſuriens: quos porrigit Abimelech, licet prohibitū hic eſſet in lege. Magis enim reſpiciebat ad charitatis officia, neceſsitate exiſtente, quàm ad legis duritiam.

Sic Chriſtus non conſiderata externa legis ſanctificatione, ſed attendens quid neceſsitas & dilectio requireret, ſanauit die ſabbathi, contactam mulierem. Lucæ 13. Hydropicum Lucæ 14. Decumbentem 38. annos. Ioan. 5. Cæcum natum. Ioan. 9.

Neuter tamen horum ſoluit legem: quia Abimelech intellexit mentem legiſlatoris, qui vetabat panes ſacros comedere, non hoc ſtatuiſſe in præiudicium legis charitatis, quæ cùm ſit reliquis omnibus maior, dignior, atque ſublimior, omnes ipſi cedunt.

Lex non eſt data in præiudicium charitatis.

Chriſtus etiam non peccauit contra legem. nam ipſe erat dominus legis. Verum illis factis declarauit veram & germanā legis mentem & intelligentiam.

2 Secundò dicit, *Plenitudo ergo legis, eſt dilectio.* Non dicit Paulus, ſola fide legis perfectionem nobis imputari, nec ſola fide nos coram Deo poſſe conſiſtere: ſed docet, dilectionem ſiue charitatem cum fide legem implere, diuerſa tamen ratione.

Fides legem quidem implet ac perficit, vim tamen & virtutem implendæ legis, cùm neque ex ſe, neq; in ſe habeat, à charitate mutuatur, teſte Paulo, Gal. 5. Fides inquiēs, per dilectionē operatur. Operari per ſe fides non poſſet, niſi charitas vt operari poſſet, præſtaret. Sed ita lex dilectione impletur, vt ipſa ſit

Fides & charitas aduerſa ratione legem implent.

legis

legis impletio vel conſummatio, Exempli gratia: hydriam implet pincerna, implet & aqua. Pincerna implet hydriam per aquam. aqua verò implet eam per ſe, pincerna quippe per ſe hydriam implere non poſſet, quia ex ſe non habet aquam, niſi aliunde allatam. Ita fides per ſe animam Dei gratia, iuſtitia, charitate, timore aliisque virtutibus perfundere non poteſt, niſi aliunde, nempe, à charitate, accipiat.

Lex etiam neminem iuſtificare per ſe vnquam potuit, niſi fides intercederet, quæ indicaret nobis noſtram infirmitatem, & inhabilitatem ad implendam legem, & Chriſtum, à quo eſſet nobis exſpectanda virtus, & vires quibus legem implere poſſimus, Hebr.7. Rom.8. Dilectio etiam ſola ſine fide legem nec implet, nec legis obſeruatores iuſtificat. quia vbi non eſt fides, non poteſt eſſe charitas: ſed ſi aliquis amor eſt, eſt carnalis affectio: de qua Chriſtus, Si tantum diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem reportabitis? &c. *Lex per ſe neminem iuſtificare poteſt.* *Matth.5.*

Igitur vbi non fuerit fides per charitatem operans, ibi erit fides informis, & mortua, ibi erit tranſgreſsio legis ſcelerata. & vbi non fuerit dilectio ex fide amans proximum, & primò Deum, ibi omnia quæ fiunt, & ſi alterius tabulæ mandata ſeruentur, nihil prorſus proſunt ad æternam vitam promerendam. 1.Cor.13. Proſunt tamen ad bona temporalia, ſcilicet ſanitatem, proſperitatem: & ad hoc vt mitius puniantur in inferno. *Fides informis et mortua quæ per charitatẽ non operatur.*

Dilectio igitur caput eſt omnium legum, formaque omniũ virtutum theologicarum & cardinalium, fonsque virtutis & meriti humani. Nam leges iſtæ, non adulterabis, non occides, non furaberis, non concupiſces, & omnia alia legis mandata, omnes comprehenduntur his verbis: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Vbi quatuor ſunt verba: Primum, Tu dilige: non alius. nam Galat.6. Vnuſquiſque onus ſuum portabit, & 2. Cor.5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum. *Dilectio caput omnium legis, forma virtutu, fons meriti humani.* *Exod.23. Deut.5. Leuit.19. Matth.22. Marc.12. Gal.5. Iac.2.*

Secundum: *Diliges*, non dicit, paſces, potabis, & veſties tantùm proximum: ſed diliges. dilectio enim eſt fons, caput, ſcaturigo, & mater virtutum. Ipſa nanque eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtes, atque egeno opem ſubminiſtrat. Nec reſpicit, ſit ne amicus vel inimicus, ſed omnes iuuat. Ob id etiam lex dicit: Diliges proximum tuum ſicut teipſum, non autem, Paſces, potabis, vel veſties, ſed diliges. nam omnia opera illa abſque charitate facta vitam æternam non promerentur.

Tertium non dicit: Diliges opulentum, potentem, doctum, ſanctum, ſed proximum, qui tua ope indiget, pauperem, egenum, peccatorẽ, indoctum, ægrotum, claudum, &c. Obſtringit igitur

Charitatis præceptum omnes obſtringit. igitur hoc præceptum etiam ſummos Reges, ac principes, vt amore proſequantur etiam mẽdicos abiectiſsimos, & pro illis mortem, neceſsitate id exigenre, ſubeant: quemadmodum ſummus Rex Chriſtus pro miſeris peccatoribus mori nõ dedignatus eſt.

Quartum eſt, Sicut teipſum, hoc eſt: Eadem proximo facies tantiq́ue putabis corpus eius, atque vitam, quanti tuam ipſius. Verùm charitas etiam inter Chriſtianos admodum eſt rara. Det igitur nobis dominus, vt ſimus non tantum charitatis defenſores ac prædicatores, ſed veri etiam cultores atque amatores. *1. Ioan. 3.*

Suboritur hoc loco difficultas: quomodo diligendo proximum impleamus præcepta primæ tabulæ, ſeu totam legem; præſertim cùm dicat ſaluator, quòd in duobus mandatis tota lex pendeat; ſcilicet dilectione Dei & proximi. Hanc ſoluit Auguſtinus lib. 8. de Trinitate, cap. 8. Vbi affirmat rectè quidem id dictum ab Apoſtolo: nam dilectio proximi in ſe continet dilectionem Dei, tanquam cauſam: quia nemo vera dilectione diligit proximum, niſi qui ipſum in Deo & propter Deum diligit. Ergo ſi proximum propter Deũ diligit, diligit etiam Deũ, & pluſquam proximum. Quòd autem qui Deum, & proximũ diligit, vniuerſam impleat legem, inde conſtat: quia dilectio malum nõn operatur, nec ſinit amantem quicquam quod amatum offendere poſsit, vltro committere.

EPILOGVS.

1 *Beatus Ioannes cùm in Epheſo moraretur vſque ad vltimam ſenectutem, & vix inter diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet multa loqui, nihil aliud per ſingulas collectas ſolebat proferre, niſi hoc: filioli diligite alterutrum. Tandem tædio affecti dixerunt magiſtro: Quare ſemper hoc loqueris? Reſpondit, Quia præceptum domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit. Hæc beatus Hieronymus in Epiſtolam ad Galat. Eadem perpulchre hic Paulus ex eodem ſpiritu loquitur.* *Verbum memorabile b. Ioannis Apoſtoli.*

2 *Præcepta decalogi ſecundæ tabulæ hic clara breuitate in compendium de dilectione Paulus complectitur, quæ finis legis eſt Tim. 1.*

3 *Ama, & fac quod libet, nec peccabis, tanta eſt charitatis virtus, quæ ſi deſit, fruſtra habentur omnia. Sectamini ergo charitatem, dulci ac ſalubri cibo; ſine qua diues pauper eſt, & in qua pauper diues eſt. hæc beatus Auguſtinus.*

EADEM DOMINICA

EVANGELIVM.

Matth. 8. *IN illo tempore, Aſcẽndente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. Et ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: Erat enim illis ventus contrarius. Ipſe vero dormiebat. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine ſalua nos, perimus. Et dicit ei Ieſus: quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens Ieſus, imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Porro homines mirati ſunt, dicentes, Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?*

TRIA

TRIA proponuntur nobis in hoc Euangelio, maximè neceſſariò obſeruanda. *Deus cur ſuos ſinat affligi.*

1 Primum eſt: cur Deus ſuos ſinat affligi, in terra & mari. In terra id permittit, nempe, vt eos probet & exerceat, vt ipſis propriam virtutem notam faciat. Sap. 3. Eccleſiaſt. 27. In mari quoque id ſinit, vt cum ſe nihil poſſe videant, ſemper ad Chriſtum recurrant. Quod liquet ex hac hiſtoria. Nam docuerat in monte fidem & alias doctrinas, Multa fecerat quoque miracula deſcendens de monte, ſanãdo leproſum, Centurionis ſeruũ, ac ſocrum Petri, & alios. *Matt. 5. 6. 7.*

Deſcendit in nauim, & dormire cepit. Interea diſcipuli ſunt ſecuri: Nam putabant Chriſto præſente nihil ſibi fore aduerſum. Tempeſtas exoritur, nam mare & venti ſæuierunt, diſcipuli perterreſiunt; nam erat imbecillis fides eorum: Chriſtus etiam interea dormit; nam erat homo verus, & laboribus defeſſus, licet ſecundum ſuam diuinitatem non dormiret.

Hæc Chriſtus fieri permittit, vt infirmã illorum fidem manifeſtaret. In actionibus enim fides probatur, num firma ſit, an tenera, vt videmus præcipuè in Petro, qui præſumens cum Chriſto mortem tentare, voce ancillæ territus cecidit. Math. 26. Deinde in nobis, qui ante pericula iactamus magna, pollicemur mira, ſed periculo vel minimo imminenti ruimus. Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Idem quoque videre licet in diſcipulis, qui valde imbecilles erant in fide, alias non ad tempeſtatem, ſed ad Chriſtum reſpexiſſent: quem Deum eſſe, & ſe ſaluare poſſe, ſcire debuerant. *Fides in afflictionibus tentatur.* *Pſal. 29.*

Sed cur nauis hæc in naufragij diſcrimen venit? Reſpõdetur ex canonica beati Petri: Tempus eſſe vt incipiat iudiciũ à domo Dei. 1. Pet. 4. Et omnes qui piè viuere volunt in Chriſto Ieſu perſecutionẽ patientur. 2. Timot. 3. Multæque tribulationes iuſtorum. Pſal. 33. Quod teſtantur ſequentia exempla. ſcilicet, Abelis à Cain occiſi. Gen. 4. Abraham à Chaldæis fugati, ibid. 12 Moſis ex Aegypto pulſi. Exod. 2. Iſraelitarum Deo obedientium,, vt patet in Exodo. Apoſtolorum à tyrannis occiſorum. Omnium Martyrum, Pauli denique Chriſtum prædicantis. Ideoque ait: Ego vinctus in domino. *Iudicium à domo Dei.*

Sic etiam diſcipuli hic cum Chriſto tempeſtates experiuntur in naui. Sic item Catholici in Gallia, Anglia, Germania, ab ipſis hæreticis crudeliter affliguntur, quia cum Chriſto ſunt in naui. *Epheſ. 4.*

Nam Chriſtus huius ſeculi hæreticos, vocat mendaces. Iere. 33. Sapientes, vocat ſtultos. Iſa. 29. Pſal. 93. 1. Corin. 3. Statuarios, vocat vanos. Iere. 10. Fiduciarios, vocat fraudatores. Iere. 6. Votifragos, vocat apoſtatas a fide, vt Lutherum, & ſequaces ſedi- *Tituli hæreticorum.*

ſeditioſos, vocat ſectarios, vt Brentium, Caluinum, & ſimiles. Pſeudoprophetas, vocat mendaces & ventriloquos.

Atque vtinã principes Germani, & reliqua multitudo Germanorum, hæc æquioribus animis animaduerterent, deprehenderent tandem eos feliciſsimos eſſe, qui in Eccleſiæ naui ſunt collocati. Nam & ſi vndis, & fluctibus agitentur, & ſi mare & fluctus in ipſos conſpirent, nihilominus tuti & incolumes conſeruantur. Quia Chriſtus eſt cum eis, eiuſque cor vigilat, & tanquam pupillam oculi ipſos cuſtodit.

Zach. 2.

Extra Eccleſiã non eſt ſalus. *Ioan. 10.*

Illi verò, qui extra Eccleſiam ſunt, naufragia patiuntur grauiſsima, quæ prorſus in æternum ipſos ſubmerſos retinebunt. Nec vllo pacto ſaluari poterunt, quia diabolus eſt cum eis, cuius illud eſt officium, perdere & in gehennam ignis ſui amatores detrudere. Hæc naufragia patiuntur ferè omnes Germani, omnes Angeli, in quibus haud dubiè peribunt, quia quamuis habeant Chriſtum in ore, in lingua, in gladiis, in parietibus, Chriſtus in ſua nauicula, quæ eſt Romana Eccleſia, ipſos non habet. Quare neceſſe eſt eos in æternum perire: Non enim habebit Deum patrem, qui non cognouerit Eccleſiam Romanam matrem. Cyprianus de ſimplicitate prælatorum.

Deus in afflictione ſuos conſolatur.

2 Secundò, proponitur obſeruandum, Quomodo Deus ſuos in afflictione conſoletur. Nam cùm ingens eſſet exorta tempeſtas, diſcipuli acceſſerunt ad Chriſtum, ſuſcitauerunt dominũ, atque dixerunt ei: *Domine, ſalua nos, perimus.* Ita & nos decet in omnibus neceſsitatibus accurrere ad Deum. 2. Paralip. 20. Cũ ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui vt oculos noſtros dirigamus ad te domine, ait Ioſaphat. Ita decet nos inſtare, & ſolicitare precando. Pſal. 119. Sic decet nos quoq; in omnibus neceſsitatibus inuocare Deum, petere quod volemus, & neceſsitatem noſtram exponere. Tum Chriſtus idem nobiſcum faciet, quod cum diſcipulis: ſi modo ipſius gloriæ, & noſtræ ſaluti profuturum ſit.

Neceſſitas debet nos impellere ad inuocãdum Deum.

Nam increpauit eos dicens: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Oſtẽdens hic ſuam clementiam, in increpando ſuos diſcipulos, non autem in reiiciendo: Fert enim hominum miſerias & lapſus, & ad ſe conuerſos confirmat. Patet in Petro. Luc. 22. & 24. Deinde imperauit ventis, & mari, vt ſæuire deſinerent. oſtendens hic ſuam potentiam diuinam. Non enim hominis aut creaturæ eſt imperare ventis, & mari: Tu dominaris poteſtati maris: motum autem fluctuũ eius tu mitigas.

Pſal. 88.

Chriſtus dominus cæli. Patronus terræ nauta Maris conductor noſter.

Diſcamus igitur hoc loco, Chriſtum Ieſum eſſe dominum cæli, patronum terræ, nautam maris, ac conductorẽ noſtrum omnium. Item velle ipſum opitulari nobis in omni afflictione, & neceſsitate, tam ſpirituali, quàm corporali: modò eius gloriæ, & animabus noſtris conueniat, & ipſum in veritate & corde

corde contrito cum magna fide inuocemus: Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.

Pſal. 49.

Diſcamus etiam hoc loco, nihil eſſe præſtantius, quàm cum Chriſto in naui, quæ eſt Eccleſia Catholica verſari, & ſi aduerſa quædam interdum excitentur, quæ nos premant & affligát: Portæ inferi non præualebunt aduerſum eam.

Matth. 16.

Diſcamus hic quoque, non eſſe deſperandum, etiam ſi differat interdum Dominus opem, ſed clamandum: Exurge, quare obdormis Domine? Pſa. 43. Scientes verum eſſe illud: Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël. Pſal. 120. Et illud, Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.

Deus & ſi differat interdum opem, non eſt deſperandum ſed clamandũ.

Pſal. 90.

Diſcamus hîc tandem, per tyrannorum ſæuitiam, & hæreticorum perſecutiones, Eccleſiam Catholicam magis ac magis illuſtrari, & corroborari. Quod luculenter teſtatur Hilarius de Eccleſia loquens. Dum perſequitur, inquit, floret: dum opprimitur, creſcit: dum contemnitur, proficit: dum læditur, vincit: dum arguitur, intelligit: tunc ſtat, cum ſuperari videtur, lib. 7. de Trinitate. Vide & Chryſoſt. in ſermone de Pentecoſte.

Eccleſia dum perſequitur floret.

3 Tertiò, quod hic obſeruandum occurrit, eſt Allegoria, ſiue myſterium huius Euangelij. Nam nauis ſignificat Eccleſiam Catholicam Romanam: mare ſignificat mundum: Ventus & fluctus ſignificant tentationes Sathanæ, mundi, & carnis: diſcipuli, fideles ſignificant: Chriſtus verò, ſignificat adiutorem in opportunitate. Pſal. 9.

Nauis ſignificat Eccleſiam, Mare mundũ, ventus & fluctus tentationes.

Atque Chriſtiana vita, eſt quaſi quædam perpetua nauigatio; & anima hominis, eſt quaſi nauis multis malis obnoxia, inter fluctus, ſcopulos, ventos, & monſtra marina, quæ ſunt, tentationes diaboli, ſcandala varia, concupiſcentia, affectus ſiue inclinationes malæ.

Vita Chriſtiana quaſi perpetua nauigatio.

His periculis obiectis, non permittitur, vt ſimus ſecuri. Ibi enim iactamur à ventis affectionum, lædimur à pluuiis, & tempeſtatibus tentationum: illic inſidias diaboli experimur: ibi pati cogimur diabolum inſidiari noſtris cogitationibus, cordibus, animæ, ſpiritui, conſcientiæ. Pati cogimur ibi mundum inſidiari, verbis, operibus, & vitæ; ibi pati cogimur, ventos ſuperbiæ, ac fluctus concupiſcentiæ, odij, iræ, atque auaritiæ.

Anima hominis quaſi nauis multis malis obnoxia.

Hic nõ permittimur eſſe ſecuri.

1. Pet. 5.

Animabus noſtris ad hunc modum in præſenti hac vita naufragantibus, Deus optimus maximus pro ſua admiranda clementia, vnicum, ipſumque opportuniſsimum præſidium conſtituit tam firmum, atque conſtans, vt in æternum ſit duraturum: illud eſt Eccleſia Catholica, hæc eſt arca illa, non à Noë, ſed à Deo ædificata, hæc, inquã, Eccleſia Catholica eſt, nauis ſolida, firma, domus domini firmiter ædificata, Hanc inſpiciamus

ciamus tanquam eminentiſsimam ciuitatem, in monte ædificatam excelſo: Hæc fluctuat inter vndas, hanc concutiunt fluctus, hanc tempeſtates exercent; ſed in medio ipſo procellarum æſtu firmior euadit, ac munitior, tantum abeſt, vt ſubmergendam timeamus.

Matth. 5.

Eccleſia aſylū refugij noſtri.

Hanc poſuit Deus omnibus conſpicuam, & acceſsibilem, vt ſi contingat in mari huius mundi, nauiculas noſtrarum animarum confringi, ad eam confugiamus ſaluandi. Quicunque in hac Petri nauicula, eiuſq; fide immobilis perſtiterit, hic proculdubio, perueniet in portum illum optatum gloriæ. Nauim autem hanc perſequitur diabolus per ſua membra, nam membra eius, ſunt hæretici, ſchiſmatici, falſi prophetæ, pſeudo apoſtoli: quales ſunt Lutherus, Melanchthon, Brentius, Caluinus, Mathias Illyricus, & alij horum ſimiles. Quicunque igitur filius Dei eſſe cupit, atque in cælum per vaſtum mare huius mundi traiicere, hanc conſcendat. In hac vna eſt ſalus, & vita: hāc gubernat ſpiritus ſanctus: hæc recta tendit ad patriam, hæc aberrare nequit à vera via, hæc ingreditur cælum, & quos eò vexerit, angelicis infert choris. Quare certò ſibi perſuadeant Germani, atque omnes qui hanc nauim dereliquerunt, ſe eſſe filios diaboli.

Nauim Christi perſequitur diabolus per ſua membra.

SVMMA.

1 *Figura fuit futurarum tentationum Eccleſiæ, qua exerciti ſunt Apoſtoli, vt qui (cum nec claudi nec cæci eſſent, nec alia ægrotatione laborantes, quibus liberari quamplurimos indies videbant) vt omnipotentiam eius aſpicerent. cui venti & mare obediunt, & firmam beneficiorum eius memoriam haberent, in tempeſtatem hanc inducuntur.*

2 *Dormitio Chriſti, & quod (teſte beato Marco) capite innixus ceruicali dormiebat, depinxit quodam ænigmate, quantum immineat periculi rebus humanis, quoties ij dormiunt. huius mundi commodis deliniti, qui vices Chriſti ſuſceperunt. Ezechiel 13. execratur eos dominus, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito, & ceruicalia ſub omni capite. Quod tum exhibuit Ieſus, id hodie nobiſcum agitur. Hinc cùm dormirent homines venit inimicus homo, &c. Mat. 13.*

3 *Diſcipuli tentati ad Chriſtum confugientes, tentatos monent quid faciant, nempe, vt excitemus dominum atque clamemus vniuerſi, & ſinguli, Principes, Monachi, Epiſcopi, ſpirituales & prophani, in hac tempeſtate Eccleſiæ, in his rebus tam miſerè afflictis: Domine ſalua nos, perimus. nec dubitemus nos dominum excitaturos vt miſereatur noſtri. Exemplum eſt Ionas, cum quo dicendum, cap. 2. Circundederunt me aquæ vſque ad animam, abyſſus vallauit me, pelagus operuit caput meū: cùm anguſtiaretur in me anima mea, domine, recordatus ſum vt veniat ad te oratio mea, ad templum ſanctum tuum.*

4 *Conſolatio eſt omnibus Chriſti fidelibus qui cum ſuis adſit vſque in con-*

conſummationem ſeculi, nec relinquet orphanos, vt in mediis periculis mini me deſperent. Vnde cum B. Iob. cap. 13. fidelibus ſemper dicendum: Etiam ſi occiderit me, in ipſo ſperabo.

DOMINICA QVINTA POST EPIPHANIAM, EPISTOLA.

FRatres: Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiã, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri inuicem: expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis. Et induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem Dei ſecundum imaginem eius qui creauit illum: Vbi non eſt maſculus & fœmina, Gentilis & Iudæus, circunciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſeruus & liber: ſed omnia, & in omnibus Chriſtus. Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patiẽtiã: Supportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſiquis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis. Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in vno corpore: & grati eſtote. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter, in omni ſapientia, docentes & cõmonentes voſmetipſos, in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantãtes in cordibus veſtris Deo. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum. *Coloſ. 3.*

PAVLVS in hac Epiſtola agit, de veteris hominis, ſceleratæ carnis, prauorumque affectuum mortificatione; & facit tria.

1 Primò, iubet veterem hominem nos deponere, & exuere. Eſt autem vetus homo, totus homo ille carnalis, Ade caſu perditus, ob peccatum damnatus, omni viciorum genere coopertus, in peccatis conceptus, natus, viuens, plenus malis affectibus, concupiſcentiis, atque libidinibus. Et ſunt eius fructus. *Ira, vel indignatio*, quod vicium hominem adeò excæcat, vt quid bonum, vel malum ſit, diſcernere non poſſit: & hominẽ ſpoliat omnibus bonis gratuitis doniſque charitatis: lædit bona naturalia, & tandem ad interitum pernitioſum deducit. Nam inde promanant imprecationes, maledictiones, execrationes, latrocinia, cædes.

Vetus homo quis. *Fructus veteris hominis.* *Ira hominem excæcat.*

Secundus fructus veteris hominis eſt, *maledicentia*. quæ eſt turpiſsimus nominis diuini abuſus: vbi labiis; linguis cæteriſque membris ad laudem, & gloriam Dei, gratiarumque actionem conceſsis homines abutuntur in vanum. Væ igitur blaſphemis, &c.

Maledicentia. *Exod. 20.*

Tertius fructus eſt: *Turpiloquentia*, quæ eſt omnis ſermo obſcœnus, & ſpurcus: quibus homines huius ſeculi carnales vtuntur

Turpiloquentia.

turin populi corona, in conuiuiis, comeſſationibus, ludis, ſpectaculis, quibus offenduntur honeſtæ mulieres, pudicæ virgines, innocentes iuuenes, atque puellæ. Talibus crudelia comminatur Chriſtus. Væ mundo à ſcandalis, &c.

Mat. 18.

Mendacium vitium diabolicũ

Quartus fructus eſt, *mendacium*. quod eſt vitium diabolicum: Ioannis 8. Quod etiam Deus ſingulari odio proſequitur. teſte Salomone. Prouerb. 11. & Sap. 1. Huc pertinent omnia opera, ſigna, verba, nutus, geſtus, quæ non ex corde procedunt ſyncero. Item falſa dogmata, adulatio hypocritica, ſectæ Turcarum, Maurorum, Gentilium, Lutheranorum, Caluiniſtarum, Anabaptiſtarum, in quorum ore eſt ſpiritus mendax, pater ille mendacij, qui in veritate non ſtetit ab initio.

Vetus homo deponendus.

Hęc vitia iubet Paulus nos deponere, cum inquit: *Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro:* hoc eſt, Si fuiſtis antea iracundi, maledici, turpiloqui, mendaces, iam ea crimina, veteremque pellem exuite, homines noui facti: vt ſint vobis cogitationes ſanctiores, caſtiora verba, opera meliora; & eſtote comes, modeſti, probi, pij, veraces, neque ſitis impoſtores per impias veſtras negotiationes. iudicia, menſuras, pondera, vlnas, litteras, inſtrumenta, monetas & merces. Leuitic. 19. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in menſura. Statera iuſta, & æqua ſint pondera, iuſtus modius, æquusq; ſextarius. Ego dominus Deus veſter qui eduxi vos de terra AEgypti, cuſtodite omnia præcepta mea, & vniuerſa iudicia, & facite ea. Item Deut. 25. Non habebis in ſacculo diuerſa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor, pondus habebis iuſtum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, vt multo viuas tempore ſuper terram. abominatur enim dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & auerſatur omnem iniuſticiam.

Nouus homo induendus.

2 Secundo, adhortatur vt induamus nouum hominem, qui renatus eſt per aquam & ſpiritum ſanctum. Ioan. 3. in fide & charitate, ad iuſticiam, ſanctitatem atque veritatem, plenus bonis diuinis, gratia, doniſque cæleſtibus: quæ redundant vbertim ac erumpunt, in ſanctas cogitationes, pia verba, opera ſalutifera, & æterna vita digna, & chriſtianam vitam.

Fructus noui hominis.

Sunt autem fructus noui hominis, *Miſericordia*, quæ eſt Chriſtianorum pretioſiſsimus theſaurus. ſemper enim compatitur proximo. Iob. 31.

Miſericordia.

Comitas quid.

Alter fructus eſt, *Comitas*. quæ eſt amica atque gratioſa cum hominibus conuerſatio, atque ciuilitas. quia ſe popularem atque benignum exhibet omnibus.

Modeſtia.

Tertius fructus eſt, *Modeſtia ſiue humilitas*, qua veriſsima ſui cog-

cognitione ſibi ipſi quilibet vileſcit & aliorũ laudes prædicat.

Quartus, *Manſuetudo*, quæ eſt depreſsio iræ, vel ſedatio, qua mitis atque benignus homo, non ingerit conuicia, ſed malum bono vincit. *Manſuetudo.*

Quintus fructus, *patientia*, quæ eſt malorum voluntaria & diuturna perpeſsio, in cuius commendationem dixit poëta: Nobile vincendi genus eſt patientia, vincit Qui patitur: ſi vis vincere, diſce pati. *Patientia.*

Sextus fructus eſt, *perſeuerantia*, eſtque in ratione bene conſiderata ſtabilis permanſio. de qua Math. 24. *Perſeuerantia.*

Septimus fructus eſt *dilectio*, & eſt charitatis vinculum quæ paria gignit corda, ſimilemque mentis affectum procreat inter pauperes & diuites: huius dilectionis virtute conſtant, & confirmantur virtutes omnes, ſuperius enumeratæ, & per ipſam viuificantur. *Dilectio.*

Hęc iubet Paulus nos induere. Eſt autē induere, has virtutes animo concipere, re præſtare, atque fiduciam habere, quòd hęc noſtra opera ex charitate facta Deo placeant & probentur: adeò vt æternæ beatitudinis mercede ſit ipſa remuneraturus. Sũt autem noui hominis veſtes, ſeu ornamenta animæ, fides & charitas. Sicut enim Chriſtus duplici veſtimenti genere vſus eſt, ſcilicet, inconſutili & ſutili, per quod ſignificatur fides inconcuſſa, & charitas extenſa: ſic & nos Chriſtiani, per fidem & charitatem Chriſtum induimus: adeò vt quandiu in fide & charitate perſeuerauimus, ipſi inſeparabiliter adhæreamus. *Induere nouũ hominem quid ſit.* *Rom. 13.* *Pſal. 81.*

3 Tertiò, precatur Apoſtolus omnibus Chriſtianis pacem, & hanc æternam. Hæc pax conſiſtit, & promouetur. Primò, gratitudine, vt Deo gratias agamus, quòd nos à deuiis perditionum luſtris, per ſanctiſsimam ſuam paſsionem & ſacramenta, in viam ſalutis reduxerit. Ingratitudo enim crimen eſt turpiſsimũ, & Deo deteſtabile, & vt Bernardus ait, hoſtis gratiæ, inimica ſalutis. Nihil eſt quo magis Dei munificentiã nobis conciliemus, quàm cùm Deo de beneficiis acceptis gratias agimus. nec eſt quod magis ipſum offendat, quàm eorum neglectus. *Pax quomodo conſiſtat & promoueatur.* *Ingratitudo hoſtis gratiæ, inimica ſaluti.*

Deinde, pax conſiſtit ac promouetur. Inhabitatione ſermonis Chriſti in nobis opulenta, & cum omni ſapiẽtia. Vbi enim eſt verbum diuinum, ibi quilibet audit ea, quorum defectu laborat: & ſi modo curam ſalutis habet, cogitat de melioris vitæ ratione ſuſcipienda.

Tertiò, conſiſtit, & promouetur hæc pax, doctrina, & commonitione, quæ fiunt in concionibus, Pſalmis, Hymnis, & cantionibus ſpiritualibus: quales ſunt Pſalmi Dauid, Aſaph, aliorumque ſanctorum, & cantiones Moſi, Iſaię, Danielis, Zachariæ, Habacuc, Mariæ, Simeonis, & Annæ. Per hæc Paulus *Cantilenæ obſcœnæ damnantur.*

damnat omnes prophanas & obſcœnas cantilenas. Proptere a ait: *Commonentes voſmetipſos, pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo*, id eſt: Omnes veſtræ cantiones, hymni, & gratiarum actiones proficiſci debent ex intimis cordium penetralibus.

Hæreſis negãs hymnos & pſalmos in Eccleſia canendos damnatur.

Hac doctrina damnantur hæretici noſtri temporis, qui negant pſalmos & hymnos in Eccleſia eſſe cantandos. verùm qui non potuerunt ferre cantum ſeruorum Dei, in monaſteriis, eccleſiisque, coguntur modò audire voces lamentabiles, & horrendos dæmonum clamores in igne illo inextinguibili, quo ardent.

Hypocriſis religioſorum & clericorum damnatur.

Damnat quoque Paulus his verbis hypocriſin quorundam religioſorum, clericorum, aliorumque Chriſtianorum, qui cùm in Eccleſia pſalmos cantant, id non faciunt corde, ſed ore, nec propter Deum, ſed propter quæſtum. De illis ait Dominus per Iſaiam cap. 29. Appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me. Hi non offerunt illi ſacrificium laudis: quare auertit & Deus aures ab huiuſmodi precibus.

Vtinam hæretici noſtri ſeculi, & reliqui Chriſtiani, qui ſuis affectibus ſeruientes, Eccleſiam & vniuerſam Chriſtianam rẽpublicam perturbant, hanc Pauli ſententiam pro dignitate æſtimarent, ſcilicet, *Pax Chriſti exultet in cordibus veſtris*. Quam interpretantes Græci, dicunt ita inſtitutos debere eſſe Chriſtianos, vt ſi lis aliqua, aut controuerſia inciderit, hanc dirimat, ac moderetur pax, non ira, inuidia vel ſuperbia. O ſi ſanctũ hoc Pauli conſilium Eccleſiæ aduerſarij recepiſſent, non docuiſſent ſubditos rebellare Regi ſuo: non inſurrexiſſent & ipſi contra Pontificem, contra Eccleſiam, & totum Chriſtianiſmum.

Chriſtus nõ induitur per ſolius fidei apprehenſionem.

Præſenti hac Epiſtola confirmatur dogma illud quod catholica docet Eccleſia: ſcilicet, Chriſtianos induere dominum Ieſũ, non per ſolius fidei apprehenſionem, ſed & per depoſitionem & mortificationem veteris hominis: hoc eſt, per abnegationem operum carnis, et per induitionem noui hominis, hoc eſt, Chriſti Ieſu: quem induimus fide & charitate. & ſemel indutus ſanctificat animas noſtras intus, & corpora noſtra: inſuper communicat nobis cæleſtes ſuas virtutes, datque vires, quibus confortati opera noua, ipſique grata perficiamus: quibus etiam indumentum immortalitatis, & innocentiæ ſtolam nobis comparare poſſimus. Det nobis Deus, vt in hac doctrina permaneamus. Amen.

EPILOGVS.

1 *Exponit Apoſtolus quid ſit ſurgere cum Chriſto, atque cum eo aſcendere ſurſum*

ſurſum, mori & viuere cum Chriſto, nempe exuere veterem Adamum carnalem, & induere nouum cæleſtem. Simile facit ad Epheſ.4. Heb.12.1. Pet.2.&.4.

2 *Depingit veterem hominem, quo nos ſpoliatos vult, vocans eum vitia infidelitatis & ignorantiæ, vtpute fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, auaritiam, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem, &c. Nouum hominem quo nos ornatos vult, ſeptem virtutes enumerat, puta viſcera miſericordiæ, modeſtiam, patientiam, ſupportationem infirmitatis proximi, & culpæ condonationem. quibus octauo loco addit charitatem, vt quæ omnes virtutes connectere debeat.*

3 *Demum hortatur ad gratiarum actionem, qua proteſtemur Deum omnium gratiarum fontem, vt per eam amplioris gratiæ nos dignos faciamus. Omni quippe habenti dabitur, &c.*

IN EADEM DOMINICA

EVANGELIVM.

IN illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile factum eſt regnum cælorum homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit Zizania in medio tritici, & abiit. Cùm autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & Zizania. Accedentes autem ſerui patrisfamilias, dixerunt ei, Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Et ait illis, Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei, Vis imus, & colligimus ea? Et ait, Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus, Colligite primum Zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Matth.13.

EVANGELIVM hoc elegantiſsimè totius Eccleſiæ ſtatum proponit. Et ſunt nobis præcipuè tria conſideranda.

1 Principiò, conſiderandum Parabolæ myſterium, & verbi Dei effectus. In parabola itaque, *Paterfamilias* ſignificat Chriſtũ Dominum. Nam Chriſtus in hunc mundum venit, vt patris ſui nobis reuelaret voluntatem. Venit etiam vt ſeminaret ſemen fructiferum doctrinæ catholicæ & euangelicæ. Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. *Chriſtus pater familias. Ioan.6. Luc.8.*

Maximum vtique eſt hoc Chriſti beneficium, ſine quo omnes perire cogeremur. Nam oportet nos cum Dei gratia, incipere, promouere, ac finire ſalutem noſtram, ſi eam conſequi voluerimus. Nos enim natura ſumus mali, & filij iræ. Lucæ 11. In peccatis concepti. Pſal.50. In peccatis nati. Epheſ.2. Sine gratia Dei noſtris viribus nihil valentes efficere. Ioan.15.

Multum igitur intereſt quis nos ſeminet. Si enim ſeminator fuerit Chriſtus, ſeminabit nos filios Dei, quia dat poteſtatem filios Dei fieri per Sacramenta. Ioan. 1. ad vitam æternam: ſi verò ſeminator fuerit diabolus, ſeminabit nos filios malitiæ ad damnationem æternam.

Ager dominicus ſignificat mūdū aut corda hominum. *Ager*, ſignificat mundum, & corda hominum: Nam in omnem terram exiuit ſonus eorum, Apoſtolorum ſcilicet, qui prædicabant Euangelium. Pſal. 18. Omnes ad nuptias filij Dei ſunt vocati. Mat. 22. Glorificabitur igitur in nobis Deus propter ſummam ſuam clementiam & benignitatem, qua per Chriſtum in gratiam nos recepit, & ad ferendos fructus æterna gloria dignos in ſua eccleſia ſeminauit. Caueamus modò à præſumptione, ne præſumamus ſalutē ex propriis ſolum nos poſſe conſequi viribus vel meritis: Maledictus homo qui confidit in

Iere.17. homine. *Semen ſignificat verbum Dei.* Nam ſcriptū eſt: Renati eſtis, non ex ſemine corruptibili ſed incorruptibili per verbū Dei vi-

Semen ſignificat verbū Dei. Luc.8. ui. 1. Pet. 1. Item: Semen eſt verbum Dei, quod cadens in terrā bonam, fructum facit. Tam communis fuit omnibus olim, & eſt modo prædicatio pœnitentiæ, & remiſsionis peccatorum, quàm manna omnibus Iſraelitis in deſerto: ſed diabolo ſuggerente & ſeminante, naſcuntur multa ſcandala. Nam in ipſo eccleſiæ cœtu, ſunt multi imbecilles, & peccatores, qui puſillos offendunt. interim tamen vtuntur dōnis ſpiritualibus, ſacramentis, & aliis diuinis beneficiis, tam in clero quàm in plebe. Eccleſia enim bonos & malos complectitur. Matt. 3. 22. 25. 2.

Eccleſia propter ſcādala deſerenda nō eſt. Timoth. 2. Verum nos nihil moueamur his ſcandalis, quo eccleſiam aut doctrinam catholicam deſeramus, aut ſacerdotalem dignitatem contemnamus: ſcientes culpam non in verbo, nec dignitate, ſed in perſonis eſſe. Peccatum quippe ſacerdotis, nec verbo Dei veritatem, neque eius officio dignitatem aufert,

Mat.23. ſed eius animam gratia ſpoliat: Quæ dicunt, facite &c.

2 Secundo loco proponitur quæſtio, Vnde zizania bono ſemini aduenerint. Reſpōdet Chriſtus: Homines dormiuiſſe, atque interim inimicum veniſſe, & ſuperſeminaſſe zizania.

Dormitio prælaterum Eccleſia. Iſa. 56. Hiere.9. Phil.2. Inimicus ſathan. Dormire autem, eſt, Epiſcopos, Paſtores, & omnes Chriſtianos, negligere, paruifacere, contemnere, non aſsiduè in corde voluere verbum Dei auditum, & ea quæ ad animam ſpectant, ſed curis & ſolicitudinibus huius ſeculi, auaritia, voluptatibus, ſodalitiis malis, ſecuritateque eſſe occupatum.

Inimicus eſt Sathan, qui hoſtis eſt Dei, & fidelium omniū. 1. Pet. 5. Qui inquam zizania non ſeminat inter Iudæos, Mauros, aut Turcas, ſed in Eccleſia Dei, inter triticum: qui etiam more cuculi ſua oua in alienos ponit nidos: prodit tamen poſtea vox ipſa pullos ſuppoſititios.

Sem-

Semper enim Sathan cupit conuerſari inter filios Dei, non vt pacem promoueat, ſed vt diſsidia & omnis generis mala cõcitet, & omni nocumento afficiat, Iob. 1.

Sathan cupit conuerſari ſemper inter filios Dei.

Aduertenda igitur diaboli aſtutia, & cautela, non enim venit de die, ſed nocte: non cum vigilarent homines, ſed cum dormirent: id eſt, cum fiducia certa quieſcerent, in ſola fide ſuã ſpem collocantes: tunc cùm ita dormirent ſecuri, venit inimicus, & ſua ſparſit zizania. Quod facit, dum excitat ſectas, falſas doctrinas, opiniones varias, dum conturbat fidem, diſtrahit dilectionem, dum reddit contemptui Eccleſiam & ſacramenta, reliquaque ad ſalutem neceſſaria. hæc grauiſsima mala multò facilius diabolus patrat, vbi Epiſcopi, paſtores, concionatores, confeſſores, patresfamilias non vigilant ſuper greges ſuos: ſed dormiunt atque ſtertunt turpi veterno, vt videmus factum olim, apud Iudæos, per Baalitas, Molochitas, Phariſæos, Sadducæos: tandem apud Chriſtianos orientales, per Arrianos, Valentinianos, Manichæos, Ebionitas, Pelagianos, Donatiſtas: & modò apud nos per Lutheranos, Zuinglianos, Anabaptiſtas, Caluiniſtas, reliquoſque Proteſtantes. Atque vtinam in Germania, Epiſcopi, & paſtores vigilaſſent in tempore, nec fuiſſent canes muti, neſcientes latrare. Iſa. 56. Nunquam inimicus Eccleſiæ Sathã per Lutherũ, modò & per Brẽtium, zizania ſeminaſſet. Nec putẽt prophani principes ſe futuros innoxios ante tribunal Chriſti: tenentur & ipſi ſuas partes agere, & gladio ſibi diuinitus conceſſo, proſcindere vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini, Canticorum 2. Sunt etiam cuſtodes & vigiles ciuitatis Dei, ſunt excubitores lectuli Salomonis, ob id ſunt armati, Cant. 3. Sed quia reliquerunt aquam viuam Eccleſiæ, & foderunt ſibi turbidas & putidas ciſternas; tales enim ſunt doctrinæ Lutheri & Brentij, dabunt grauiſsimas pœnas; quia dormierunt, nõ vigilarunt, irrueruntque inimici in ciuitatẽ Dei. Dabit pœnas Saxonum dux, dabit & VVitenbergius, qui in ſinu ſuo colubrum, & ignem geſtat, qui totam Germaniam exurit atque incendit, & ſuis ſibilis inficit.

Diaboli aſtutia & cautela.

Socordia prælatorũ ac principum quanta mala pepererit quibuſdam terris.

Rom. 13.

Iere. 2.

Tenenda igitur ſemper eſt regula Chriſti: Attendite à falſis prophetis, qui veniunt, &c. Mat. 7. Et B. Ioan. 1. Can. 4. cap. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, &c. Tenenda quoque D. Pauli regula: Rogo vos vt obſeruetis eos qui diſſenſiones ſeminant, &c.

Regula Chriſti ſemper tenẽda

Rom. 16.

3 Tertiò, conſiderandum, quid cum zizaniis ſit agendum. Hoc explicatur in Euangelio, vbi dicitur: *Cùm herba creuiſſet, & zizania pullulaſſent, accedentes ſerui dixerunt, Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti? Vnde autem habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo*

hoc fecit. Serui autem dixerunt : Vis igitur imus & colligimus ea ? Et ait, Non, ne forte colligentes Ziζania, eradicetis ſimul & triticum. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. Tum dicam meſſoribus : Colligite primum Ziζania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

Serui patrisfamilias. *Meſſis dies nouiſsimus.*

Hic obſeruabimus, ſeruos hos eſſe Apoſtolos, prophetas, & omnes concionatores, quos Chriſtus vocauit, & elegit, ad ædificandam ſibi vineam, Ioan. 15. Poſui vos vt eatis, &c. Matth. 10.

Meſſores Angeli; horreum Dei regnum cælorum.

Meſsis eſt dies nouiſsimus, vbi quiſque quod ſeminauerit metet, Paulus ad Galat, 6.

Meſſores ſunt Angeli, qui colligēt in die iudicij omnes mortales ante tribunal Dei, & ſeparabunt malos de medio iuſtorū, Mat. 25. Horreum Dei, regnum eſt cælorum.

Ignis, æternam ſignificat damnationem, vbi erit fletus & ſtridor dentium.

Ignis ſignificat æternam damnationem. *Ziζania quæ ſunt.*

Zizania, ſunt hæreſes homines mali, peruerſi, ſeditioſi, hæretici, ac manifeſtè flagitioſi.

Hos non vult Chriſtus ab aliquo, priuata auctoritate tolli de medio: nec vult etiam quod propter peccata iſta, eccleſia ipſos ferro, aut alia morte puniat, ſed quod verbo, exhortatione, increpatione admoneat, & in bonam mentem inducat. quod ſi ita non profecerit, habet ex diuino iure carceres, & alias pœnas corporales.

Magiſtratus tenetur curare ne falſæ doctrinæ aut ſectæ ferantur.

Sciendum tamen hic quòd illis Chriſti verbis non tollitur auctoritas & poteſtas magiſtratui prophano, vt non exerat ſuum gladium. Tenetur enim magiſtratus curare, ne ferantur falſæ doctrinæ aut ſectæ, vt puniantur gladio & igni auctores illarum, Deut. 13. Tenetur quoque curare, vt Eccleſia ſuum iudicium habeat liberum & integrum.

Quæſtio. *Eccleſiæ officium eſt cognoſcere, quæ doctrina ſit falſa & quæ vera.*

Poteſt ne magiſtratus cognoſcere cauſas doctrinę? Minimè, Nam Eccleſiæ hoc eſt officium, ipſiuſque iuris eſt cognoſcere, quæ doctrina ſit falſa, quæ autem ſit vera. Vbi autem illa iuditium fecerit, magiſtratus debet ex diuino iure ſeruitium Eccleſiæ, vt eius perturbatores, debitis pœnis corrigat & afficiat. Nec agit contra diuinam ſententiam magiſtratus prophanus, occidendo ſeditioſos, & homicidas, & alios graues peccatores. Nam eſt diſcrimen inter tribunal Chriſti, quod in Eccleſia eſt, & tribunal prophanum. In politica gubernatione Eccleſiæ dicitur, quatenus ad vitam corporalem peccantium, & perſonas priuatas, *Sinite vtraque creſcere.* Quatenus verò attinet ad magiſtratus prophanos, & eorū poteſtatē, dicitur: Qui gladio occiderit, gladio peribit. Decet igitur magiſtratus punire latrones, homicidas, ſeditioſos, adulteros, fornicarios, & alios manifeſtos

Matth. 26.

ſtos peccatores: ita tamen, vt ad pœnitentiã exhortētur, & in ſpiritualibus erudiantur: ne cum corpore, & anima pereant. Debent & vi reſiſtere hæreticis, ſchiſmaticis, ſuſpectis: quorũ cauſæ prius iudicabuntur ab Eccleſiaſticis viris, ſecundum ſcripturas ſacras, concilia, patres, & eccleſiæ traditiones, quibus ſi adhuc animoſa pertinacia reſiſtere voluerint, hæretici habeantur, & vt tales ab Eccleſia condēmnentur, & à prophano magiſtratu præmiſſa admonitione, etiam extremo ſupplicio plectantur. Auguſt. in Epiſt. ad Parmenianum.

Nulla itaque ratiõne ferendus eſt quiuis hæreticus. ſed omnes debent cùm publicè, tum priuatim, vbique, ſemper, & apud omnes contradicere, ac reclamare, Iſa. 58. Iere. 1. Ezech. 3. 2 Timoth. 4. *Hæretici nulla ratione ferẽdi.*

Sic magiſtratus quoque poteſt ſubditos cogere, vt omiſſa hæreſi, & erroribus Lutheranorum, audiant doctrinam Apoſtolicam, catholicam & Eccleſiaſticam. Nam licet fidem dare non poſsit niſi ſolus Deus: per auditum tamen aſsiduum, & per alias corporales afflictiones, coacti à magiſtratu errorem agnoſcere, conuerti, & fidem accipere poſſunt. Nam Auguſt. teſtatur, ſerio Theodoſij Imperatoris mandato, ſuam Eccleſiam Hipponenſem à Donatiſtarum hæreſi liberatam, & per auditum verbi Dei, ad veritatem reductam, vide Augu. Epiſtola. 50. ad Bonifacium. Item Epiſt. 48. ad Vincentium. Et contra Creſconium, lib. 3. cap. 51. Item contra Gaudentium lib. 1. cap. 17. *Magiſtratus poteſt ſubditos cogere vt omiſſa hæreſi, audiant doctrinã catholicam.* Poteſt etiam pari ratione Eccleſia pœnis tẽporalibus peccatores afficere, habet enim ex diuino iure tribunal, habet carcerem, habet & poteſtatem imponendi alias pœnas, iuxta qualitatem eorum criminum, quæ peccatores commiſerint, æquas, quales ſunt proſcriptio bonorum, exilium, & alia, quæ homines affligere ſolent, & vexare.

Poteſt item Eccleſia peccatores ſceleratos, manifeſtos, & cõtumaces à fidelium conſortio excommunicare, Matth. 18. 1. Cor. 5. Nec hoc contradicit verbis Chriſti: Sinite vtraque creſcere. Nam excommunicatio, & pœnæ reliquæ non tollunt homines è medio, non auferunt vitam, ſed ad pœnitentiam inducunt, & cõmpellunt. quod Eccleſia maximè in peccatoribus prætendit, ne pereant. *Excõmunicatione quid Eccleſia prætẽdat in peccatoribus.*

EPILOGVS.

1 *Parabola oſtendit, quod omne bonum à Deo proficiſcitur, malum autem ab inimico. Auguſtinus contra Manichæos de duabus animabus: Satanas, inquit, neminem creauit, neque bonum, neque malum. ſed ſuadendo eos poſtea malos effecit, non cogẽdo, Sap. 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem, &c. Imitatione igitur ſunt ſatanæ, non creatione, Ioan. 8. Rom. 6.*

2 *Non minus diſpendium fidei ac religionis attulit Eccleſiæ, ocium, torpor, & negligentia prælatorum, quàm ambitio, auaritia & luxus: Cum autem*

 dor-

dormirent homines, venit inimicus, &c. hinc Amos 6. Væ vobis, inquit Dominus, qui opulenti eſtis in Sion, &c. qui dormitis in lectis eburneis, bibitis vinum in phialis, &c. nihil compatimini ſuper contritione Ioſeph. Vide etiam Ezech. 34.

3 *Gemina dulcedo eſt in pectore Ieſu, Longanimitas in expectando, & facilitas in donando, Iſai. 30. Expectat Dominus vt miſereatur. Interim, mali bonis admixti, ſunt ferendi, quando minore pernicie tolerantur, quàm tollerentur. Sed væ obſtinatis, horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.*

DOMINICA SEPTVAGESIMAE, EPISTOLA.

1. Cor. 9. et 10. *FRatres, Neſcitis, quòd hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. Et illi quidem, vt corruptibilem coronã accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari: & omnes eandem eſcam manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autem de ſpirituali, conſequente eos petra: Petra autem erat Chriſtus.*

HAC Epiſtola proponit Paulus duas ſimilitudines: quibus probat Chriſtianos debere ad ſummã perfectionem tendere, & quod potiſsimum eſt, in ſana vocatione, eligere.

Chriſtianorum eſt ad ſummã perfectionem tendere. 1 Altera eſt de currentibus in ſtadio, altera de certantibus in palæſtra: quorum tamen pauci conſequuntur brauium, & certaminis præmia. Sunt enim plerique deſides, & pigri ad currendum, aut aberrant à ſcopo & meta. Sunt etiam qui obiter extra certamen alia præſumunt negocia expedire. Sunt & multi intemperantes, nihili facientes coronam ſibi propoſitam.

Non enim ſatis eſt, in ſtadio currere, multas ſagittas emittere, ac in arena pugnare: ſed oportet quod petitur attingere. *Num. 9.* Ideo dicit: *Sic currite vt comprehendatis.* Huius autem rei ponit exemplum, dicens: *Exod. 13.* *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube, & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt: bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus: ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo, nam proſtrati ſunt in deſerto, hoc eſt,* plures illorum non approbauit Deus. Mortui ſunt & proſtrati, nunc à ſerpentibus, nunc ab inimicis, alias ab ipſa ira diuina in deſerto.

Exod. 14. Ibidẽ 16. & 17 Num. 20.

Per hoc horrible exemplum indicat, non omnes præmium cõſecuturos, qui propter illud currunt, ſpicula torquent, atque certant.

certant. Nam fuere in populo Iſraël circiter ſexies centena millia, nec non præſtantiſsimi viri, Moſes, Aaron: item 12. tribuũ Iſraël principes: item illi 70. inter quos ſpiritus Moſi diſtributus fuit, item 12. exploratores, qui omnes in via Dei atque ſalutis ad terram promiſsionis currebant. ſed duo tantum peruenerunt, Ioſue ſcilicet & Caleb. Reliqui omnes in deſerto perierunt. Recenſet autem Paulus tria genera peccatorum, quæ Iudæos currentes in ſtadio, à meta repulerunt, ſcilicet, Idololatriam, Exod. 32. Scortationem. Num. 25. & murmurationẽ contra Deum & Moſen. Num. 21.

Num. 11.

Peccatorũ tria genera quæ Iudæos à ſtadij meta repulerunt.

Et hæc peccata adhuc apud homines in frequenti & aſsiduo vſu ſunt. Nam quid aliud eſt, pro Deo vero, homines hæreticos reuereri, & vti deos ipſos colere? & vt illis placeant, Eccleſias ſuis bonis ſpoliare, pro fide charitatem reiicere: pro veritate errores & mendacia prædicare, quàm mera & abominanda idololatria? Apoſtatarum etiã fornicationes, adulteria, & ſtupra: quamuis matrimonij nomine ipſa ornare ſtudeant, notiora ſunt omnibus, quàm quæ hic debeant referri. Quantum ipſi quoque murmurent contra Deum, qui nos fert, contra Moſen verum Romanum pontificem, contra Epiſcopos, Cardinales, Clericos, Monachos, vel ipſorũ libri, qui iſtis ſordibus referti in dies euulgantur, teſtatum omnibus piis facient.

Hæc omnia, inquit Paulus, in figura facta ſunt noſtri, in figura autem contingebant illis. *Scripta ſunt autem ad correctionem noſtram, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamur, ſicut quidam ex ipſis. Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt. Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt. Neque murmuremus, ſicut quidam eorum murmurauerunt.*

Exod. 16. Exod. 32. Num. 25. Num. 21. Num. 14.

Sequitur dogma.

Diſcimus ex hac epiſtola tria, Patrum, atque noſtrã fidem, eandem eſſe rem, licet verbum, atque ſacramenta fuerint diuerſa. Petrus, Act. 2. Non eſt aliud nomen datum hominibus ſub cælo, in quo oporteat nos ſaluos fieri, niſi in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. & Paulus 2. Corint. 4. Habentes eundem ſpiritum fidei, & nos credimus, &c.

2 Proinde hic diſcimus, quòd Deus communiter promiſsiones ſuas ſignis quibuſdam externis ornauerit, & cõfirmauerit, vt per illa ſigna magis confirmaret fidem noſtram.

Deus promiſſiones ſuas ſignis externis ornat & confirmat.

3 Tertiò diſcimus, quamuis fides in Chriſtum ſit ſpiritualis cibus, atque potus: tamen nihilominus eſt neceſſarium ad ſalutem, externè ſumere realiter corpus Chriſti, in ſacramento Euchariſtiæ. Paſcitur enim hoc ſacroſancto cibo anima, & corpus in vitam æternam. Amen.

COM-

COMPENDIVM EPISTOLAE.

1 *Vita Chriſtiana minimè mollis eſt, & delicata, ſed laborioſa, & ſudore plena: ſed quam Agonotheta Deus remunerare velit, id pulchris ſimilitudinibus ob oculos ponitur.*

2 *Certaturi ſaltu, vt eſt apud Philoſtratum in libello de athletis, abſtinebant à coitu, & aliis deliciis. iam turpe eſt ſi nos pro brabio vitæ æternæ ſegnius nos geramus, quàm vulgus hominum pro vili præmio. Exemplum cùm Pauli, quod ſermone, vita, benefactis, nobis imitabile proponitur, tum veterum patrum, qui baptiſmi myſterio & ſpiritali eſca potúque, non titulo tenus, ſed re ipſa communicauerunt.*

3 *Eccleſia Romana inſtituit hanc Epiſtolam hodie fidelibus prælegendam, vt intelligant non ſufficere ad ſalutem, quòd ſimus Chriſtiani, neque quòd curramus in via huius vitæ: niſi vnuſquiſque ſic currat, vt comprehendat, hoc eſt, niſi vnuſquiſque tanto ardore, & ſpiritus feruore curſum in charitatis via, qua itur ad æternam patriam, peragat, vt brauium comprehendat. Habet enim emphaſim magnam verbum illud: Sic currite vt comprehendatis. Det Dominus pro ſua miſericordia, vt ſic curramus, vt ipſam promereamur coronam. Amen.*

EVANGELIVM SEPTVAGESIMAE.

Matth. 20. *IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum homini patri familiàs, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios ſtantes, & dixit illis: Quid hic ſtatis toto die otioſi? Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam: cum ſerò autem factum eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a nouiſſimis vſque ad primos. Cum ergo veniſſent qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi: acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios: & accipientes, murmurabant aduerſus patrem familiàs, dicentes: Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus. At ille reſpondens vni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam: Nónne ex denario diurno conueniſti mecum? Tolle ergo quod tuum eſt, & vade. Volo autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. An non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.*

EVANGELICA hæc parabola primo loco oſtendit ab initio mundi ſemper fuiſſe aliquã Eccleſiam vocatam, & mirabiliter ſeruatã atque gubernatam à Deo. Vt enim Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, non humanis præſidiis defenſi ſunt, (Gene. 7. 12. 27. 28.) ſic ſciamus & noſtram Eccleſiam diuinitus regi, atque defendi. idque firmiſsima fide apud nos ſtatuamus.

Eccleſia ab initio mundi eſt.

Quod

Quod autem pius Abel ab impio Cain(Geneſ.4.) & Ioannes Baptiſta ab Herode(Mar.6.)& D.Stephanus ab impiis Phariſæis afflictus eſt (Act.7.) id factũ præter Dei voluntatem ne putemus. neque idcirco Chriſtũ ſuam Eccleſiam derelinquere eſt arbitrandũ. Nam vno ſublato fideli miniſtro, cõfeſtim aliũ in eius locum ſubrogat,& reſtituit:Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij.

2 Secundò,minatur omnibus,ingratis recuſantibus,& negligentibus venire vocatis,pœnas debitas ſuæ negligentiæ. *Pſal.44.*

3 Tertiò,indicat vocationem gentium,quas collatione ſuorum beneficiorum,non tantum Iudæis exæquat, verùm ipſis ſua culpa relictis,ad gentes vocandas ſe prorſus conuertit:quibus per ſanguinem ſui filij, in ſacramentis omnibus gratis communicatum, & remiſsionem peccatorum,& gratiã ſuam promittit.

4 Quartò,docet neminem debere extolli, neque de propriis meritis inflari,neque de ſuis viribus gloriari, etſi merces vitæ æternæ non niſi laborantibus concedatur, 2.Timoth.4. & 1. Corint.15.Plus omnibus laboraui,non ego autem,ſed gratia Dei mecum. *De propriis meritis et viribus non eſt gloriandum.*

5 Quintò, Docet Euangelica hiſtoria, nemini murmurandum eſſe, etiam ſi Deus alium quempiam, qui minus laboraſſe videatur, æque ac ipſum remuneret. quòd is vnicuique ſecundum ſuam iuſtitiam, dignam rependat mercedem. Solet enim Deus deponere potentes de ſede,& exaltare humiles. Iudas infremuit aduerſus Magdalenã, propter effuſum vnguentum,Ioan.12.Scribæ & Phariſæi murmurabant contra Chriſtum,quòd cum peccatoribus manducaret. Ideo ſuperbi humiliantur,& exaltantur humiles, eruntque nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi. *Contra Deum non eſt murmurandum.* *Luc.1.* *Luc.15.*

Complectitur præterea præſens parabola quatuor.

1 Primò,quis ſit ille paterfamilias, qui conducit operarios in vineam ſuam,nempe pater cæleſtis, qui vocat ad fidem in ſuum regnum Iudæos primo diluculo,hora quoque tertia, ſexta,& nona.Horum Iudæorum conuentio habetur & ſignificatur per Moſen.Deut.28.Vbi Moſes dixit populo Iſraëlitico: Si autem audieris vocem domini Dei tui,vt facias,atque cuſtodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie,faciet te dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus, quæ verſantur in terra.Et Leuit.18.Cuſtodite leges meas, atque iudicia,quæ faciens homo viuet in eis. *Paterfamilias vineæ, Pater cæleſtis.* *Conuentio dei cum Iudæis.*

Qui ergo ſpiritualiter legem hanc intellexerunt,& ſpiritus ſancti gratia per Chriſtum adiuti,illam obſeruandam intellexerunt, hi vitam æternam ex conuentione, in mercedem laborum ſuorum expectabant: qui autem carnaliter intellexerunt, *Vocatio gentium.*

ſolum

ſolum temporalem benedictionem, & vitam temporalem perceperunt.

Deinde Gentes tardius circa horam vndecimam, tempore huius mundi extremo, pater ille cæleſtis vocat ad fidem in ſuū regnum. hi rectè laborantes & meritoriè, non tantum temporalem, ſed etiam ſpiritualem benedictionem, denarium vitæ æternæ ſcilicet, in mercedem ſuorum laborum acceperunt. Ac quamuis vita æterna ſit vera merces operum Chriſtianorum, gloriari tamen in illis non licet, niſi in Chriſto: cuius beneficio, & meritis, & ipſa opera gratis nobis dantur, & data merito eiuſdem Chriſti, non noſtro perficiuntur. Rom.6. Stipendia peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna.

Operarij per verbum dei vocantur.

2 Secundò, hic oſtenditur, per quid vocet operarios, nempe per verbum Dei. Nam ad hoc prædicandum, Pater cæleſtis ab initio miſit prophetas, Ierem.7. de quo Paulus Heb.1. Multifariam, multiſque modis olim locutus eſt Deus patribus in prophetis, nouiſsimè locutus eſt nobis in filio, &c. Quomodo audient ſine prædicante? quomodo prædicabunt niſi mittantur? Rom.10.

Marc.16. Ioan.20. Ioan.15.

Poſtmodum, ad hoc prædicandum Chriſtus miſit Apoſtolos, Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. Item ſicut miſit me viuens pater, & ego mitto vos. Et iterum, Ecce ego diſpono vobis regnū, vt eatis, & fructum afferatis. Demum hodie ad prædicandum Dei verbū, Epiſcopi mittunt paſtores, concionatores, & reliquos miniſtros Eccleſiæ: ſed non omnes vocati veniunt, neque eius more, culpa eſt verbi, ſed eorum qui vocati venire nolunt, qui contemnunt verbum Dei, & tempus vocationis ſinunt prætcrlabi, & occaſionem ſalutis præterire: quæ tria grauiſsima ſunt peccata: hinc ait Matth.23. Ieruſalem, Ieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?

Tria grauiſſima vitia ne vocati veniant impedientia.

Laborare in vinea domini quid.

3 Tertiò in hac parabola cōtinetur, ad quid vocet operarios, nempe, vt laborent in vinea domini. Eſt autem laborare in vinea domini, quemlibet in vocatione ſua, iuxta verbum Dei, in Deum credere. Ioan.6. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille, Viuere ſecundum eius mandata, Mat.19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Proximum diligere, 1. Ioan. 3. Hoc eſt mandatum Dei, vt diligamus alterutrum. Eſt præterea laborare in vinea domini, Eccleſiam, eiuſque caput Romanum pontificem, vt patrem & Chriſti vicarium obſeruare, Heb.13. Obedite præpoſitis veſtris: & non quod ſenſui proprio placet, ſed quod Eccleſia docet, facere. Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.

Galat.1.

Quemadmodum enim in externis vineis varij ſunt labores homi-

hominum, alij fodiunt ſarculis, alij extirpant vepres innaſcentes, alij ſtercorant, alij plantanr, putant alij palmites, reſecant alij, reliqui manipulos colligunt, & aliud alij faciunt: ſic in vinea domini varia ſunt officia, atque diuerſa vocationũ genera. 1. Cor. 7. Hos docet Paulus, omnibus vocatis manendũ eſſe in illa vocatione in qua vocati fuerint. Seruus, inquit, es vocatus? non ſit tibi curæ eſſe liber. coniux factus es? noli quærere ſolutionem. *Vinea domini varia habet officia.*

Hinc quippe hæreſes, hinc rerum publicarum corruptiones & ruinæ, quòd nobilis vult eſſe princeps, princeps rex, rex pontifex: quòd mechanicus præſumptuoſe tractat de reformanda Eccleſia; de temeranda doctrina Pauli, & aliorum Apoſtolorum, & magiſter ſcholæ triuialis doctor vult eſſe Eccleſiæ.

4 Quartò, complectitur hęc parabola Euangelica quotuplex genus hominum vocet paterfamilias in vineam ſuam. Duplex puta. Prioris generis homines conueniunt cum patrefamilias certa mercede, conuentione facta ex denario diurno. Poſterioris verò generis homines, & ſi præſcripta mercede cum patrefamilias non tranſigant, nihilominus conuentione facta de iuſta mercede ipſis tribuenda, in vineam mittuntur.

His itaque ſententiis ſtabilitur firmum dogma noſtræ fidei, ſcilicet operarios eſſe omnes qui vocantur in vineam domini, quæ eſt Eccleſia, non fiduciarios, neque ſtatuarios, vt ſynagoga Lutheranorum docet. Fides enim ſine operibus mortua eſt. Iaco. 2. *Duplex genus hominũ vocat paterfamilias in vineã ſuã.*

Præterea ex his conſtat, ſtatum eſſe pretium à Deo operibus laborantium ex charitate, pro ſua dignitate, quod eſt vita æterna. Matth. 25. Venite benedicti patris mei, &c. Item Roma. 2. Reddet vnicuique ſecundum opera eius, iis quidem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt: vitam æternam. *Operarij admittuntur in vineam non fiduciarij* *Vita æterna ſtatũ præmiũ laborantibus.*

Tertiò, ex his ſententiis ſatis patet, quamuis opera noſtra imperfecta ſint, & quodam puluere terreno conſperſa, propter miſericordiam Dei, & filij eius dignitatem, digna fieri quæ in conſpectum Dei prodeant: vt & ab ipſo ex ampliſsima perfectione operum Chriſti quicquid ipſis deeſt, ſuppleatur, & in miſericordia & miſerationibus iuſta mercede ex benigna ipſius promiſsione coronentur. Hinc Dauid, Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. *Pſal. 102.*

DOGMATA HOC CONTENTA
Euangelio ſunt.

1 *Opera ex fide neceſſaria eſſe ad ſalutem: quia omnis arbor quæ non facit fructum excidetur, & in ignem mittetur, Mat. 7. Conduxit hic operarios paterfamilias mittendos in vineam ſuam, non vt otiarentur, ſed vt operarentur. Auguſt. lib. de fide, & oper. cap. 6. 7. 8. 14. & Pſal. 31.*

Opera

2 Opera iſta ex charitate à Chriſtianis facta, digna eſſe vita æterna, propter Chriſti ſpiritum inhabitantem, qui ea operatur, ipſiſque eam dignitatem præſtat, vt ſint digna tanta retributione, dicente Paulo ad Galat. 2. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.

3 Opera iſta ſpiritu Chriſti, eiúſque virtute facta, fiduciã quandam vitæ æternæ, & gratiæ Dei conſequendæ, animis Chriſtianorum ingenerare, Auguſt. in Pſal. 31. Paul. 2. Tim. 4. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi iuſtus iudex.

4 Quamuis de operibus ſecundum doctrinam catholicam ita nobis ſit ſtatuendum, vt per Chriſtum operibus intercedentibus, vitam æternã nos conſecuturos ſperemus, non tamen licere Chriſtiano, de ipſis gloriari, niſi in Domino. Auguſt. in Pſa. 31. Paulus. 2. Cor. 10. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quid enim habes quod non accepiſti? 1. Cor. 4.

EPILOGVS.

1 Parabolæ rerum notiſſimarum ſimilitudines ſunt docendi genus ſimpliciſſimum, & rudibus maximè appoſitum, in his quod ſingula verba attinet, ne ſimus anxiè curioſi, cum de ſumma ſententia conſtare poſſit.

2 Per horas verò & tempora quinque, quibus Paterfamilias vocauit & vocat operarios, allegoricè quinque mundi ætates ſunt. Prima earum fuit à principio mundi vſque ad Noë, quæ durauit mille ſexcentis & 56. annis. Secunda fuit à Noë vſque ad Abraham. Tertia fuit ab Abraham vſque ad Moſen. Quarta fuit à Moſe vſque ad Chriſtũ. Quinta eſt à Chriſto vſque ad finem ſeculi, cuius durationem nemo nouit, niſi ſolus pater.

3 Locus de prædeſtinatione admodũ difficilis: Cur non omnes ſtatim conducat, vnum hac hora, alium altera vocet. nam ex prædeſtinatione dei fluit, vt quis credat vel non credat, à peccato liberetur vel non, vt ſciamus, ſalutem noſtram, non in viribus noſtris, ſed ſolum in potentia dei ſitam: & hinc ſpem habemus contra peccatum & ſatanam. Et quia nouiſſimi primi & primi nouiſſimi, multíque vocati, pauci verò electi, vt meta ponatur temerariis & ſublimibus ſpiritibus, qui volunt conſilia dei inſcrutabilia perſcrutari, an ſint prædeſtinati nec ne, &c. Qui velit eſſe prudens & fidelis diſpenſator, ſeruet Pauli ordinem, quem habet in Chriſtianiſſimi compendiaria epiſtola ad Rom. 6. & ante omnia inquirat de Chriſto in Euangelio: vt homo peccata ſua, & Chriſti gratiam agnoſcat, cum peccato pugnet, & iam vbi inceperit ſub cruce & paſſione eſſe, hoc ipſum rectè docebit prædeſtinationem, huius enim muſti non omnes vtres capaces ſunt.

DOMINICA SEXAGESIMAE

EPISTOLAE.

2. Cor. 11. FRatres, Libenter ſuffertis inſipiẽtes, cùm ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis vos deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit, ſecundum ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego.

ego. Hebræi ſunt, & ego. Iſraelitæ ſunt, & ego. Semen Abrahæ ſunt, & ego. miniſtri Chriſti ſunt, & ego: (vt minus ſapiens dico) plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequẽter. A Iudæis quinquies quadragenas, vna minus, accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. In itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus. In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore et nuditate. Præter illa quæ extrinſecus ſunt: inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor. Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt benedictus in ſæcula, ſcit quòd non mẽtior. Damaſci præpoſitus gẽtis Aretæ Regis, cuſtodiebat ciuitatem Damaſcenorum; vt me comprehenderet, & per feneſtram in ſporta demiſſus ſum per murum, & ſic effugi manus eius. Si gloriari oportet, non expedit quidem, veniam autem ad viſiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Chriſto ante annos quattuordecim ſiue in corpore ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit, raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum. Et ſcio huiuſmodi hominem ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit, quoniam raptus eſt in paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiuſmodi gloriabor: Pro me autem nihil, niſi in infirmitatibus meis: Nam & ſi voluero gloriari, non ero inſipiens: Veritatem enim dicam. Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ qui me colaphizet. Propter quod Dominum ter rogaui vt diſcederet a me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur in infirmitatibus meis gloriabor, vt inhabitet in me virtus Chriſti.

HAEC Epiſtola eſt apologetica, in qua Diuus Paulus facit tria.

1 Primò, monet Corinthios, vt ſibi caueant à pſeudo Apoſtolorum vaniloquẽtia, qui piis ſolent imponere, & imperitos per ſuas gloriationes falſas in fraudẽ illicere. Tale quid etiam monet Hebr. 13. Doctrinis variis ac peregrinis ne circumferamini. &c. *Pſeudo apoſtoli vaniloqui.*

Secundò, precatur Corinthios, vt qui ſtultas pſeudo Apoſtolorum gloriationes ſufferre potuerint, ſuam quoque ſtultam iactantiam æquiore animo ferre, & inde non offendi velint.

3 Tertiò, oſtendit ſe ad gloriandũ veluti compulſum: ſe autem id facturum, vt pſeudoApoſtolis obſtruat ora, & gloriam Dei, atque verbi miniſterium ab illorum inſultu defendat.

Ponit autem modum, & præfigit metam his, qui gloriari voluerint. 1. Corint. 1. Qui gloriatur, in domino glorietur Iac. 1. Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua, diues autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit. Ad Philip. 3. Et gloriamur in Chriſto Ieſu, & non in carne fiduciam habentes. Ieremiæ autẽ 9. cap. ſic habetur: Non glorietur *Gloriandum in domino.*

G ſapiens

ſapiens in ſapientia ſua, neque fortis in fortitudine ſua, neque diues in diuitiis ſuis: ſed in hoc glorietur qui gloriatur ſcire & noſſe me, quia ego ſum dominus, qui facio miſericordiam, iudicium, & iuſtitiam in terra.

Gloriatio duplex. Ex quibus verbis colligitur duplex gloriatio. Altera humana: qua homines gloriãtur de ſuis diuitiis, honoribus, artibus, fortitudine, ſcientiis, ingeniis, dignitatibus, genere, pulchritudine, & his ſimilibus. *Gloriatio humana.* Et hæc gloriatio eſt momentanea, vana, & ſuperba. Iaco. 3. Nam quale fundamentũ eſt, tale eſt & ſtructum in eo ædificium, nempe ruinoſum. *Matth. 7.*

Gloriatio diuina. Altera gloriatio diuina eſt, quia Chriſtiani gloriãtur de miniſterio & vocatione ſua, de tribulationibus, & paſsionibus ſuis: in quibus habent veriſimilia argumenta diuinæ beneuolentiæ, gratiæ, fauoris, & miſericordiæ. Itẽ ſe habere Deũ propitium in cælis, cuius gratioſa adoptione facti ſunt hæredes regni cæleſtis. Hæc gloriatio eſt laus atque gratiarum actio diuinæ bonitatis atque beneficentiæ: item ſingularis conſolatio in afflictionibus, qua cor hominis lætificatur, animus alacrior redditur, & conſcientia fiduciam concipit, Deum ipſius curam gerere, vt qui, cùm paſsiones immittit, det gratiam, ne illis ſuccumbat, ſed eaſdem potius vincat. 1. Cor. 10.

Paulus gloriatur de ſex rebus. 1 Gloriatur autẽ beatus Paulus de ſex rebus. Primò de ſtemmate; quòd ipſe ſit Hebræus, Iſraëlita, & ſemẽ Abrahæ, in quo ait: Quis audet, &c.

2 Secundò, gloriatur de moleſtiis atque laboribus ſuis: nempe, quòd multò plus quàm alij in vinea domini laborauerit, prædicando, docendo, peregrinando: *In laboribus plurimis, inquit, fui,* &c. Item, *Ter virgis cæſus ſum, &c.*

3 Tertiò, gloriatur de cognitione & intelligentia diuinæ veritatis. Cuius teſtis eſt Petrus. 2. Pet. 3.

4 Quartò, gloriatur Apoſtolus de patientia ſua, quòd gratuito illis Euangelium prædicauerit, & nulli oneroſus fuerit. 2. Cor. 11. 2. Theſſ. 3.

5 Quintò, gloriatur de miniſterio, cruce, atque paſsione ſua. Sed huius gloriationis pudet pſeudoapoſtolos, qui prędicationibus ſuis gloriã tantum, honorem, & tranquillam vitã quærunt. Omnes quæ ſua ſunt quærunt, &c. Philip. 2.

6 Sextò, gloriatur de viſionibus atque reuelationibus domini: Idque facit, vt pſeudoapoſtolis obturet ora, & ſuperbiã eorum compeſcat: ſimulque indicet quàm nullius momenti ſit illorum gloriatio ad ſuam comparata.

Concludit ergo oſtendens crucem ſuam, eſſe gratiam Dei. Ne, inquit, *magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſathanæ, vt me colaphizet.* Quaſi dicat: Quemadmodum carni alligatur baculus, equo frænum iniicitur, vrſo annulus

annulus ferreus per nares traiicitur, porco ſudes in os inſeritur, ne nimium currant, mordeant, aut ferociant: ſic Deus corpori meo ſtimulum appoſuit, nempe ſecretas tentationes, atque paſſiones. *Propter quod, inquit, ter dominum rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, &c.* Quibus verbis videmus, ad quid proſint tentationes: nempe, vt nobis occaſionem præbeant noſipſos cognoſcendi & inuocandi Deum. cuius operatione imbecillitas noſtra augeſcit in æternam fortitudinẽ, paſsio noſtra trãsfertur in ſempiterna gaudia, mors denique noſtra temporalis tranſmutabitur in vitam æternam. *Tentationes ad quid proſint.* *Iſa. 43.* *Apoc. 21.*

Documentum.

Docemur hac Epiſtola, non licere Chriſtiano gloriari in ſe, neque in carne, neque in rebus mundanis atque caducis: ſed in Chriſto & eius donis. Licet, inquit Auguſtinus, gloriari: ſed qui gloriatur, in domino glorietur. *Si gloriari oportet, non expedit quidem.* & inferius commemoratis Dei beneficiis, dicit Paulus cap. 12. *Pro huiuſmodi gloriabor, pro me autem nihil, niſi in infirmitatibus meis.* Et cap. 11. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis ſunt, gloriabor.* Eſt magna gloria Paulo pro confeſsione Chriſti, verbera, probra, exilium, naufragium, fugam toleraſſe. Sic omnium Chriſtianorum gloria in hoc potiſsimùm eſt ſita, vt quæ à Deo per Chriſtum dona acceperunt, laudibus extollant. Ibant, ait Lucas, Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. *Chriſtianis in quibus gloriari licet.* *Act. 5.*

EPILOGVS EPISTOLAE.

1 *Gloriatio & triumphus Pauli, diſsimilis ſanguinariis triumphis quorundam, qui cùm patres patriæ eſſe deberent, tyranni ſunt, & pro Catholicis κακολύκοι. In laboribus, &c. Hæc belli decora manet corona iuſtitiæ repoſita in illum diem.*

2 *Neceſsitas Paulo incumbens, vt quod quatuordecim annis celauerat, poſtmodum prodere cogeretur. Tot erant pericula religioni Chriſtianæ à falſis Apoſtolis, à philoſophia mundana, à Iudaica ſuperſtitione, vt ni Paulus omni (quod aiunt pede) contraſtetiſſet, & quotidianam curam omnium Eccleſiarũ habuiſſet, grauiſsimè periclitata fuiſſet doctrina Euangelica. Hæc ignauiam Epiſcoporum & miniſtrorum Eccleſiæ meritò damnant, & calcaria nobis addere debent, vt miniſterium noſtrum ad plenum probatum reddamus.*

3 *Plutarchus ſcribit de vtilitate ab inimicis capienda. hic ſanè habemus ſtimulum carnis, hoc eſt, inſectationem malorum hominum Paulo vtilem fuiſſe. Sic enim & inimici nonnunquam proſunt, docentes nos ſobrietatem & modeſtiam, & hic imbecillitas perficit virtutem, & infirmitas abſoluit potentiam.*

EADEM DOMINICA,

EVANGELIVM.

Lucæ 8.

IN illo tempore, Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem, Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, & dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit ſuper petram, & natū aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat, Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola: Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes, non videant: & audientes, non intelligant. Eſt autem hæc parabola: Semen, eſt verbum Dei: Qui autem ſecus viam, hi ſunt, qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant: Nam qui ſupra petram, hi ſunt, qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent: quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem inter ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audierunt, & à ſollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, ſuffocantur & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes, verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

PARABOLA hæc Euangelica loquitur de quatuor ſeminum generibus, quæ ſata, non ſimilem producunt fructum.

Quatuor ſeminum genera.

1 Inter ſeminandū, *aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud: hi ſunt*, inquit Chriſtus, *qui verbum Dei audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de cordibus eorum, ne credentes ſaluentur*. non quòd ſola fides ſaluet, ſed quòd ipſa impetret reliqua, quibus ſaluamur. hi audiunt quidem verbum, ſed non abiiciunt opera tenebrarum, nec ambulant in nouitate vitæ. Eos continet diabolus, & quamuis audiant verbū, tamen præcludit omnes aditus, ne poſsit in corde eorum radices agere.

Verbū Dei nititur diabolus è cordibus fidelium tollere, ne credentes ſalui fiant.

2 *Aliud cecidit ſuper petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Hi ſunt, qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent, ad tempus credunt, & in tempore tentationis cedunt*, & non ſecus atque arborum folia decidunt. His parum prodeſt audiſſe verbum, nam oportet & conſeruare, iuxta illud Dauidicum: In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Et Luc. 11. Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

Tētatio impedit fructū diuini ſeminis.

3 *Aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul enatæ ſpinæ ſuffocant illud: Hi ſunt*, inquit Chriſtus, *qui cùm verbum audierint; à ſolicitudinibus & diuitiis & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, nec referunt fructum*. vehementer enim impediunt, & à fide & à charitate & veritate homines abſtrahunt. Ideo vocat Chriſtus diuitias ſpinas, & iniquum mammona, Luc. 16. Paulus laqueum diaboli, 1. Tim. 6. Poëta, Irritamenta malorum. Metamorp. 1.

Diuitiæ ſuffocant ſemen verbi Dei.

Aliud

4 *Aliud cecidit in terram bonam, & ortum profert fructum: aliud trigecuplum, aliud ſexagecuplum, aliud centuplum. Hi ſunt, inquit Chriſtus, qui verbum Dei bono corde auditum retinent*, & ipſi obedientes, *fructum adferunt per patientiam*: non ſinunt illud per inſidias diaboli, aut per doctrinas hominum (quales ſunt Lutheranorum) conculcari, vt primi: nec per crucem aut afflictiones ab eo ſe deterreri vt ſecundi: neque curis, diuitiis, aut voluptatibus ſuffocari, vt tertij: ſed omnem mouent lapidem, omneſque neruos intendunt, vt ore, mente, & opere, ſana doctrina, & pura vita ſeſe dignos maieſtate Chriſtiana gerant & proximum adiuuent. Rom. 2. Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.

1 Sic in tribus hominum generibus Euangeliũ perit. Huius cauſæ ſunt tres, Prima, eorum qui adulterantes verbum Dei, non ſe in manifeſtatione veritatis commẽdant ad omnem conſcientiam hominum coram Deo. (2. Cor. 2.) ſed ſua commenta vel ſomnia populo Chriſtiano præponentes, veram & Catholicam doctrinam omnibus Chriſtianis neceſſariam, quaſi humilem, & ſua altitudine indignam, reiiciunt & negligunt: interdumque non dubitant pro Euangelio venditare, quod Euangelio maximè aduerſatur, hi non doctrinam, ſed doctrinarum omnium corruptionem populo annũciant. Sunt alij qui bona ſanaque dogmata tractant & prædicant, ſed manifeſta ſuæ vitæ improbitate efficiunt, vt fructus doctrinæ ſuæ è cordibus audientium pereat. Vos receſsiſtis à via: & ſcandalizaſtis plurimos in lege, &c.

Euãgelium in tribus hominũ generibus perit.

Adulterantes verbum dei.

Malach. 2.

2 Secunda cauſa eſt, Parentum, qui liberos, reliquamque ſuam familiam ad conciones ſacras bonorum virorum non inuitant, nec exhortantur, nec viam commonſtrant, nec, quod debent, compellunt: neque curant catechiſmo ipſos inſtituere, nec ad pietatis amorem, & reuerentiam & obedientiam, rerumque ſacrarum ſtudium ipſos excitant: quin plerumque ipſos impiè & impunè, ſicuti de Heli legimus, viuere permittunt, & in impietate ſuccreſcere. Det Deus vt ipſam impietatem aliquando ipſos non doceant: ſed id preſtent, quod monet ſapiens Eccle. 7. Filij, inquit, tibi ſunt? erudi illos, & curua illos à pueritia eorum: ne lactans filium tuum, pauentem te faciat, & ludens cum eo, contriſtet te, & ne corridens illi, poſtea condoleas.

Parentũ negligẽtia reprehenditur in inſtituendu pueris ad auditum verbi dei.

1. Reg. 2. 3.

Eccl. 30.

3 Tertia cauſa eſt, magiſtratuum, qui non ſolerti cura ea corrigunt quæ vitam Chriſtianam concernunt: quin contemnũt, & negligunt, arbitrantes ſibi tantum eam curam incumbere, vt rebus publicis benè beateque omnia ſuccedant, vt publicum ærarium ſit diues & opulentum, ciuitas bene munita, & locus populoſus, frequens, & maximè diuerſarũ nationum ad ipſum

Magiſtratus arguitur, quòd eorum incuria verbũ dei negligitur, & ea quæ cõcernunt vitam Chriſtianam.

confluxus. At non vident ſibi diuinitus datum eſſe gladiũ, non tantùm vt maleficos, homicidas, fures, atque graſſatores, & ſeditioſos puniant, verùm etiam vt eos arceant ab omni communi conſortio, & è medio tollant, qui ſponſæ Chriſti (quæ eſt Eccleſia Catholica) inſidias ſtruunt, & demoliri eam nituntur. Quod faciunt Brentius, Caluinus, Lutherus, atque alij hæretici: qui niſi in tẽpore ſapiant, non dubito quin duci Vvitembergenſi, & ciuitati Geneuenſi ſint allaturi probroſiſsimum interitum, tum carnis & dignitatis, tum etiam animarum & libertatis. Væ quoque illi ſenatui, qui non putat ſibi incumbere, gloriam Dei promouere, ſed gloriam ciuitatis: qui veritati non patrocinatur, ſed falſitati: qui non patri ſuo Romano Pontifici, ſed impio Abſoloni in patrem rebellanti, nempe Luthero, obſequendũ arbitratur. Attendat quid acciderit Achab. 3. Reg. 22. & Ieſabeli impiæ. 4. Reg. 9.

Et ſicut quartum ſemen in terram bonam cecidit, & ortum protulit fructum: ſic vtique in vno genere hominum Euangelium fructificat.

Euangeliũ rarò ſine fructu aliquo prædicatur.

1 Docet igitur Euangelium rarò prædicari ſine fructu aliquo. Iſai. 55. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.

Chriſtianis nihil magis neceſſariũ quàm audire verbũ Dei.

2 Deinde docet nihil Chriſtianis magis eſſe neceſſarium, quàm audire verbum Dei. Quare clamat Chriſtus: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quemadmodum enim rarò meterentur ſegetes, ſi agricolæ ſemina non mandarent terræ; ita rarò Chriſtiani venirent ad Eccleſiam, ſi verbum Dei non prædicaretur, & audiretur. Ioan. 8. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.

Verbũ Dei audire non ſufficit niſi ad eius præſcriptũ, vitam inſtituamus.

3 Præterea, non ſatis eſt audire verbum Dei, ſed & cuſtodire, & ei obediendo vitam ad eius præſcriptum & doctrinam inſtituere, iuxta illud Iaco. 1. Eſtóte factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos.

Plures cõdemnantur, quàm ſaluantur.

4 Docet, poſtremò, plures condemnari quàm ſaluari, quia pauciſsimi audiunt verbum Dei, & pauciores cuſtodiunt auditum, rariſsimi ſunt qui ei obediunt: iuxta illud, Matth. 20. & 22. Multi ſunt vocati, pauci verò electi. In diluuio octo animæ ſaluatæ ſunt. Geneſ. 6. In Sodomis quatuor. Gene. 16. Ex ſexcentis milibus Hebræorum, tantùm duo ingreſsi ſunt terram promiſsionis, Ioſue & Caleb: reliqui in deſerto periere. Num. 14. Sub Elia non multi hominum non pendebant à Baal. 3. Reg. 18. Vtque ſemel dicam, ab ipſo mũdi exordio, ſemper minima pars hominũ veritati adhæſit, doctrinis autem falſis maxima: vt Chriſtus non fruſtra dixerit, Matth. 7. Lata eſt porta, quæ ducit ad perditionẽ: anguſta, quæ ducit ad vitam, & pauci intrabunt per illam. & Luc. 12. Noli timere puſillus grex, &

1. Cor.

1.Cor.10. Sed non in pluribus eorum beneplacitum erat Deo. Hæc erunt in medio terræ, in medio populorum; quomodo ſi paucæ oliuæ quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, &c. *Iſai.24.*

EPILOGVS.

1 *Similitudo ſeminantis monet omnes, vt auidis animis accipiant ſermonem Euangelicum, & quod didicerunt, conferant ad vſum pietatis. Hac eſt enim fides electorum, & agnitio veritatis in ſpem vitæ æternæ. Tit. 1.*

2 *Hac exclamatione, (qui habet aures audiendi, audiat) auditorem exuſcitat, docétque non ceſſandum à doctrina ſana, etiam ſi non ſemper fructificet apud omnes. Sicut fontes minimè ceſſant fluere ac emanare, & ſi nemo veniat aquatum: ſic nec concionator verbum intermittat, & ſi videat ſermonem ſuũ non vbique iuxta ædificare. Iſai. 58. Clama, nec eſſes, &c. 2. Tim. 4. Prædica verbum importune, opportunè, &c. Nam tantùm quarta pars ſeminis hic fructum perfectum, & abſolutum profert.*

3 *Optimus interpres ſermonis ſui Chriſtus, qui hic eſt ſeminator: cor hominis, terra, ſiue ſolum: ſemen, ſermo Euangelicus. Hunc in manſuetudine ſuſcipiat vnuſquiſque, quo poſsit ſaluare animam ſuam. Iaco. 1.*

DOMINICA QVINQVAGESIMAE EPISTOLA.

Fratres, Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatē autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autē non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas patiens eſt, benigna eſt. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquam excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectū eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Cùm autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas. 1.Cor.13.

IN HAC Epiſtola Paulus facit tria. Primò, docet quanta ſit maieſtas ac dignitas charitatis: quam tantā affirmat, vt firma inuincibilique ſententia ſtatuat maiorem eſſe, quàm ſit fidei, atque ſpei dignitas. *Charitatis dignitas.*

2 Secundò, acerrimam fert ſententiam in omnes homines, aſſerens eos nihil eſſe, nihil prorſus valere, ſi non habeant charitatem. *Homines nihil ſunt aut valēt extra charitatem.*

Dona omnia nullius pretij ſunt, ſi non per charitatē perfecta fuerint.

3 Tertiò, confirmat omnia dona, quantumlibet excellentia, nullius eſſe pretij, ſi non per charitatem perfecta animataque fuerint, & in rectum bonorum operum vſum producta.

Linguis loqui quid ſit.

Pro primo ergo ait: Si *linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Eſt autem linguis loqui, Pſalmos, Prophetas, adeóque totam ſcripturam ſacram quacunque lingua legere atque dilucidè intelligere, & interpretari.

Prophetare, myſteria omnia et ſcientiā omnē noſſe quid ſit.

Pro ſecundo, ait: *Si habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam* id eſt, loco dimoueam, *nihil ſum.* Eſt autem prophetare, prædicare verbum Dei. Myſteria verò omnia noſſe, nihil aliud eſt, quàm ſpiritualiter poſſe ſcripturam interpretari, & populum de myſteriis diuinis diligenter inſtituere & erudire. Omnem verò ſcientiam noſſe, nihil eſt aliud, quàm in rebus externis ac libertate Chriſtiana ſic ſe gerere, ne Deus offendatur, ne proximus vlla ratione lædatur.

Facultates omnes in cibos pauperū diſtribuere quid ſit.

Tradere corpus vt ardeat quid.

Ad tertium, ait: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam*, id eſt comburar, *nihil mihi prodeſt.* Eſt autem omnes facultates in cibos pauperum diſtribuere, nihil aliud, quàm eleemoſynas præſtare, iuxta illud: Quod ſupereſt, date eleemoſynam. Luc. 11. Tradere quippe corpus vt ardeat, nihil aliud eſt quàm ad omnes afflictiones pro Chriſto ferendas, paratum eſſe. Quiſquis ergo charitatem non habuerit, hæc omnia bona etſi habuerit, amittit. Sicut enim multi rami arboris ex vna radice procedunt, ſic cæteræ virtutes ex vna charitate generantur. Nec habet aliquid ramus viriditatis boni operis, qui non permanet in radice charitatis. ait quoque d. Auguſtinus: Sine charitate omnia quæcunque facimus, nihil prodeſt facere: cuius virtus tanta eſt, vt etiam prophetia, & martyrium ſine illa nihil eſſe credantur.

Simile de charitate.

Enumerat autem. 16. charitatis proprietates, ex vera fide profluentes, & ait: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperā, non inflatur, nō eſt ambitioſa, nō quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malū, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquā excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus.*

Non quod videamus hic Deum, ſed per fidem credimus. In futuro ſeculo non credemus, ſed coram videbimus: ibi verbum & prædicatio ceſſabūt. hoc eſt quod dicit: Videmus nūc per ſpeculū in ænigmate: tūc autē facie ad faciem: nūc cognoſco ex parte: tunc autem, cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Idque probat duobus argumentis à ſimili ductis: altero à pueritia ſua, altero à ſpeculo.

Concludit autem B. Paulus hanc Epiſtolam his verbis: *Nunc autem manent, fides; ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.*

1 Hoc eſt, Ratione naturæ: cuius tanta eſt ſublimitas, vt ipſum Deum charitatem dici ac eſſe. 1. Ioan. 4. teſtetur. *Charitatis ſublimitas.*

2 Secundò, charitas maior eſt ratione efficaciæ. Efficit namq; nos omnes filios Dei, ipſiſque per ſolam charitatem adhæremus: adeò vt vnus ſpiritus ſimus cum eo. *Charitas efficit nos filios Dei. 1. Cor. 6.*

3 Tertiò, ratione effectus: Nam inſerit nos Chriſto, in ipſoque nos fundat, dicente Paulo ad Ephe. 3. Radicati & fundati per charitatem in Chriſto Ieſu. *Charitas inſerit nos Chriſto.*

4 Quartò, ratione officij. Nam facit fidem ac reliquas virtutes viuas, ita vt ipſa charitas, vitam, gratiā, ac dignitatem ipſis præſtet. Fidei præſtat virtutem, & efficaciam, ſeu potentiam operandi, teſte Paulo, qui dicit ad Gal. 5. In Chriſto Ieſu neque circuncifio aliquid valet, neque præputium: ſed fides quæ per dilectionem operatur, hoc eſt, fides, cui charitas virtutem, & efficaciam operandi noſtram iuſtificationem præſtat. *Charitas fidē ac reliquas virtutes facit viuas.*

5 Quintò, maior eſt ratione durationis. Nam ita in hac vita incipit, vt in alia perpetuò ſit perfectius duratura. Fide in ſcientiam, viſionemque mutata, & ſpe in poſſeſſionem vitæ æternæ, ſola perſtabit charitas Dei, angelorum, & omnium ſanctorum. *Charitas in hac vita incipit in alia perpetuo duratura.*

6 Sextò, eſt maior ratione extenſionis. Nam fides, ſolùm ſe extēdit in Deum, charitas verò tantum amat Deum, vt propter Deum, & in ipſo Deo, proximum etiam amet. *Charitas extēdit ſe ad Deū & proximum.*

Eſt ergo charitas abſolutè & ſimpliciter maior quàm fides & ſpes; ita definiente Apoſtolo, cuius expreſſum iudicium hac de re eſt, quòd cum modo in hac vita maneāt fides, ſpes, & charitas: maior aliis duabus virtutibus ſit charitas, hoc eſt, maioris excellentiæ, dignitatis, virtutis, potentiæ, ac meriti eſt charitas, quàm ſpes aut fides. Nuſquam legimus Deum fidem eſſe, & qui manet in fide, in Deo manere. Nuſquā item legimus, quòd ſimus radicati & fundati in Chriſto per ſolam fidem. De charitate hoc ipſum teſtantur Chriſti Apoſtoli: hoc docet Eccleſia. Quòd verò hæretici neglecta charitate, fidem vſque adeo efferant, ſine Dei expreſſo verbo, contraq; communem Eccleſię doctrinam, ipſi viderint, qua conſcientia audeant Chriſti, Apoſtolorum, Eccleſiæque doctrinam Catholicam reiicere, falſam verò ſuam ſtatuere.

Dogma.

Expreſſo Dei verbo refelluntur hæretici noſtri temporis, qui propter dona linguarum, quæ habent, fidem & audientiā à populo ſibi extorquent in ſacris libris enarrandis, cùm dicat Paulus: *Si linguis hominum loquar, &c. charitatem autem non habeam,* *Eleemoſyna hæreticorum in pauperes vana.*

 nihil

nihil ſum. Damnantur Lutherani, & Anabaptiſtæ, qui quamuis in ſubſidium pauperum ſua impertiantur, nihil tamen eis prodeſt. Nam hæc omnia pſeudoapoſtoli faciunt, non ex charitate, verùm propter vanam gloriam, vel vt apud vulgus errores ſuos firmius ſtatuant, vel propter commiſerationem naturalem, vel ob alios reſpectus humanos.

SVMMARIVM EPISTOLAE.

Charitas virtus neceſſaria.

1 *Charitas neceſſaria virtus eſt, dona autem linguarum, Prophetiæ, miraculorum, non ſunt neceſſaria: In charitate omnes cognoſcent quòd mei diſcipuli eſtis, inquit Chriſtus, Ioan. 13. Et citra ſtudia benemerendi de proximo, nemo videbit Deum. Ideo hoc vnum eſt neceſſarium & ſectandum: hoc præcipit, hoc mandat Chriſtus, Ioan. 15.*

2 *Charitatis vſus latiſſimè patet. Hinc perpetuum donum eſt, ac per omnem Chriſtianorum vitam diffuſum: & habet pulcherrimas dotes, patiens eſt, benigna eſt, charitas non inuidet, non eſt procax, &c. Charitas nunquam excidit.*

3 *Chriſtianiſmus habet rudimenta, auctus & faſtigium, ſuas ætates, & ætatum acceſſus. Huic demus operam, vt perueniamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenæ, adultæ Chriſti.*

IN EADEM DOMINICA,

EVANGELIVM.

Luc. 18.

IN illo tẽpore, aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymã, & cõſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum, & die tertia reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt. Et erat autem verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Factum eſt autem, cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quòd Ieſus Nazarenus tranſiret. Et clamauit dicens: Ieſu fili Dauid, miſerere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipſe verò multo magis clamabat: Fili Dauid, miſerere mei. Stans autem Ieſus, iuſſit illum adduci ad ſe. Et cùm appropinquaſſet, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam. Et Ieſus dixit ei: Reſpice, fides tua ſaluum te fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.

Mat. 20.
Marc. 10.

HOc Euangelium complectitur tria.

1 Primò, quomodo Chriſtus prædixit diſcipulis paſſionem, mortem, & reſurrectionem ſuam: *Ecce,* inquit, *aſcendemus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim Gentibus, &c.* Circa hæc verba quæritur: Quare Chriſtus receperit ſe Hieroſolymam cùm potuiſſet expectare Iudæos ſe abductum venturos? Reſpondetur,

detur, quòd Chriſtus voluit oſtendere voluntaria eſſe paſſionem ſuam atque mortem: ſe non in Iudæorum poteſtate eſſe, ſed ſuæ eſſe voluntatis, omninoq; vltro & volentem pro credentium ſalute pati. Ioan. 10. Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam, nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo. Et Iſa. 53. Oblatus eſt, quia ipſe voluit. *Paſsio Chriſti voluntaria.*

Præterea quæritur, Cur Chriſtus prædixerit Paſsionem ſuã diſcipulis ſuis? Reſpondetur: propter tres cauſas. Prima eſt, vt diſcipulos præmuniret, ne cùm viderent Chriſtum tanta confuſione capi, & pati, offenſi conciderent. Iacula enim præuiſa minus feriunt. Secunda cauſa eſt, vt falſam de regno Chriſti opinionẽ ex eorum cordibus euelleret, putabant enim temporale futurum. Hinc dicebant, Act. 1. Domine ſi in tẽpore hoc reſtitues regnum Iſraël? Et Lucæ 24. Nos ſperabamus quòd ipſe redempturus eſſet Iſraël. Tertia eſt, vt oſtenderet eos, qui ipſum eſſent occiſuri. Heb. 4. Omnia nuda, & aperta ſunt oculis Dei. *Chriſtus ob tres cauſſas ſuam paſſionẽ prædixit.*

De diſcipulis autem, dicit Lucas: *Et ipſi nihil horum intelligebãt. & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* Legimus & Ioan. 16. quòd non intellexerint Chriſtum dicentem: Modicum, & non videbitis me, &c. Dixerunt ergo, inquit Ioannes: Quid eſt hoc quod dicit modicum? neſcimus quid loquitur. Cauſa, quæ ipſis cæcitatis ignorantiam adferebat, ea erat, quòd validè ſibi perſuaſiſſent, Chriſtum minimè quicquam mali paſſurum, multò minus periturum. Erat hæc opinio omnibus Iudeis communis de Chriſto. Nam Ioan. 12. legimus ipſos dixiſſe Chriſto: Nos audiuimus ex lege quia Chriſtus manet in æternum: & quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? quis eſt filius hominis? Perſuaſio hæc erat cauſa, quo minus diſcipuli, aliique Chriſtum intelligerent. *Cauſſa ignorantiæ Apoſtolorum.*

Tantum eſt priuatam aliquam opinionem concepiſſe, & eam maximè, quæ carni & eius rationi eſt amica: quòd ſi ex hac opinione expectari poteſt aliquid priuati commodi: hoc eſt, honoris, poteſtatis, vel pecuniarum, iam fit inuincibilis opinio. Hoc manifeſtè ſatis conſtat ex geſtis noſtri ſeculi, in quo Lutherus, Philippus, Brentius, & reliqui hæretici contendunt pro ſuis dogmatibus aſtruendis. Et cùm euidentiſsimè conſtet omnium iſtorum dogmata religioni catholicæ aduerſari: omnes tamen contendunt, ſe nihil aſſerere, quod religioni catholicæ non maximè congruat & quadret. Accidit his quod Auguſt. refert in enarratione quoſdam fuiſſe, qui nolebant intelligere, vt benè agerent. Tales ſunt iſti hæretici, vt in eos optimè conueniat illud Pſal. 35. Iniquitatem meditati ſunt in cubili ſuo, &c. *Priuata opinio cauſa eſt quare multi Chriſtũ non intelligũt.* *Pſal. 31.*

2 Com-

2 Complectitur ſecundò præſens lectio, quomodo Chriſtus reſtituit cæco mendicanti viſum. Vbi notanda ſunt ſex. Principiò, *Cæcus ſedens ſecus viam mendicat*. Hoc factum arguit nullam id temporis apud Iudæos obſeruationem fuiſſe legis diuinæ, nullam pauperum curam aut reſpectum. Iubebat lex Deut. 15. Omnino indigens & mendicus non erit inter vos. proinde præclaras habebant promiſsiones, ſi pauperum miſererentur: ſed illi & præcepta, & promiſsiones Dei negligebant. Quare benedictionis loco maledictionem acceperunt. & regnum atque ſacerdotium, & vrbem, ac templum, cum omni maieſtate amiſerunt. Vide cap. 3. Oſeæ prophetæ: Dies multos, inquit, ſedebunt filij Iſrael ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim, &c.

Apud Iudæos Chriſti temporibus nec obſeruatio legis nec cura pauperũ fuit.

Sequitur ſecundum, notatu dignum: *Cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet:* ſuſpicans magnum aliquem tranſire, à quo eleemoſynam peteret: vt eſt hoc hominum genus eò curioſius, quòd oculis careat. *Dixerunt ergo ei, quòd Ieſus Nazarenus tranſiret.* Protinus itaque ex his quæ de Ieſu audierat, concepta fiducia clamabat. Experimur, quòd roſa vel alius flos quicunque, antequam videatur, odore percipitur: ſic & iſte cæcus, Ieſum Nazarenum floridum, odore bonæ famæ ſenſit, quem videre non potuit. Non ergo amplius, vt ſolebat, eleemoſynam petebat, ſed magna voce miſericordiam poſtulabat ab eo, cuius proprium eſt miſereri & parcere. *Ieſu, inquiens, fili Dauid miſerere mei.* Hoc eſt excellens exemplum fidei, quo docet quomodo debeamus in fide ſynceriter orare in noſtris tribulationibus, vt noſtri Chriſtus miſereatur. Iaco. 1. Poſtulet in fide nihil hæſitans.

Ex fide orandum.

Confitetur enim Chriſtum verum Deum & hominem ſua petitione, hanc fidem non ceperat ex celebri fama audita de Chriſto. Hæc enim fama non potuit animo cæci, fidem, deuotionem, & humilitatem ingenerare: ſed fuit donum Dei diuinitus ob ſolam ſuam miſericordiam cæco infuſum. Epheſ. ſecundo: Gratia, inquit, eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt: non ex operibus, vt ne quis glorietur. Potuit tamen eius fides confirmari & excitari, audita tanta fama de magnificentia, potentia, virtute, & benignitate Chriſti erga alios præſtita.

Fides Dei donum.

Tertium eſt: *Qui præibant, increpabant eum, vt taceret. ipſe vero multò magis clamabat: Fili Dauid miſerere, &c.* Iſta natura fidei, vt quantò magis vetatur, eo magis accenditur. propter quod ſerui Dei in perſecutionibus non vincuntur, virtuſque fidei in periculis eſt ſecura, in ſecuritate verò periclitatur. Cæcus ergo hic, oculis animi longè plus in Chriſto vidit, quàm Iudæi carneis oculis. Ideo non ſinebat ſibi os obſtrui, ſed in fide pergebat

Natura fidei quæ.

gebat: quare & viſum recepit, Omnia enim poſsibilia ſunt credenti. Marci nono. Et accedentem ad Deum, oportet credere. Hebræorum vndecimo: Officium fidei eſt, ſemper promouere, atque progredi in via Dei. Philip. 3. Non arbitror me comprehendiſſe.

Officium fidei.

Quartum, quod notandum occurrit, eſt iſtud, *Iuſsit illum Ieſus adduci ad ſe. Et cùm appropinquaſſet, interrogabat illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam. Ait illi Ieſus: Reſpice, Fides tua te ſaluum fecit. Et confeſtim viſum recepit.* Vides hic Chriſti humanitatem & liberalitatem. Mat. 11. Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Datur omnibus Chriſtianis exemplum pauperibus, & oppreſsis ſubueniendi. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Itē Iac. 2. Carnem tuam ne deſpexeris, ait Iſaias cap. 58.

Chriſti humanitas & liberalitas erga miſeros.

1. Ioan. 3.

Quintum obſeruatione dignum eſt: *Sequebatur illum glorificans Deum.* Hoc quoque à nobis vult Deus, vt pro ſua grandi bonitate ac maieſtate ipſum glorificemus, & pro beneficiis in nos collatis, ipſi gratias agamus. Eſt quippe neceſſaria ad ſalutem gratiarum actio, vt docet ſcriptura, Luce 8. Qui habet, dabitur illi: & quicunque non habet, etiam quod putat ſe habere, auferetur ab eo.

Gratiarum actio neceſſaria ad ſalutem.

Circa ſextum notandum eſt & illud: *Omnis plebs, vt vidit, dedit gloriam Deo.* Hæc eſt vtilitas miraculorum Chriſti, fidem confirmare, & nos ad glorificandum Deum excitare. Sic facta & dicta omnium Chriſtianorum deberent eſſe viua incitamēta, quibus alterutrum in fide corroborarent, & ad Deum glorificandum extimularent, vt quemadmodū nomen Dei blaſphematur inter Ethnicos ob peccata malorum Chriſtianorum, ita inter ipſos Chriſtianos glorificetur per benefacta. Iuxta illud Mat. 5. Sic luceat lux veſtra corā hominibus, vt glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt.

Vtilitas miraculorum Chriſti.

3 Tertiò, continetur hoc Euangelio haud contemnendum myſterium: Chriſtus vbi appropinquaret Iericho, &c. hoc eſt, cùm noſtri miſereri decreuiſſet, videns nos cæcos, miſeros, & iuxta viam mendicantes, & aberrantes in mendicationibus noſtris; ſiquidem pauci erant inter mortales, qui ante incarnationem Ieſu Chriſti in via eccleſiæ ſederent emendicantes miſericordiam: erant omnes cæci, omnes mendici, omnes miſeri: nec quiſquam erat qui non ſederet in viis gentiū, diaboli, mundi, & carnis: nec erat qui clamare poſſet ad Deum, vt ipſorum miſeriç, cęcitatis, ac captiuitatis miſereretur, exceptis paucis Iudæis, qui non à ſe, ſed à Deo docti, & excitati, id faciebant. Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius. Epheſ. 2.

Senſus myſticus non eſt contemnendus.

Pſal. 75.

Vos

Vos qui longè eratis, facti eſtis prope. Et inter hos erant longè rariſsimi, qui animo & ſpiritu miſericordiam poſtularent, demptis prophetis aliquot, Simeone Lucæ 2. Anna, ibidem, beatiſsima virgine Maria matre Dei, Ioachim, Anna, & paucis aliis, qui ſpiritu Dei agebantur, reliqua mundi vniuerſi multitudo, miſerrima, cæca, & extra ciuitatem Dei, in viis diaboli mendicans ſedebat, vel errabat. Deus autem noſtri miſertus

Tit.3. non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, nullo vel minimo noſtro merito: ſed ſola ſua gratuita miſericordia, miſit filium ſuum Ieſum, qui turbis multis comitatus, per vias generis humani homo factus tranſibat, vt eas ſanctificaret, mandaret ac perficeret. Turba, quæ illum comitabatur, erant angeli, & angelorum multitudo, qui paſtoribus affirmarunt Ieſum eſſe na-

Luc.2. tũ. Gabriel, qui Virgini annunciabat eius incarnationẽ. Stella,

Luc.1. quæ ipſum magis manifeſtauit, Matth. 2. Prophetæ, Patriarchæ, Apoſtoli, boni illi viri & ſancti, qui eius amore accenſi, ipſum ſequebantur quocunque iret. Erant tum, qui increparent miſeros, ne ad Chriſtum tranſeuntem clamarent, ne accederent, ſacerdotes nimirum, ſcribæ, ſeniores, principes, Pilatus, & plerique alij, qui Chriſtum, ob eximiam & admirandam eius iuſtitiam & puritatem, ferre non poterant. Atqui miſeri, qui ſe cæcos ſentiebant, quique animarum oculos illuſtrari optabant, clamabant ad Chriſtum, miſericordiam poſtulantes, quia de iuſtitia non præſumebant, & Chriſtus tandem illorum animas, fide illuſtrauit, & charitate ſanauit. Venit ſiqui-

Iſaiæ 61. dem mederi contritis corde.

EPILOGVS.

1 *Frequens mentio paſsionis & reſurrectionis dominicæ, hoc eſt enim Euangelium quod accepimus, in quo ſtare oportet, per quod ſalutem conſequimur. 1 Corinth. 15. Chriſtus mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Rom. 4.*

2 *Ruditas Apoſtolorum, qui nihil horum intellexerunt, & verbum iſtud abſconditum ab eis. Hinc opus ſpiritu, doctore & ſuggeſtore. Ioan. 14. vt, quæ obſcuritatis cauſa, vel intellectus tarditate, commendare memoriæ nequiuerant, poſthac plenè intelligerent, vtpote, magiſtri orbis futuri.*

3 *Imbecillitati Apoſtolorum medetur, cæco viſum reſtituens, quod teſtimonium erat Meſsiæ. Tunc aperientur oculi cæcorum, &c. Iſa. 35. Quod beneficium minime huic præſtitit, niſi prius admonitus, quid ſibi fieri cuperet, aperiret. Peti enim vult hoc Deus, & quod nos petere, & ſe dare pranoſcit. Importune quippe nos ad orationem admonet, & tamen dicit: Scit pater veſter quid opus ſit vobis, antequam petatis eum. Licet enim dare velit beneficia, vult tamen rogari. Accedite ergo ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur cum Pſalm. dicentes: Illumina oculos meos, ne vnquam*

quam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, preualui aduerſus eum Pſal.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMAE, EPISTOLA.

FRatres, Hortamur vos, ne in vacuũ gratiã Dei recipiatis. Ait enim: Tẽpore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Nemini dantes vllã offenſionẽ, vt non vituperetur miniſteriũ noſtrũ, ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros. In multa patientia, in tribulationibus, & neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in ſpiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt ſeductores & veraces: ſicut qui ignoti & cogniti: quaſi morientes, & ecce viuimus: vt caſtigati, & non mortificati. Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: Sicut egentes, multos autẽ locupletantes: Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. *2. Cor. 6.*

IN HAC Epiſtola diuus Paulus facit tria.

1 Primò laudat verbi miniſterium: ſe, alioſque Euangelij prædicatores appellando, miniſtros Dei, & cooperatores Chriſti. Idque facit, ne auditores miniſterium verbi, aut contemnãt tanquam eo non opus habeant: aut ex arrogantia, (quod nonnulli ſolent) quaſi melius ſciant, repudient. Licet enim Deus homines interna Spirituſſancti potentia, citra prædicationem externam poſſet docere, atque ſaluare; non tamen id facere contendit, ſed opus ſuum vult implere per ſuos cooperarios, concionatores, ac verbi doctores. Qui cùm id honoris & officij habeant, vt miniſtri Dei & cooperatores Chriſti vocentur, nemo ſe tam doctum, tam ſapientem, tam denique ſolertem reputare debet, vt vel infimi concionatoris prædicationem, negligere, nedum contemnere præſumat: præcipuè, cùm horam neſciat, qua Deus opus ſuũ in ipſo per concionatoris officiũ velit perficere, atque gratiam impertiri. Nam diuinus ſermo à miniſtro prolatus, non perdurat, neque permanet: ſed quaſi nymbus, aut repentina pluuia, citò præterit. Quod attingit humectat, quod non attingit, aridum relinquit. Verbum meum non reuertetur ad me vacuum. *Iſaie 55.*

Verbi miniſterium laudatur ab Apoſtolo ne auditores illud aut contemnãt aut repudient.

Quòd autem concionatores officio Dei fungantur, ipſemet Paulus teſtatur. 2. Cor. 5. Pro Chriſto, inquit, legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Si ergo mortales legatis principum ſummũ ſolent exhibere honorẽ: videant quantam reuerentiam, pietatem atque religionem debeant Chriſti legatis, qui nobis legationem noſtræ ſalutis annunciant. Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt, maximè qui laborant in verbo & doctrina. *1. Tim. 5.*

Concionatores officio Dei funguntur.

2 Secundò, hic Apoſtolus hortatur auditores, ne verbum Dei negligenter audiant, nec gratiam Dei in vanum recipiant. Cùm enim Deus eiuſmodi medium nobis dederit, per quod poterimus ad fidem, vel pœnitentiam peruenire, nempe per auditum verbi: nullo pacto debemus negligere, ſed omnem mouere lapidem, vt libenter audiamus atque cuſtodiamus. Nam ſi fame premente, & in corporalibus neceſsitatibus, vt veſtitu, &c. omnes ſenſuum neruos intendimus, vt mortale corpus nutriamus & veſtiamus: cur non magis curramus ad acquirendum animæ cibum, quod eſt verbum Dei? Cur, inquam, non magis dirigimus omnia noſtra ſtudia ad ea media, quibus paſcitur, & conſeruatur animus in æternum? Sunt autem huiuſmodi media, audire verbum Dei, & illud cuſtodire, Lucæ 11. & gratiam quoque Dei in vacuum non recipere. Gratiam Dei vocat verbi prædicationem. Nam verbum Dei ſemen eſt, per quod fides illabitur in corda auditorum, Rom. 10. & aliæ etiam virtutes ad ſalutem neceſſariæ. Fides quoque eſt donum Dei, quod adfert Spiritus ſanctus, creans fidem in mentibus noſtris, Ioan. 7. Contemnentes autem ea media, nunquam ad veram fidem, ſi ſunt infideles; ſin fideles, ad verã fidei viã peruenient. Exemplo ſunt, vocati ad nuptias, & cœnam magnam, & nolentes venire, Luc. 14. Matt. 22. Exemplo ſunt etiam Iudæi in deſerto, nolentes audire vocem Domini, Num. 14. Et hoc ſeculo Lutherani, Caluiniſtæ, Anabaptiſtę, contemptores catholicæ doctrinæ, quæ ſola accenſa refulget in ciuitate illa ſupra montem poſita: de qua Dauid, Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Hęc autem eſt Romana Eccleſia. Sunt etiam exemplo mali Chriſtiani, qui vſque adeo cor habent obduratum: vt nec vocari ſe patiantur ad conciones verbi Dei. lætantur autem cum ad alia ſordida accerſuntur colloquia, Prou. 1. Iere. 6. Ecce incircumciſæ aures eorum, & audire non poſſunt. Ecce verbum Domini factum eſt eis in opprobrium, & non ſuſcipient illud.

Verbum Dei ſemen per quod fides illabitur in cordibus auditorum.

Pſal. 86.

3 Tertiò, depingit hic Apoſtolus militem Chriſtianum, & indicat verum Dei cultum, veraq́; bona opera, quibus chriſtianus debet exerceri, nempe: *Cùm ſit nunc tempus acceptabile, & dies ſalutis: nemini demus vllam offenſionẽ, vt non vituperetur miniſterium noſtrum: ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate nõ ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.*

Charitas facit hominem verè Chriſtianum.

Charitas, quæ facit hominem verè Chriſtianum, efficit etiã vt homo bonus, bona hæc opera faciat, quæ hominis bonitatem internam augeant, & mundo teſtatam faciant, & probẽt Chriſtianũ, à fructibus, à ſignis & teſtimoniis. Quemadmodũ

enim

enim dulcia & bona poma, aut pyra, indicant bonam eſſe arborem, quæ illa protulerit; ſic opera bona ex charitate, & opera mala, ex impietate manantia, indicant hominem pium aut impium, dicente Chriſto; Ex fructibus eorũ cognoſcetis eos. *Matth. 7.*

Eſt tamen hic notandum, quòd opera non ſolum teſtificantur fidem & charitatem internam, verùm ſuis actionibus internam iuſtitiam augent, meritum vitæ æternæ nobis comparant, & dignos maiori gratia nos faciunt, idque non ob noſtrã vel operum dignitatem, ſed propter ampliſsimum meritum ſpiritus inhabitantis, cuius virtute fiunt. *Opera internã iuſtitiã augent*

Indicat præterea hoc tertio articulo, feſtiua indumenta & arma, quibus Chriſtianus debet communiri, nempe: *Per arma iuſtitiæ, A dextris*, contra amicos qui nomen noſtrum celebrant, ſummisq; laudibus euehunt: & hic opus eſt humilitate, exteruatione, & ſuiipſius cognitione, ne laudatorum encomiis inflati, criſtas tollamus, alioſq; deſpiciamus. *Arma & indumenta Chriſtianorum.*

Et à ſiniſtris, contra inimicos, qui nos vituperant & calumniantur: et ideo hic opus eſt firma fide, diuini verbi conſolatione, indubitata ſpe vitæ æternæ, ne calumniis lacerati, à propoſito miniſterio verbi deficiamus, aut à confeſsione noſtræ catholicæ fidei. Siue laudibus celebrentur ergo Chriſtiani, ſiue conuiciis proſcindãtur, oportebit eos ad vtrunque præmunitos eſſe, ne per illud efferantur aut per hoc proſternantur. Idcircò dicit Paulus, nos debere ita eſſe munitos, vt ſi concutiamur à dextris, id eſt, proſperis, vel à ſiniſtris, id eſt, aduerſis, ſemper maſculo & infracto animo perferamus: vnaque ſit confeſsio cordis & oris. Quod plenius declarat, quando ait: *Per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam: vt ſeductores, & veraces: ſicut qui ignoti, & cogniti: quaſi morientes, & ecce viuimus: vt caſtigati, & non mortificati: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia poſsidentes.*

EPILOGVS.

1 *Tempus gratiæ Dei in Chriſto exhibitæ, tempus eſt acceptum & dies ſalutis, de quibus concorditer prophetæ prædixerunt. Euangelium enim promiſſum fuit in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, Rom. 1. Et verè tempus gratiæ, & dies ſalutis: nam ineffabilia bona per Chriſtum contigerunt. Maledictio noſtra in illum reiecta, & benedictio eius tota ab illo in nos manauit. Venerunt autem omnia nobis bona pariter cum illa æterna patris ſapientia, Sapient. 7.*

2 *Chriſtiana vita, mira hic breuitate deſcribitur, ne vllam demus offenſionem, ne reprehendatur miniſterium noſtrum.*

3 *Apoſtoli veri laudabileſque ſeductores, ſcilicet, qui docent hominem deſpicere quod habet, & ſperare quod non habet, ſpectare quæ non videntur,*

& æterna, relinquere quæ videntur & temporaria ſunt. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt, inquit Apoſtolus Ioan. 1. Can. 2. cap.

DOMINICA QVADRAGESIMAE PRIMA, EVANGELIVM.

Matth.4.

IN illo tempore, Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſteà eſuriit. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens, dixit: Scriptum eſt, non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorſum: Scriptum eſt enim, Quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Ieſus: Rurſum ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia dabo tibi, ſi cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Ieſus: Vade Satana: Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

HISTORIA huius Euangelij verſatur in duodecim quæſtionibus.

Chriſtus cur ductus à ſpiritu in deſertũ.

1 Prima quæſtio eſt: Cur Chriſtus ductus ſit à Spiritu ſancto in deſertum? Reſpondetur: vt tentaretur à diabolo. Debuit enim Chriſtus, vt docet Paulus, Heb. 2. & 4. tentatus per omnia aſsimilari fratribus ſuis, vt miſericors fieret & fidelis pontifex in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expiandũ peccata populi. Auguſt. Iuſtum erat vt ſuis tentationibus noſtras vinceret, ſicut mortem noſtram ſua venerat morte ſuperare.

2 Secunda quæſtio: Cur à Spiritu ſancto? Reſpondetur: vt oſtenderet Chriſtianos nõ magis à diabolo tentari, quàm Deus permiſerit, vnde Anſelmus dixit poteſtatem diaboli eſſe bonã, quia à Deo erat: voluntatem verò malam quia à ſe. Hoc dogma confirmatur hiſtoria, Iob. 1. & 2. Apoc. 12. Et vt ſciamus tentationes cunctas, non ad interitum nobis immitti, ſed vt occaſionem habeamus Deum inuocandi, Pſal. 119. Ad Dominũ cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me.

Chriſtus quando tentatus & à quo.

Iob.7.

3 Tertia quæſtio: Quando Chriſtus tentatus ſit? Reſpondetur, quòd ſtatim à baptiſmo, cùm à Ioanne in Iordane baptizatus eſſet: vt doceret vitam Chriſtianam à baptiſmo vſque ad ſepulchrum nihil aliud eſſe, quàm perpetuum certamen aduerſus diabolum, mundum, & carnem. Militia eſt vita hominis ſuper terrã, &c. Catechiſmus inducit odiũ prioris vitæ, ac ſpem purgationis: In baptiſmo per fidem in Chriſtum deponuntur maculæ omnium criminum: mox ad preces datur è cælis munus ſpiritus, per quem aſciſcimur in numerum filiorum Dei, nimirũ inſiti corpori Chriſti, qui eſt caput Eccleſiæ.

Qua-

Quapropter improbus ille ſatanas, tam inuidus ſalutis humanæ, quàm Chriſtus auidus, miris cuniculis & inſidiis ſollicitat ad defectionem, vt maiori tyrannide poſsideat relapſum, quàm antè poſſederat ſuum. Semper ergo pugnandum eſt, vt ſemper vincamus. 1. Pet. 5. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.

4 Quartò, quæritur, à quo Chriſtus tentatus ſit? Reſpondetur, à diabolo: Nam is denunciatus eſt hoſtis Dei, omniumque fidelium, qui nihil aliud agit, quàm vt nos tentet, affligat, & apud Deum accuſet. *A quo Chriſtus tentatus ſit.* *Apoc 12.*

5 Quintò, quæritur, in quibus Chriſtus tentatus ſit? & reſpondetur, in tribus. Primò, in cura ventris: *Si filius Dei es*, inquit Satanas, *dic vt lapides iſti panes fiant*: quod ſi poteris facere, credam te eſſe quem iactas. Sic & nos maximè tentamur ventris cura: & multi, Paulo teſte Philip. 3. ventrem pro Deo colunt. In hac tentatione occurrit Chriſtus diabolo verbo Dei, dicens: Scriptum eſt: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.* *In quibus Chriſtus tentatus ſit.* *Deut. 8.*

Secundò, tentatus eſt in ambitione: *Si filius Dei es*, inquit, *mitte te deorſum*: Deduxerat enim illum Satan in ciuitatem ſanctam, ſtatueratque ſuper pinnaculum templi, allegans illud Pſal. 90. Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ecce quomodo Satanas ſe transfiguret in angelum lucis. 2. Corinth. 11. Sic & impij pſeudoapoſtoli, & hæretici ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, qui diuinis abutuntur ſcripturis, ac fallunt incautos, ſermonis diuini regulam ad ſuos affectus deprauantes, nec mirum, inquit Apoſtolus, quum & princeps illorum id faciat. Non enim ſcriptum erat de Chriſto, Qui Deus eſt, & non opus habet angelo, ſed de viro ſancto & iuſto prophetia eſt. Conſule Vincentium Lyrinenſem aduerſus prophanas omnium hæreſeon nouationes, vbi doctiſsimè ac luculentiſsimè hunc locum explicat. *Pſeudoapoſtoli imitantur ſatanam in deprauatione ſcripturarum.*

In hac tentatione occurrit Chriſtus diabolo, verbo Dei, dicens: *Scriptum eſt, Non tentabis dominum Deum tuum. Deut.* 6. Cùm enim ſint gradus, quibus deſcendere queam: non eſt opus, vt in aliquod periculum me coniiciam. Ad hoc ſiquidem hortatur, vt in neceſsitatibus ingruentibus benè ſperemus, auxilio diuino freti, non vt temerè nos in periculum præcipitemus. Sic Paulus fecit. *1. Cor. 12.*

Tertiò, tentatus fuit, in affectatione regni. Euexit illum in montem excelſum, oſtendens illi omnia regna mundi. *Hæc omnia tibi*, inquit, *dabo, ſi procidẽs adoraueris me*, Iſtæ ſunt tres tentatio-

nis ſpecies, ad quas omnes aliæ reduci poſſunt, gulæ, auaritiæ, ſuperbiæ. 1. Ioan. 2. Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Deo, ſed ex mundo eſt. Iſta arma diaboli contra famulos Dei.

Arma tria diaboli contra famulos Dei.

In hac tentatione occurrit Chriſtus diabolo, etiam verbo Dei, dicens: *Scriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Deuteron. 6. & 10. Quibus modis primum hominem ſtrauit. Gen. 3. eiſdem tentando, ſecundo homini ſuccubuit, vt noſtris cordibus ipſo aditu captus exeat, quo nos intromiſſus tenebat.

Tribus rebus occurrendum ſuggeſtionibus diabolicis.

Demonſtrat hic Chriſtus tribus potiſsimum rebus occurrendum ſuggeſtionibus diabolicis, crebris ac puris precationibus, abſtinentia, & diligenti meditatione ſcripturarum diuinarum. 1. Pet. 5. Sobrij eſtote & vigilate. Mat. 17. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, niſi oratione & ieiunio. Ephe. 6. Gladium ſpiritus aſſumite, quod eſt verbum Dei.

Nulla neceſsitate corporea ad hoc adduci debemus, vt vnquam maligni pareamus tentationi.

Docet etiam hac refutatione triplici, nulla nos neceſsitate corporea, ac honoris diuitiarũq; deſiderio ad hoc adduci debere, vt vnquam maligni pareamus tentationi. Epheſ. 4. Nolite locum dare diabolo. Iac. 4. Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. Fractum enim nobis, & deuincendum Chriſtus tradidit Satanam, viam etiam vincendi commonſtrans: qui debilis eſt cùm ei reſiſtitur, vt formica; cùm verò ei conſentitur, fortis, vt leo, nec poteſt tamen vincere niſi conſentientem.

6 Sexta quæſtio eſt, reliqueritne ſatan Chriſtum? Reſpondetur, Etiam: teſte Luc. 4. cap. Et conſummata, inquit, tentatione omni, diabolus receſsit ab illo ad tempus.

7 Quæſtio ſeptima eſt, cur dicatur, Ad tempus? Reſponſio eſt, vt oſtendat euangeliſta, vitam Chriſtiani hominis nihil aliud eſſe, niſi quandam quotidianarum tentationum palæſtrã. Oppugnat nos mũdus, oppugnat & caro, Gal. 5. Semper caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & Epheſ. 6. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus, neque prius erit finis pugnæ, quàm vitæ. Nam hoſtis noſter in vna tentatione victus, mox aggreditur nos per aliam: habet enim mille modos nocendi.

Vita Chriſtiani hominis aſsidua palæſtra.

Et accedentes angeli miniſtrabant ei. Sic cùm Chriſtus in horto tentaretur, venit angelus confortans eum. Porrò, quemadmodum in humana militia, vices rerum ſunt, vt labores ocio, dura iucundis recreentur, & poſt diros conflictus, celebrentur epinicia: ita in Chriſti militia, ſemper aſpera lætorum viciſsitudine mitigantur. Poſt toleratam improbitatem immundi ſpiritus,

ſtus, mox adſunt Angeli, & Chriſto victori ſubſeruiunt, quo etiam victoris dignitas comprobetur.

8 Quæſtio octaua: Sint ne conſolationes in tentationum periculis? Reſpondetur quòd ita. Quemadmodum enim angeli, conſummata tentatione miniſtrarunt Chriſto; ſic adſunt omnibus, qui in Chriſtum credentes propter Chriſtum fortiter in tentationibus conſiſtunt; ſunt enim angeli adminiſtratorij ſpiritus, miſsi propter eos, qui hæredes ſunt vitæ æternæ, Paul. Heb. 1. Idem 2. Cor. 1. Sicut abundant paſsiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Pſal. 33. Immittet angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. *Conſolationes in tentationũ periculis.*

9 Nonò quæritur: Qua ex re arripuerit diabolus anſam tentandi Chriſtum? Reſpondetur, Ex ieiunio. Poſtquàm enim Chriſtus ieiunaſſet 40. diebus & totidem noctibus, poſtea eſuriit. In eo quòd eſuriit, ſe verè eſſe hominem declarat. Exploratum ergo venit diabolus ipſum tentando, num verè filius Dei ſit, an hominis tantum. Sed non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. *Ex ieiunio arripuit diabolus Chriſtum tentandi anſam.* *Prou. 21.*

10 Quæritur decimò: Cur Chriſtum in hoc exemplo ieiunij imitemur? Reſponſio eſt: Quia Chriſti actio, noſtra eſt inſtitutio: & quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Rom. 15. Chriſtus ieiunauit, non vt ſuam caſtigaret carnem, quæ nullum peccatum contraxerat, nec commiſerat: ſed vt nos peccatores doceret, nullum exiſtere præſentius remediũ carni mortificandæ, eiusq́; inordinatis moribus extinguendis, quàm ieiuniũ: ipſoq́; exemplo, nos ad ieiuniorũ obſeruationẽ prouocaret, tanquam ad medicinam malis noſtris ſpiritualibus curandis opportuniſsimam. Quod ſcientes Apoſtoli, & eius ſucceſſores, inſtituerunt quadrageſimam, vigilias, & alia ieiunia, tanquam media, quibus Deum placatum reddamus, ipſumq́; nobis reconciliemus, & eius gratiam promereamur, quemadmodum canit Eccleſia: Qui corporali ieiunio vitia cõprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia. Huius rei teſtes ſunt locupletiſsimi, Maximus Epiſcopus, ſerm. 36. Hieronymus aduerſus errores Montani. Ignatius epiſt. 5. ad Philip. Origenes homil. 10. in Leuit. Et canon. 68. Apoſt. Concilium Gangrenſe cap. 19. Concilium Braccarenſe primum, ca. 16. Et Concilium Toletanum 8. cap. 9. præcipit, vt tota quadrageſima ieiunetur, & abſtineatur à carnibus. *Chriſti actio noſtra inſtructio.*

11 Quæritur vndecimò, quid ſit ieiunium Chriſtianum? Reſpondetur: Abſtinere à cibis illis, quorum eſum Eccleſia auctoritate diuina omnibus ſuis filiis certis ſtatisq́; diebus inhibuit, idq́; propter Deum: & ea quæ ventri negamus, in pauperes elargiri: in primisq́; curare, vt abſtineamus à prauis cogitationi- *Ieiunium Chriſtianum.*

bus,ab obſcœnis verbis, & à malis operibus: & quemadmodum Eccleſia canit, vtamur ergo parcius verbis,cibis, & potibus,ſomno,iocis,& arctius perſtemus in cuſtodia.

Myſterium huius euangelij. 12 Duodecima quæſtio: Quod ſit myſterium huius hiſtoriæ Euangelicæ? Reſpondetur: Satanæ oſtenditur ſolertiſsima cura,quam in Chriſtianis ſubuertendis adhibet: quæ tanta eſt, vt à principio Eccleſiæ ipſam ſit proſecutus: quod conſtat ex lectione Geneſeos 3. in rebus geſtis Adami, Cain.4.cap.& aliorum, quos ſcriptura commemorat. Docet & neminem poſſe præſumere ſe fore exemptum à tentationibus ſatanæ: cuius illa eſt extrema audacia,vt filium Dei adoriri non ſit veritus. Quando ergo Chriſtianus viderit ſe tentari, conſoletur ſecum Chriſto, qui à diabolo grauiter tentatus ſit, qui etiam ad nos dicit: Confidite,ego vici.

Ieiunauit Chriſtus vt noſtra ieiunia ſanctificaret. Eſt etiam doctrina nobis vtiliſsima: Ieiunauit Chriſtus, vt noſtra ieiunia ſanctificaret, & Adami inordinatam gulam corrigeret: vicit diabolum, ne deinceps adeo homines, qui ſumus membra Chriſti, ipſum timeamus, vt cũ ipſo in cãpum deſcendere formidemus, ſi mala & praua nobis ſuggeſſerit: quin ſi ab ipſo nos laceſsiri contigerit, diuino ſubſidio adiuti, cum ipſo congredi non dubitemus, ſperantes nos virtute ducis noſtri, qui ipſo longè eſt ſuperior, reportaturos victoriam & egregiam laudem. *Luc.11.* Quam ſanè referemus de mundo,carne,diabolo,ſi modò armis Chriſti protecti,cum ipſo manum conſeruerimus. Sunt autem arma Chriſti,& eius filiorum, ieiunium, mortificatio, humilitas, ſcriptura ſacra: cuius teſtimoniis & virtute nos etiã ſicut Chriſtus, vincemus ſatanam, & triumphantes ingrediemur vitam æternam. Amen.

EPILOGVS.

1 *Chriſtus mox à baptiſmo tentatur à diabolo, ductus à ſpiritu in deſertum,vt ſciamus & aduerſitates opus eſſe diuinæ voluntatis, & baptiſmum anchoram tentationum, quare in tentationibus non deſpondeamus animum, ſed viriliter agamus, in fide ſtemus. 1.Cor.15. ſcientes Chriſti baptiſmate nos fortiores factos.*

2 *Diabolus protheus eſt, & vertumnus: qui variis machinis oppugnat, ſed per tolerantiam ſuperandus, & nunquam illi credendum, etiam ſi aliquid vtile iubeat, aut ſcripturam adducat: quod facit improbè.*

3 *Angeli applaudunt nobis, & miniſtrant, ſi tentatorem vincamus.*

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMAE, EPISTOLA.

1.Theſſal.4. *FRatres, Rogamus & obſecramus vos in Domino Ieſu, vt quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis*

vos

vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poßidere in ſanctificatione, & honore non in paßione deſiderij, ſicut & gentes quæ ignorant Deũ. Et ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem ſuum. quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus; ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus: non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

IN HAC Epiſtola Paulus facit duo.

1 Primùm rogat, non imperat, nec mandat, vt ſeuerus legiſlator Moſes, qui durè inſtat, vrget, & premit, cùm dicit: *Fratres rogamus vos, & obſecramus in domino Ieſu, vt quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſicut & ambulatis, &c.* Vtitur Paulus officio Christi: rogat, precatur, adhortatur. Nam Chriſtiani quamuis teneantur ex diuino iure, legi obedire, debent tamen non coacti, nec timore pœnæ, ſed vltronei & amore iuſtitiæ ipſam implere. Nam non vult Deus coactos, ſui oſores, iniquos, falſos filios, & ſubditos: ſed vult quemadmodum ardentiſsima charitate pro nobis patiens, nos redemit, ita & nos viciſsim ingenuo ac liberali amore ipſum proſequamur. Vnde Paulus, qui Chriſti religioſiſsimus eſt diſcipulus, ac æmulator, obſecrat Theſſalonicenſes, ne ſicut ſerui & hypocritæ, coactè & violenter: ſed ſicut filij & amici Dei præcepta ſeruent, & in ipſis ambulent, id eſt, proficiant, ita vt placeant Deo: qui ſicut Euangelica veritate, fide, ſpe, & charitate in nobis regnat: ita & nos eaſdem virtutes amantes & colentes, ambulemus in via Domini; ita, vt perfectiores in dies reddamur, & magis Deo placeamus, non reuertentes, vt ſus ad luti volutabrum, non reſpicientes Aegyptum, vt Iudæi liberati à Pharaone. 2. Petri 2. Exod. 16. neque recidentes in priſtinam idololatriam, & antiqua peccata: ſed ſtrenuè facientes progreſſum ad terram promiſſam, ſcilicet cæleſtem.

Paulus officio Chriſti vtitur.

Heb. 12.

2 Secundò, exhortatur Apoſtolus ad veritatis agnitionem, vt ſcilicet pietatem colamus, ſimulque ſancti & irreprehenſibiles in doctrina & vita. Exhortatur quoque ad vitæ ſanctificationem, vt ſcilicet ſanctæ ſint ſemper in nobis, qui Chriſtiani eſſe volumus, cogitationes & opera.

Veritatis agnitio.

Hortatur inſuper hic duo potiſsimum fugienda, ſcilicet, affectum concupiſcentiæ, cùm ait: *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore, nõ in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum.* Quibus verbis monet, vt fugiamus omnem immunditiam, ſcortationem, adulterium, & omne ſpurcitiæ genus.

Affectus concupiſcentiæ fugiendus.

Hortatur etiam, vt fugiamus fraudem, dolos, impoſturas proximi, cùm ait: *Et ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in*

Fraus fugiẽda.

negotio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus. Quibus verbis monet, vt caueamus ab omnibus dolis, fraudibus, impoſturis, quibus proximo damnum infertur: liberè pronuncians omnes immundos, impuros, ſcortatores, adulteros verſari in maximo periculo: auaros autem & fraudulentos, impoſtores, fœneratores, & ſimiles, qui proximo fucum faciunt, & expilant in negotiationibus, incidere in iram & vindictam Dei, nec habituros partem in regno cælorum, niſi tempeſtiua & ſeria pœnitentia peccata deleant. Quibus verbis vult deterrere libidinoſos à flagitiis carnalibus, & auaros à nimia habendi cupiditate. Apoca. 21. & 1. Timo. 6.

Gal. 5. Epheſ. 5. Heb. 13.

Sanctificatio decet coniugatos, immunditia dedecet.

Docentur hic præcipuè primùm coniugati, quibus loquitur Paulus, quando ait: *Non vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem.* Hoc eſt, ſciant coniugati, ſe non eſſe vocatos vt libidine inordinata, impuriſque actibus ex coniuge faciant adulteram, & ſacramento non vtantur, ſed abutantur: quod Paulus hic vocat immunditiam, ad quam non ſunt vocati coniuges, ſed ad ſanctificationem: hoc eſt, per virtutem ſacramenti, coitus, qui alias fuiſſet immundus, & peccatum capitale, dignitate ac ſanctitate ſacramenti fiat purus ac ſanctus, interdumque meritorius. De iis, inquit beatus Hieronymus contra Iouinian. Adulter eſt in ſua vxore, amator ardentior. in aliena vxore omnis amor turpis eſt: in ſua, nimius, Auguſt. Intemperans in coniugio, quid aliud eſt, quàm quidam adulter vxoris. Idem lib. de bono coniugali, capit. 4. & lib. de decem chordis. Primaſius in commentariis huius loci: Nimia incontinentia in coniugio, poterit immunditiæ deputari.

Adulter eſt in ſua vxore amator ardentior.

Negociatores iuſte negotiationes exerceant. 1. Tim. 6.

Docentur hic etiam præcipuè negociatores: nam negotiatores dicit vocatos, non, vt fures agant, ſed vt iuſtè negotiationes exerceant, ſibique ſanctitatem comparent. De iis inquit Paulus, Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueos diaboli, &c. Non dicit: qui ſunt diuites, ſed qui per fraudes ac dolos volunt, id eſt, ardenter cupiunt, & ſitiunt diuites fieri, hi ſunt qui incidunt in tentationem & in laqueos diaboli.

Dogma.

Quilibet in ſua vocatione vocatur ad ſanctificationem.

Quilibet in ſua vocatione vocatus eſt ad ſanctificationem, non ad immunditiã: hoc eſt, coniuges ad coniugium ritè obſeruandum, cælibes ad cælibatum, opifices ad ſua opificia, mercatores ad ſua mercimonia: omnes denique ſciant ſe vocatos, non vt prauis actionibus inſeruiant: verùm vt inculpatis vitæ officiis, ſanctificationem animarum conſequantur: quam non alia ratione aut via Chriſtiani acquirent, niſi per Chriſtũ Ieſum, nempe ipſius meritum, ſi per charitatem in illo manſerint.

SVM-

SVMMA EPISTOLAE.

1 *Paulus præcepta dat, ſed per dominum Ieſum Chriſtum. hic enim eſt filius dilectus, de quo pater cæleſtis teſtatur, ipſum audite, Matth. 3. & 17.*
2 *Verbum abbreuiatum de Dei voluntate, cui qui obtemperare velit, facile de quauis doctrina cognoſcet. Ioan. 7. Voluntas Dei ſanctificatio veſtra. Ioan. 17.*
3 *Hortatur Apoſtolus ab impuritate vitæ, timore pœnæ. Vltor dominus de his omnibus. Sic 1. Corin. 6. An neſcitis, quòd iniuſti regni Dei hæreditatem non conſequentur?*

DOMINICA REMINISCERE,

EVANGELIVM.

IN illo tempore, Egreſſus Ieſus de Genezareth, ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis, Et ecce mulier Cananæa a finibus illis egreſſa clamauit, dicens ei, Miſerere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius rogabāt eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens, ait: Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. At illa venit & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me. Qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus. At illa dixit, etiam Domine: Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Tunc reſpondens Ieſus ait illi: O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora. *Matth. 15.*

HOc Euangelium continet quatuor. *Natura & officium fidei.*
1 Primò naturam & officium fidei: quæ eliciuntur ex hoc, quòd mulier credidit Ieſum Nazarenum eſſe Chriſtum, Iudæis promiſſum, verum Meſsiam, in lege & prophetis celebratum, & multis retro ſeculis prædictum eſſe venturum. *Deut. 8. Iſai. 2.*

Hanc fidem in Chriſtum non hauſerat ex fama, quam celeberrimam de illo per vniuerſam Iudæam & vicinas ciuitates audiebat euulgatam, erat quippe Dei donum. Epheſ. 2. Eſt tamen verum, famam illā candidiſsimam illi Chananitidi fuiſſe verbum, ex cuius auditu, Chriſti notitiam ſuſciperet. Rom. 10. Fides ex auditu. Vt autem vera crederet, quæ de illo dicebantur, & tanta bona ſibi de illo pollicita fuerit: hoc nec ex ſe habuit, neque ex fama hominū, ſed ex operatione ſpiritus ſancti, qui eius animo tam altam fidem ingenerauerat. Neque hoc mirū in fœmina impia, ſtat fides cum peccato mortali, quamuis charitas iuſtificans peccatum non compatitur. Fides Dei donum eſt. *Marc. 7. Fides licet dei donum, tamen ex auditu percipitur. Epheſ. 2.*

Officium fidei eſt, credentes ad Chriſtum dirigere, atque ipſum illis oſtendere. Credendo hæc mulier ad Chriſtū ſe contulit, & eius bonitate confiſa clamauit, dicens: *Miſerere mei Ieſu fili Dauid: Filia mea malè à dæmonio vexatur.* His verbis confitetur Chriſtum eſſe verum Deum & hominem. Deum, quia miſericordiam ab ipſo non tanquam ab homine, ſed tanquam à Deo *Officium fidei.*

poſtulat, cui proprium eſt miſereri & parcere; nec hoc ſolum, ſed tam ſublimiter de ipſo ſentit, vt ſuper dæmones ipſum habere poteſtatem confiteatur, ob idque petit ſibi ab illo ſuccurri.

Conuerſationis priſca habitacula relinquenda ad Chriſti Eccleſiā properantibus.

Quæ rectè à finibus ſuis egreſſa perhibetur, quia niſi priſcæ conuerſationis habitacula vaia reliquiſſet, ad Chriſti Eccleſiam nunquam properaſſet. Emigrandum ergo eſt de ædibus tuis, vt venias ad domum, in qua ſedet Ieſus. Non enim ſufficit à peccatis egredi, niſi & occaſiones derelinquas peccatorum. Eccleſ. 13. Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea: & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. Et Pſal. Cum peruerſo peruerteris. Et ſi quis miſericordiā Dei dignus haberi velit, à finibus ſuis, & à domo ſua exeat neceſſe eſt: hoc eſt, à conſuetudine peccatorum & ab omni peccati occaſione. Abraham benedictionem non eſſet conſequutus, niſi de terra, & de cognatione ſua, Dei iuſſu, abiſſet. Gen. 12. Sic Loth cum Zodomitis & Gomorraitis extinctus fuiſſet, ſi regiones illas non reliquiſſet. Similis pœna manet omnes peccatores, niſi tempeſtiuius reſipiſcant. Derelinquat impius viam ſuam, & iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur, &c. & miſerebitur eius. Inde nouit hæc mulier vocare filium Dauid, hinc miſericordiam conſecuta eſt, quia egreſſa iam fuerat de finibus ſuis, & errorem Tyriorum & Sidoniorum loci ac fidei commutatione dimiſerat.

Iſai. 55.

Fides inuocationē Dei excitat.

Docemur hic fidem inuocationem Dei excitare.

Exercitiū fidei elicitum ex quatuor.

2 Secundò, continet hoc Euangelium exercitium fidei, quod elicitur ex quatuor. Primò, ex hoc exemplo elicitur. Quanquā enim fides mulieris Chananææ Chriſto vehementer probatur, tamen vt fides illa velut aurum igne probaretur, nihil Chriſtus ab initio reſpondit, quo ſimul & conſtantiſsimam mulieris fidem omnibus patefaceret, & Iudæis ſuam pertinaciſsimam incredulitatem exprobraret: ſimulque, vt doceret nos quantum apud Deum valeant improbæ preces ex humili corde profuſæ, adeò contempſit ſupplicem āc vociferantem præ dolore animi, vt nec reſponſo dignaretur, non de ſuperbia Phariſaica, nec de ſcribarum ſupercilio, ſed etiam ne ipſe ſententiæ ſuæ videretur contrarius, per quam iuſſerat. Matth. 10. In viam gentium ne abieritis. Nolebat enim occaſionem calumniatoribus dare, perfectamque ſalutem gentium paſsionis & reſurrectionis tempori reſeruari.

Sancta deſideria dilatione creſcunt.

Mulier tamen fide non elanguit, ſed bonum illud nuntium quod de Chriſto audierat, mordicus tenebat, ſperans ſe tandem quod poſtulabat obtenturam: adeo ſancta deſideria dilatione creſcunt, & ſpes quæ differtur, affligit animam. Prouerb. 13. Non igitur abiit, ſed conſtanter perſeuerauit, expectans optatiſ-

tatiſsimum reſponſum. Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit. *Habac.2.*

Conſequẽter exercitium eius fidei monſtratur in hoc, quòd diſcipulis accedentibus, & pro ea intercedentibus vt eam dimitteret, paulò inſuauius Chriſtus reſpondit, dicens: Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. Durum & inſolens videbatur hoc reſponſum. potuiſſent dicere diſcipuli: Vbi ſunt promiſsiones tuæ domine? quibus dixiſti: Petite & accipietis, pulſate & aperietur vobis. Matth. 7. Vbi eſt doctrina illa tua de miſericordia, qua nos docuiſti? Eſtote miſericordes, ſicut pater veſter miſericors eſt. Luc. 6. Miſericordiã volo, &c. *Oſee.6.*

Dominus reſponſum addit repulſa priori durius, quò magis ac magis barbaræ mulieris admirabilem redderet conſtantiam ac modeſtiam, & hoc exemplo Iudæis ſuam exprobraret arrogantiam, & velut ex affectu reſpondet, ſe non gentibus, ſed Iudæis peculiariter miſſum: non quòd ad gẽtes non miſſus ſit, ſed quòd vel primùm miſſus ſit ad Iſraël, vt illis non recipientibus Euangelium, iuſta fieret ad gentes tranſmigratio, hinc Paulus Act. 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, &c. Ipſis enim promiſſus potiſsimum. Roman. 15. Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circunciſionis, ad confirmandas promiſsiones patrum, &c. *Iudæis peculiariter miſſus Chriſtus non gentibus.*

Præterea exercetur fides mulieris per id quod ſequitur. Cùm Chriſtus (teſte Marco cap. 7.) latendi cauſa eſſet ingreſſus, venit mulier, & quaſi ſemianimis genibus eius aduoluta clamauit: *Domine adiuua me.* Ac ſi dicat: Non te dimittam, niſi opem mihi feras: quòd ſi denegaueris, ad cælos querelas deferam. Non minori laude digna eſt hæc mulier, quàm Iacob, qui cum angelo tota nocte luctam ſuſtinens, non prius eum dimittere voluit, quàm benedictionem ab illo obtineret. Geneſ. 32. Nec minori admiratione eſt ſuſpicienda hæc lucta, quàm illa, quæ perſeuerantis orationis typus fuit. *Lucta Iacob cum angelo perſeuerantis orationis typus eſt.*

Exploratur quarto loco huius fides, quando Chriſtus, qui ſe hactenus inexorabilem præbuit, iam multò magis durũ ſeſe exhibet. Non modò enim mulierem reiicit, ſed etiã odioſo nomine canem appellat: *Non eſt* inquit *bonum, ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* ac ſi diceret, Canis es, non es de numero filiorum Iſraël: diuina gratia indigna es. Hic gauiſa mulier, quòd à Chriſto verbum extorſiſſet, reſpondit: Etiam domine, non nego me canem eſſe: ſed de micis quæ cadunt de menſis dominorũ ſuorum, edunt catelli. *Fides mulieris exploratur.*

Mira hic mõſtrantur, quæ gradatim Deus expoſtulat. Fides, qua

qua credidit poſſe ſanare filiam: ac primum filium David. deinde dominum vocat, ad extremum adorat vt Deum. Patiētia, qua toties contempta in precibus perſeuerat. Humilitas, quâ ſe non canibus: (de quibus Pſal. 21. Circundederunt me canes multi) ſed catulis comparat. Nihil igitur offenſa huiuſmodi conuicio, quod dictum videbatur ad ambigendam illam, vertit in argumētum impetrandi. Non inficior, inquit, Iſraëlitas eſſe filios, nos eſſe canes. Nam & ſi canis, non penitus aliena. Canis ſi foras baculo pellatur, per feneſtram vel aliunde rurſus aditū quærit. ideo non ſum omnino repellenda. Non illis præripio ſuum panem delicâtum, quo veſcuntur accumbentes in menſa patris: hoc tantum peto, quod domini non ſolent negare canibus.

Sunt hic præcipuè duæ tentationes obſeruandæ: Prima de dignitate. Vult Deus, docetq; religio catholica, vt omnes quotquot Dei gratiam, & eius iuſtitiam eſurimus & ſitimus, eius conſequendæ, nedum promerendæ, indignos nos reputemus, vt propriis viribus, ac meritis diffiſi, ad eius miſericordiam confugiamus. Quod hodie Chananeam feciſſe legimus, atque Publicanum. Luc. 18. Quòd ſi indignitas nos deterruerit, & turbauerit, & ſi grauiſsima ſit tentatio, nihilominus ſciamus nos voti compotes futuros, ſi perſeuerauimus: ſitque hoc nobis ſolatio, quod gratis omnes accedentes excipit, & iuſtificat.

Gratia diuina nos indignos reputare debemus.

Iſai. 53.

Altera tentatio eſt, de electione. Cùm videamus multos reiici, qui noſtro iudicio bene meriti videbantur, vt Saulem, Auguſtum, Ciceronem, Traianum: recipi verò longè deteriores, vt Magdalenam, latronem, publicanum: diſputamus Deū quoſdam velle ſaluare, alios autem condemnare, hinc torpemus, & ad omne opus bonum pigri ſumus. Huic tentationi opponenda eſt vox illa vniuerſalis Chriſti: Venite ad me omnes, qui laboratis. Item Pauli: Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Matth. 11.
1. Timot. 2.

Eſt & hic notandum geniculationes & alias ceremonias externas Chriſtum non improbaſſe, imò gratiſsima fuiſſe omnia illa ſigna externa, vt quæ ex animo humiliato & afflicto prodirent. Miror hic quoſdam nouatores, quare Chananæam non reprehendant, quam in genua veriſimile eſt procubuiſſe ante Chriſtum: vel Chriſtum, qui illam ita lamentantem non faſtidiuerit, cùm ſolam fidem internam dicant ſufficere, externa autem omnia hypocriſim ſapere. Auguſtinus quoque to. 2. in epiſt. ad Probam de orando Deo, quæ in ordine eſt 121. ca. 9. docet ſuo tempore certas horas ad orandum deſignatas habuiſſe. Non igitur noua eſt cōſuetudo, certis horis eccleſiā ad orandum accedere. Petrus & Ioannes aſcendiſſe in templum leguntur ad horam orationis nonam.

Geniculationes & alia ceremoniæ deo grata.

Act. 3.

Satis

Satis etiam mirari nequeo hæreticorum noſtri temporis, vel ſtuporem, vel malitiam: qui tam falsò ex hoc loco aſtruere contendunt, ſolam fidem iuſtificare: cùm hic videant mulierem primùm fidem accepiſſe, deinde ſuæ neceſsitatis cognitionem: tertiò, confeſsionem ſuæ indignitatis: quartò, humilitatem: quintò, perſeuerantiam: ſextò, orationem, lachrymas, triſtitiam, & bonam in Chriſtum affectionem. Quarum virtutum ſi vel vna deſtituta fuiſſet, nihil vnquam à Chriſto fuiſſet conſequuta. Illuminare dignetur Deus oculos cordis ipſorum, vt in viam iuſtitiæ redeuntes, canes ſe eſſe, & malè à dæmonio diuexari cognoſcant, & confiteantur, ita vt clamantes ad eccleſiam Romanam, in qua eſt Chriſtus, ſanandi concurrant. *Fides nuda nõ iuſtificat, vt falſo aſſerunt hæretici.*

3 Tertiò, continet præſens lectio, præmium fidei, orationis, & perſeuerantiæ. Chriſtus enim ſe vinci à muliere patitur, nec diutius ſuam clemẽtiam poteſt diſsimulare, nec illam ſuſpenſam tenere: ſed miſericordiam ſuam afflictæ mulieri communicat, facitque ex Gentili Chananæa Iſraëlitem: ex catella, Dei filiam. Clamat etiam cum admiratione: O *mulier magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.* Cumque abiiſſet domum, comperit dæmonium exiiſſe: & ſanata eſt filia eius ex illa hora. *Premiũ fidei orationis & perſeuerantiæ.*

His docemur, ſicuti Cananiditis huius fides tentationibus probata fuit, ita & nobis tale aliquid euenturſi, vt fides noſtra tentetur, non ſolùm dum viuimus, ſed grauiſsimè etiam in ipſo mortis articulo. Tentatur fides noſtra quando audimus tot ſectas, tot errores, tot factiones, in Germania, Anglia, & Gallia à diabolo excitatas. Tentatur etiã, quando aliqua calamitate, vel alia ratione Deus nos affligit, ipſumque rogamus, vt nos liberare velit: hancque liberationem, vel negat, quia ita nos decet, vel differt, quia expedit. Tunc debemus conſtanter immobiles in fide & charitate Chriſti perſiſtere, ipſum orantes, vt ſi velit, nobis quæ petimus concedat. Tam eſt igitur firmiter Chriſto eiuſque Eccleſiæ Romanæ adhærendum, vt nec in vita, nec in ipſo mortis articulo, nos oporteat à Chriſto deterreri, neque ab eius eccleſia, neque ab ejus doctrina & amore declinare: ſcientes quòd non coronabitur, niſi qui legitimè certãs perſeuerauerit vſque in finem. Matth. 24. *Quomodo tentetur fides noſtra.* *2.Timot.2.*

4 Quartùm, quod hic continetur, myſterium huius euangelij eſt, vt ſi quãdo ſentimus animas noſtras, vel carnem noſtrã à diabolo variis paſsionibus vexari, ad Chriſtũ accurramus, clamantes atque dicentes: *Domine Ieſu fili Dauid, miſerere mei:* quia anima mea, voluntas mea, mens mea, caro mea, malè à dæmonio tenentur & vexantur. Quod ſi audire nolit, Apoſtolorũ & aliorum ſanctorum interceſsiones adhibeamus. Quibus & ſi nihil effecerimus, nihilominus perſtemus clamantes, confitentes nos indignos canes, oſtendentes nos humiles, confitentes *Myſteriũ huius euangelij*

eius

eius maieſtatem, diuinitatem, miſericordiam: quam ſine dubio nobis communicabit, ſi id quoque petimus, in noſtram vtilitatem, & eius gloriam ſit futurum. Auguſtinus in enarratione Pſal. 85. Paulus orans non fuit exauditus, diabolus orans fuit exauditus.

2. Corint. 2.
Iob 1.

Patrũ eſt pro filiis vitiis infectis ad Chriſtum currere.

Eſt etiam hic doctrina pro patribus, vt ſi ipſos contingat habere filios à vitiis diaboli corruptos & infectos, pro eorum ſalute ac liberatione ad Chriſtum currant, non ad ſuperſtitioſos homines, non ad ſuas ſolas exhortationes, neque ad alia humana ſubſidia, quæ parum iuris in diabolum (qui fortis eſt & armatus) habent: ſed ad Chriſtum, qui fortior eſt illo, qui eum vicit, ſpoliiſque priuatum in tartara detruſit. Ad hunc, inquã, quem diabolus maximè timet, accurrant cum humilitate, cum fide, cum lachrymis, cum perſeuerántia. his enim Chriſtum inclinabunt, vt eorum miſereatur. Diſcant parentes catholici ex hac fœmina gentili, magno ſtudio Chriſto ſuos liberos commendare.

Nõ eſt triſtandum in tentatione.

Eſt etiam doctrina pro omnibus fidelibus, qui aliqua tentatione laborantes, non debent triſtari, ſi non tam citò liberentur: Chriſtus non liberauit ſtatim Paulum, & ſi ter illum rogauerat, 2. Cor. 12. Si non liberat, pete gratiam ne ſuccumbas. Si non vincis diabolum, pete gratiam ne ab ipſo vincaris: & illa tibi ſufficit, qua vinces, tandem liberaberis à captiuitate diaboli, vt ſeruus fias Chriſti. Amen.

SVMMA.

1 *Chriſtus miniſter fuit circumciſionis pro veritate Dei, ad confirmandas promiſsiones patrum. Ceterum vt gentes per miſericordiam glorificent Deũ, hic vt præludat vocationi gentium in obedientiam fidei, contra ſuum præceptum, quod ad tempus dederat, in viam gentium vadit dives Dominus in omnes, qui inuocant illum. Rom. 10.*

2 *Quantum efficiat iugis & feruens oratio. Non deſtitit mulier, quamuis repulſa, & indignè excepta, ſequitur à tergo, vociferatur lamentabili voce: Miſerere mei Domine fili Dauid.*

3 *Patientia & fides alienigenæ, quarum encomium longe abfuit Iudæis. Matth. 8.*

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMAE, EPISTOLA.

Ephes. 5.

Fratres, eſtote imitatores Dei, ſicut filij chariſsimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet: ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote, intelligẽtes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.

Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate & iuſtitia, & veritate.

HAC Epiſtola hortatur Paulus ad tria. Primò ſcilicet, ad imitationẽ charitatis diuinæ. Ait namque: *Eſtote imitatores Dei ſicut filij chariſſimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* Quibus verbis monet, vt qui per diuinam gratiam & miſericordiam, per baptiſmum, fidem, ſpem, charitatem, & Spiritum ſanctum, ſunt adoptati, filij Dei facti, ſanctificati, iuſtificati, hæredes obſignati. Deum patrem vt obedientes filij, per charitatem imitari non detrectent. Nam aperuit cor paternum, effudit ſuam gratiam, miſit filium ſuum vnigenitum, tradidit eum pro nobis, in oblationem & victimam Deo beneplacitam & acceptam in odorem ſuauitatis. Epheſ. 5.

Ioan. 13. & 15
1. Ioan. 4.
Charitatẽ Deo pro ſuis in nos beneficiis debemus.
Luc. 6.
Matth. 5.

Circa ſecundum hortatur Apoſtolus ad fugam fornicationis & auaritiæ. Ait enim: *Fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.* Quibus verbis monet vt abſtineamus ab omni ſpurcitia carnis, & affectu concupiſcentiæ & libidinis, quæ fit extra coniugium. Propter quæ peccata Deus mundum diluuio perdidit. Gene. 6. 7. Matt. 24. Luc. 17. Sodomam & Gomorrham ſubuertit. Geneſ. 19. In deſerto iuſſit occidi 23. millia Iudæorum. Num. 25. Quæ exempla ſatis indicant, quàm iniquus infenſusque ſit illis flagitiis Deus. Hinc quoque in exercitibus Chriſtianorum atque Turcarum, tot hominum millia crudeliter intereunt, quòd turpiſſima in omni libidine crimina deſignent, minimeque obſeruent legem à ſacro Baptiſta ſibi præfixam.

Coloſſ. 3.
Abſtinendũ à fornicatione et immunditia.
Luc. 3.

Præterea his verbis monet, vt abſtineamus ab omni auaritia, & inordinato amore habendi. Auaritia enim vt deficit in dando, ſic ſuperabundat in retinendo & acquirẽdo pecuniam, aut alias res. Nunquam enim ſaturatur, neminem reueretur, nemini fidem ſeruat, omnia iuſtitiæ iura violat, viduas opprimit, orphanos & pupillos contriſtat. Breuiter, auarus eſt omnium regionum calamitas, ciuitatum pernicies, hominum viuentium peſtis & plaga. Tantiſper credunt auari, dum in granario plurimum habent frumenti, dum in penu & apotheca magnus eſt aceruus, & numerus potus & cibi, dum in crumena magnus eſt numerus æris & pecuniæ. Chryſoſtomus homil. 29. in opere perfecto graphicè depingit auarum.

Abſtinendum ab omni auaritia.
Iſai. 1.
Ierem. 5.

3 Tertiò, hic Apoſtolus hortatur ad euitationem obſcœnorum verborũ, ſtultiloquij, & inanium ſermonum, cùm ait: *Aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet: ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote, intelligentes, quòd omnis fornicator,* aut

Obſcœna verba & ſtultiloquia vitanda vt irritamẽta impudicitiæ.

2.Theſ.2. *aut immundus, aut auarus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.*
Matth.24. *Nemo vos ſeducat inanibus verbis, &c.* Quibus verbis monet, vt vi-
Marc.13. temus omnem occaſionem, quæ nos prouocare queat ad impu-
Luc.21. dicitiam, & omne genus obſcœnarum facetiarum.

Turpitudo. Intelligit autem per turpitudinem, omnia verba turpia atque fœda, quæ in conſeſſu hominum prolata, alios offendunt, contaminant, & inficiunt. 1. Corin. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Stultiloquiũ. Per ſtultiloquium, intelligit aniles fabulas, dicteria, ſcurrilia, cantilenas futiles, libellos famoſos, inanes hiſtorias.

Scurrilitas. Per ſcurrilitates, intelligit ludicras & leues facetias, & per inania verba, intelligit futilia dicta, quæ peccatis prætexuntur.

Vult ergo dicere Paulus: Si aliquando vixiſtis in peccatis, reſipiſcite, & agite pœnitentiam. Erraſtis & ambulaſtis in tenebris: in viam redite ad lucem. Hoc volunt verba illa: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino:* id eſt, in Chriſto Ieſu, non in veſtra natura, aut ſola virtute. Gratias ergo Deo agite, quòd ex tenebris vos in lucem tranſtulerit.

Opera carnis fugienda ſunt fidelibus et fructus ſpiritus S. amplectendi. Fugite omnia carnis opera, & praua colloquia: & amplectimini fructus ſpiritus in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate. hoc eſt, fructus, quos ſpiritus ſanctus in nobis exiſtens per gratiam profert. Sunt autem fructus huiuſmodi, amicitia, benignitas, clementia, manſuetudo, miſericordia, pax, temperantia, veritas, tranquillitas, charitas, iuſtitia, ac reliqua omnia bona, quæ in nobis ſunt.

Hæc ſunt opera, quæ proferunt illi, qui ad lucem fidei vocati, ex charitate in ſua vocatione Chriſto ſeruiunt: in quibus vult Paulus filios lucis ambulare. Et quia non ſatis eſt bona opera facere, niſi à malis abſtineamus: ideo inquit Paulus: Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum: magis autem redarguite.

Dogmata Chriſtianis neceſſaria. Habet hic pius Eccleſiaſtes dogmata ad ſalutem cuiuis neceſſaria, dignaque quæ populo proponantur. Quorum primum eſt, Fructus Spiritus ſancti eſſe bona opera. Secundum, Ipſa opera fieri in veritate, non in imputatione: in iuſtitia, non in peccatis. Tertium, Opera illa Deo grata eſſe. Quartum, Non ſufficere ad ſalutem opera bona facere, niſi à malo abſtineamus. Quintum Chriſtianum redarguere debere proximum mala operantem. Sextum, Doctrinam hæreticorum noſtri temporis aperto Dei verbo repugnare. Confutatur etiam hac Pauli Epiſtola, hæreticorum ſententia, qui docent ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum: cùm Paulus vetet omnem immundiciam, & laſciuiam carnis.

SVMMA.

1 *Christiani templa ſunt Spiritus ſancti, qui in eis eſt teſte Paulo. 1. Cor. 6. An neſcitis, inquit, quòd corpora veſtra membra ſunt Christi? Et ſtatim ſubiungit: An neſcitis quod corpus veſtrum templum eſt habitantis in vobis Spiritus ſancti, quem habetis à Deo, & non eſtis ipſi veſtri iuris? Nam empti eſtis pretio. Glorificate iam Deum in corpore veſtro, & 2. Cor. 6. idem dicit, Quid conuenit templo Dei cum ſimulachris? Nam vos templum eſtis Dei viuentis, quemadmodum dixit Deus: Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus, &c. Sunt etiam adoptione filij Dei, vt Ephe. 1. de Christianis loquitur Paulus: Prædeſtinauit, inquit, nos in adoptionem filiorum, Rom. 8. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis, iterum ad timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis, per quem clamamus: Abba pater. Igitur & ſancti ſint, ſicut Deus ſanctus eſt. Leuit. 11. & 19.*

2 *Dei & Christi immenſa charitas erga nos oſtenditur, vt & gratis condonarit peccatum, & filium ſuum dederit hoſtiam pro peccatis noſtris.*

3 *Sic amantem redamemus ab omni turpitudinis & vitiorum genere abhorrentes. qui ſecus faciunt, & ſunt inobedientes, hos manet vltio Dei.*

DOMINICAE EIVSDEM,

EVANGELIVM.

IN illo tempore, erat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm eiecisſet dæmoniũ, locutus eſt mutus, & admirata ſunt turbæ. Quidã autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorũ, eiicit dæmonia. Et alij tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo. Ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſe diuiſum, deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem & ſatanas in ſe ipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt. Porro ſi in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inueniens, dicit, Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam. Et tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Factum eſt autem cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimo, Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud. *Luc. 11.*

HISTORIA huius Euangelij complectitur quatuor.

1 Primò, malitiam diabolicæ tyrannidis, quæ deprehenditur ex operibus diabolicis. Nã cùm hic miſer homo non tantum cæcus eſſet, ſed etiã ſurdus & mutus, tamen admiſcuit ſeſe ſatânas, & crudeliter opprimens hominem poſſedit. Quibus *Malitia diaboli in homines deprehenditur ex operibus.*

malis quid potuit excogitari crudelius aut calamitoſius? 1. Pet. 5. Aduerſarius veſter diabolus tãquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret. Magna & miranda nequitia dæmonis, vtrunque ingreſſum oppilauerat, per quæ ille crediturus erat, auditum & viſum, & tertium, linguam, ne confiteretur, Mat. 12. Tunc oblatus eſt ei dæmoniũ habens, cæcus & mutus: In quibus Deus huius ſeculi, excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.

2. Corint. 4.

Clemẽtia et potentia Chriſti ex operibus.

Deinde hoc primo loco complectitur clementiam & potentiam Chriſti, quæ deprehenduntur ex eius operibus diuinis. Nam hunc afflictum, cæcum, ſurdum, & mutum, benigniter audiuit. ſatanam expulit; & miſero viſum, auditum, atque loquelã reſtituit. Hic eſt de quo Dauid: Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Et. 1. Ioan. 3. In hoc apparuit filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli.

Pſal. 71.

Peruerſitas Iudæorũ item ex operibus.

2 Secundò complectitur præſens hiſtoria inſaniam & peruerſitatem Iudæorum, quæ deprehenditur ex hoc, quòd quidã tentabant eum, volentes videre ſignum de cælo, quo plane conſtaret, illum cum Deo habere commercium qui in cæleſtibus habitat, & cum dæmonibus immundis, quorum præſtigia naſci ſolent è terra, nullum. Quemadmodum Ioſue ſolis fecit ſtationem. Ioſ. 10. Iſaias ſolis retrogreſſionem. Iſa. 38. 4. Reg. 20. Helias ignis deſcenſionem, qui conſumpſit holocauſtum. 3. Reg. 18. Item duos viros quinquagenarios cum ſuis. 4. Reg. 1. Quibus Chriſtus reſpõdit: Generatio praua & adultera ſignũ quærit, & ſignum non dabitur illi, niſi ſignum Ionæ prophetę.

Matth. 12. Ionæ 2.

Præterea deprehenditur ex hoc eorum inſania & peruerſitas, quòd quidam calumniabantur & blaſphemabant eum dicentes: *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Phariſęi cùm audiſſent vocem populi dicentis: Num hic eſt ille filius Dauid, quem promittunt prophetæ? Matth. 12. Ieſum quidem ipſum non aggrediuntur, à quo ſemper diſcedebant inferiores, ſed multitudinis animos conantur ab illius admiratione diuertere, Mar. 3. Scribę qui ab Hieroſolymis deſcenderant, dicebant, quoniam Beelzebub habet: quaſi dicat, Non poteſt hic eſſe filius ille Dauid, vt vos ſuſpicamini: ſiquidẽ ille veniet ſuffultus poteſtate diuina. Fuit autẽ Beelzebub, idolũ Philiſtinorũ in Accaron, diciturq; rex muſcarũ. 4. Reg. 1. & nomine ridiculo nominabatur à Iudæis. Odio ſolo itaque agitati, nihil ſordidius inueniẽtes, quod Domino obiicerent, ſuſtinere non valentes vt turbæ ipſum laudarent, & Chriſtum prædicarent, Phariſæi dicebant: Hic non eiicit dæmones, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum: Inuidia quippe non conſiderat quid, ſed tantũ, vt dicat,

Beel-zebub idolum Philiſtinorum.

Matth. 12.

dicat. nulla enim peior malitia inuidia. Adulter breui complet delectationem ſuam, inuidus autem nunquã quieſcit: ſed ſicut ſcarabæus nutritur ſtercore, ita inuidus infortuniis aliorum, & de proſperitate contabeſcit. Gene. 37. inuidia fera peſsima.

3 Tertiò, complectitur hæc hiſtoria Apologiam Chriſti, qua tuetur opus ſuum diuina ſua virtute factum, & reſpondens diluit blaſphemias quinque argumentis. *Apologia Chriſti à diuina virtute.*

Primò ab experientia, dicens: *Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem & ſatanas in ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius? quia dicitis in Beel-zebub me eiicere dæmonia.* quaſi dicat, Omnis communitas ſiue politica ſit, vt regnũ, ſiue œconomica, vt domus familias, diuiſa ſtare non poteſt. Nam ſicut concordia res paruæ creſcunt, ſic diſcordia maximæ dilabuntur. ſicut regno Romanorũ eueniſſe conſtat, quod propter latens odium, commodum proprium, & iuuenile conſilium corruit magis, quàm per pugnas, teſte Auguſtino in libro de ciuitate Dei, Oſee 10. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt. Sic ſi ſatanas conſurrexerit in ſemetipſum, diſpertitus eſt, non poterit ſtare, ſed finem habet. *Marc. 3.*

Deinde, tuetur opus ſuum, & diluit eorum blaſphemias, à propriis ipſorum exemplis, dicens: *Si ego in Beel-zebub eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? Ideo ipſi iudices veſtri erunt.* De exorciſtis eorum loquitur, qui adiurationibus dæmonia eiiciebant: vel de Apoſtolis. Coarctat autem eos dominus interrogatione prudenti, vt confiteantur Spiritus ſancti opus eſſe, quaſi dicat, Quod ſi expulſio dæmonum in filiis veſtris, Deo, non dæmonibus deputatur: quare idem opus in me non eandem cauſam habeat, qui non longo exorciſmo, ſed vnico potenti verbo eiicio? Diſcipuli itidem mei ſimplices & idiotæ, neſcientes artes malitioſas magicorum, in meo nomine, ſola fiducia in Deum, faciunt quicquid faciunt. Si ergo illi in nomine meo eiiciunt dæmonia, manifeſtum eſt, mihi opus non eſſe alterius virtute: ideo ipſorum ſimplex credulitas, veſtram condemnabit incredulitatem, quæ gloriã Dei oppugnat, qui calumniari mauultis quàm mutari. Si autem ego in ſpiritu Dei eiicio dæmones, igitur peruenit in vos regnum Dei, quod Ioannes inſtare dicebat, deſtructo regno diaboli. Fecit potentiam in brachio ſuo, &c. Ioan. 12. Nunc iudicium eſt mundi. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. *A propriis ipſorũ exẽplis.* *Luc. 9. & 10.* *Luc. 1.*

Tertiò idem facit, à ſimili, dicens: *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſsidet, vbi verò fortior illo ſuperuenerit, & ipſum vicerit, vniuerſa eius arma auferet in quibus confidebat, et ſpolia eius diſtribuet.* Mos mundanorum eſt, vt potentior inferiorem & infirmiorem opprimere ſoleat, omniaque, quæ eius ſunt, *A ſimili.*

Bellum irreuocabile ſatanæ cum Deo. ſunt, auferre & diſtribuere. Irreuocabile bellum eſt ſatanæ cum Deo, res nullis conditionibus componenda: Chriſtus ſuperuenit fortior, quia de cælo. Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt: *Ioan.3.* Dei quoque virtus eſt & ſapientia. 1. Corinth. 1. Vicit tentationem viriliter refellendo, paſsionem patienter tolerando, infernum potenter ſpoliando, Oſee 13. Ero mors tua, O mors, morſus tuus ero inferne, Apo. 5. vicit leo de tribu Iuda. Hactenus Beelzebub tyrannidem exercuit in homines peccatis obnoxios, malisque cupiditatibus addictos: ſed Chriſtus ſublatis hominum peccatis, Beelzebub cum ſuo ſodalitio protriuit, & quos ille per iniuſtitiam detinebat ac poſsidebat, per innocentiam Deo vindicauit, & angelo tradidit fido cuſtodi. Roma. 6. Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Epheſ. 4. Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatē: hinc *Iſai. 8.* nomen eius vocatum, accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari. Quod ille rapuit, Chriſtus eripuit: quos captiuos tenebat, ipſe liberauit; quos venundatos habuit, ipſe redemit: pro debitoribus ſatisfecit. Vnde dicit: Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam, Ioan. 14. Adeò contuſa eſt eius poteſtas, vt nec vim nominis Ieſu ferre queat. Hinc audiuntur vociferaſſe: *Marc.1.* Quid nobis, & tibi fili Dei? Veniſti ante tempus torquere nos?

A præclaris et manifeſtis rationibus. Quartò defendit opus ſuum, diluitque blaſphemias, à præclaris, & manifeſtis rationibus: *Qui non eſt mecum*, inquit, *contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit*: quaſi dicat, Officiū Beelzebub eſt, diſpergere collectos, & ab illa vite, cui erant inſiti, diſcerpere: quod feciſſe conſtat in Germania, & Anglia: diſperſit, *Officiū Beelzebub.* ac amputauit illos à vite illa fructifera in domo Domini. Opera ergo diaboli, operibus ſaluatoris comparari non poſſunt: ille cupit animas tenere captiuas, Chriſtus liberare: ille prædicat idola, iſte vnius Dei notitiam: ille trahit ad vitia, iſte ad virtutē reuocat. Officium itaque Chriſti eſt, colligere diſperſos à dia- *Ioan. 11.* bolo in vnum corpus, in vnum cor, & in vnam mentem. Ipſe *Pſal. 67.* facit habitare vnanimes in domo. Quomodo igitur, ſi noſtra officia ſunt diuerſa, alter alteri virtutem ad operandum pręſtabit? Quæ cōmunio luci cum tenebris? aut quæ concordia Chriſto cum Belial? 2. Cor. 6. Ex contrariis igitur ſtudiis, & operibus, euincit Dominus, ſatanam non ſocium, aut amicum eſſe, ſed infenſiſsimum aduerſarium.

Ab horrendis minis & comminationibus. Quintò, defendit ſuum opus ac refutat blaſphemias, ab horrendis minis & comminationibus, quibus mortem & diuinū iudicium ipſis interminatur, dicens: *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis munda-*

mundatam, atque ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe: & ingreſsi habitant ibi: & fiunt extrema hominis illius peiora primis. Oſtenſo rationabiliter ſe non dæmonis ſed Dei virtute miracula operari, declarat hic cauſam, quare tantam ſibi imponebant calumniam: quod nunquam vel patres ipſorum alicui fecerũt, ſimulque ænigmate ſignans grauius damnandos eos, qui aliquo vſque progreſsi ad iuſtitiam, relaberentur ad priſtina vitia, quàm qui nunquam cognita luce veritatis Euangelicæ, perſeueraſſent in caligine vitiorum. Et ideo addit, Mat. 12. Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro: Qui autem blaſphemauerit in ſpiritum ſanctum, inquit Marcus. 3. cap. non habebit remiſsionem in æternum: ſed reus erit æterni delicti. Senſus eſt: Qui ſcandalizatus in carne mea, me hominem tantum arbitratur, quod filius ſim fabri, & fratres habeam, homo vorax & potator vini Matth. 11, talis opinio abſque blaſphemia, quanquam non culpa careat erroris, tamen habet veniam propter vilitatem corporis. Qui autem manifeſtè intelligens opera Dei, cùm virtutem negare non poſsit, eadem ſtimulatus inuidia calumniatur, & Chriſtum Deique verbum, operaque Spiritus ſancti, dicit eſſe Beel-zebub, iſti non dimittetur, neque in præſenti ſeculo neque in futuro. Error & ignorantia veniam merentur: deſtinata malitia aduerſus bonitatem Dei prouocantis, quomodo veniam impetrabit? Omne itaque peccatum & blaſphemia in proximum, Deum, vel ſanctos, proueniens ex ignorantia, vel infirmitate remiſsibile eſt, ſed procedens ex certa malitia, impugnatione agnitæ veritatis, vel inuidentia fraternæ gratiæ, ex ſe irremiſsibile eſt crimen: quoniam obuiat principio, quo fit remiſsio, hoc eſt, bonitati diuinæ.

2. Pet. 2.

Marc. 6.

4 Quarto loco complectitur præſens hiſtoria, vocem laudatoriam, qua mulier quædam de turba Chriſtum extulit, inquiens: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*. Chriſtus verò reſpondit mulieri: *Quinimo Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*: ac ſi diceret, Mater mea proculdubiò beata eſt, & adeò, vt beatam ipſam dicant omnes generationes, & beata ſit in mulieribus, Lucæ. 1. ſed non ideo tantum quia mater, ſed etiam quia verbo Dei quod audiuit ab Angelo, credidit. Quemadmodum Elizabeth teſtata eſt: Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te quæ dicta ſunt tibi à Domino, Lucæ 1.

Voce laudatoria Chriſtus à muliere extollitur.

Hæc Chriſtus dixit, vt Iudæorum incredulitatem obſtinatam damnaret, qui ſibi annuncianti diuinam atque cæleſtem

doctrinā patris æterni, credere nolebāt: cui ſi crediſſent, cõſecuti fuiſſent procul dubio diuinam benedictionē. Magnū enim eſt, Chriſtum concepiſſe, peperiſſe, nutriuiſſe, atque tam diu ipſi conuixiſſe. Sed hæc cùm carnem ſpectent, non ſunt ita magna atque illa, quæ ſpiritualia ſunt. Audire verbum Dei, fide ſuſcipere, corde cuſtodire, ipſi omnem obediētiam præſtare, hæc ſunt quæ beatiorem hominem faciunt. verbum Dei, eſt filius Dei, Ieſus Chriſtus, in quem qui crediderit, ab ipſo deducetur in gloriam, vbi ſedet ad dexteram patris. Dicit enim ſcriptura, Omnis qui credit in eum, non confundetur.

Iſai. 28.
Rom. 10.

EPILOGVS.

1 *Miracula Chriſti benefacta ſunt: Calamitoſum hominem liberat à dæmonio, quod ſurdum erat & mutum: Sic à ſignis & doctrina inducit Iudæos ad cognoſcendam ſuam diuinam omnipotentiam, Opera, inquit alio loco, quæ ego facio in nomine patris mei, teſtimonium perhibent de me.*

2 *Quia in malitia perſeuerabant Iudæi, reſpondet illis: non quidem per ſcripturam quam negabant, ſed ab iis quæ communiter fieri ſolent ſimul clementer reſpondet, docens nos, vt mites ſimus erga inimicos nobis maledicentes, Matth. 5.*

3 *Bellum perpetuum Chriſto cum ſatana. 2. Cor. 6. Et quod beati factores non auditores verbi, Iac. 1.*

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMAE, QVAE EST LAETARE,

EPISTOLA.

Galat. 4.

FRatres, Scriptum eſt enim, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera: Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: Qui autem de libera, per repromiſſionem, quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta: Vnum quidem de monte Sina, in ſeruitutem generans, quæ eſt Agar: (Sina enim mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt Ieruſalem:) & ſeruit cum filiis ſuis. Illa autem, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Scriptum eſt enim, Lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi filij deſertæ magis, quàm eius, quæ habet virum. Nos autem fratres ſecundum Iſaac, promiſſionis filij ſumus: Sed quemadmodum tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc. Sed quid dicit ſcriptura? Eiice ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres, non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ: qua libertate Chriſtus nos liberauit.

IN HAC Epiſtola B. Paulus producit hiſtoriam ex veteri teſtamento, Geneſ. 16. de Abraham atque duabus eius vxoribus, Sara ſcilicet, & Agar. De duobus item filiis, Iſaac & Iſmaële,

Quibus

Quibus oſtendit diſcrimen Euangelij & legis, imò differentiam inter filios promiſsionis, & ſecundum carnem natos. *Diſcrimen legis & euangelij explicatur.*

Per Saram intelligit nouum teſtamentum: per Agar autem intelligit vetus teſtamentum.

Per Iſaac & Iſmaëlem, intelligit duos populos, ſcilicet fideles & Chriſtianos, qui æſtimabantur in ſemine promiſſo, & legales quales erant Iudæi, qui in ſolis operibus legis requieſcebant.

Nam Iſaac interpretatur, riſus, lætitia, gaudium. Iſmaël verò interpretatur cultor, ſiue exauditio Dei. Item quia Iſaac natus fuit ſecundum virtutem Spiritus ſancti, & promiſsionem: Qui ſunt Chriſtiani lætantur quippe in Domino, & ei immortales agunt gratias, quòd dignatus fuerit eos tanta gratia, vt iñ ſemine per Iſaac ſignificato fuerint æſtimati & benedicti. *Iſaac et Iſmaël quid interpretentur. Roma. 9. Gen. 18. & 21*

Iſmaël verò ſecundum ordinem communem naturę, & modum naturalem, ob idque non habuit promiſsionem, nec primogenituræ prærogatiuam: Qui filij autem Iſmaëlis, hi filij ſunt carnis, & ex ſerua nati, atque in ſeruitute ac timore legis viuunt. *Gene. 16.*

Hinc eſt, quòd ſicut olim perſecutus eſt Cain Abelem, Gen. 4. ita hodie hæretici noſtri temporis perſequuntur ſummũ pontificem: & ſicut olim perſecutus eſt Iſmaël Iſaac: ita iſti, Cardinales: & ſicut Eſau Iacob, Gen. 27. ita iſti Epiſcopos: Saul Dauidem. 1. Reg. 18. ita iſti Reges: Achab Eliã. 3. Reg. 17. & 19. ita iſti concionatores catholicos: Herodes Ioannem Baptiſtã, Marc. 6. ita iſti veros prophetas: Cayphas Chriſtum Ioan. 11. ita iſti religioſos, legitimoſque Chriſtianos: Phariſęi & ſcribæ Stephanum, ita iſti veritatis vindices: Simon Magus Petrum, ita iſti veros Chriſti vicarios: Nero Paulum, ita iſti Sacramẽta: & ſicut perſecuti ſunt Tyranni Apoſtolos, ita iſti noſtri homines hęretici perſequuntur traditiones, & alias doctrinas catholicas Apoſtolicæ Eccleſiæ. *Mali ſemper perſequuntur pios & hæretici catholicos. Gene. 21. Act. 7.*

Hi ſunt filij carnis, de quibus ſcriptura: *Eiice ancillam & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ, cum filio liberæ.* *Gene. 21.*

EPILOGVS.

1 *Diſcrimen veteris & noui teſtamenti, & vtriuſque populi, quorũ vnus ſeruituti legis obnoxius, alter per fidem ab onere legis liber.*

2 *Prophetica teſtimonia de Gentium multitudine ad Euangelium Chriſti vndique conuolatura, Iſai. 54. a.*

3 *Inimicitiæ adhærentium, carnali legi, aduerſus eos qui ſpirituale Euangelij legem amplectuntur, & eam libertatem quæ eſt per Chriſtum.*

DOMINICA LAETARE,

EVANGELIVM.

Ioan. 6. *IN illo tempore: Abiit Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis: Et ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur. Subiit ergo Ieſus in montem, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Iudæorum. Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Unde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat, tentans eum: Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: Sed hæc quid ſunt inter tantos? Dicit ergo Ieſus: Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque millia. Accepit ergo Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: Similiter & ex piſcibus quantum volebant. Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerũt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus quæ ſuperfuerunt his qui manducauerant. Illi ergo homines cùm vidiſſent quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant: Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum.*

EVANGELIVM hoc complectitur tria. Primò, traiectionem Chriſti vltra mare Galilææ, & turbam ſequentem, quæ videbat ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabãtur. Quòd autem Chriſtus traiecit cum diſcipulis ſuis mare Galilææ, vult docere, prædicatorem propter doctrinam catholicam, aliquando multas moleſtias & tribulationes ſubiturũ, Matth. 10. Ecce, ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum: hoc potiſsimum liquet in Apoſtolo Paulo. 2. Cor. 11.

Prædicator ob doctrinam catholicã multas moleſtias ſubire debet.

Quòd receſsit ſeorſum in deſertum, vult docere à quotidianis laboribus, puſillum nonnunquam eccleſiaſtæ requieſcendum ac ſecedendum ad ſecretas preces, vnde alacrior ad munus ſuum reuertatur. Nam alternis vti delectabile eſt: & quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Chriſti doctrina ſublimior traditionibus aliiſque humanis dogmatibus.

Quòd autem ſubiit in montem, per hoc vult docere, doctrinam ſuam multò ſublimiorem eſſe omnibus aliis traditionibus Iudaicis, & philoſophicis dogmatibus, & concionatores debere non ſuperbiæ, ſed ſanctitatis montes conſcendere, iuxta illud: Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion. Iſai. 40.

Officiũ prædicatoris eſt auditores in virtutis montem aſſumere.

Quòd etiam Chriſtus aſſumpſit diſcipulos in montẽ, vult innuere hoc eſſe officium prædicatoris, nempe ſuos diſcipulos in montem virtutis ac puritatis aſſumere, & euehere doctrina & exemplo. Ideò alibi dicit, Vos eſtis ſal terræ, & vos eſtis lux mundi, Matth. 5.

Quòd

Quòd tandem tactus eſt miſericordia ſuper illos, vult ex hoc oſtendere, ſe eſſe mitiſsimum atque clementiſsimum Deum, cui fidelium omnium, qui ipſum ſequuntur, afflictiones maximè ſunt curæ. Ipſe enim laborem & dolorem conſiderat. Hic dicit: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Pſalm. 90. vnde orabat regius propheta, Aſpice in me & miſerere mei.

Clementiſſimo Deo fidelium afflictiones maximæ ſunt curæ.
Pſal. 9.
Pſal. 118.

2 Secundò, continet hoc Euangelium exemplum, & ſpecimen humanæ prudentiæ in diſcipulis. Videns vtique Ieſus turbam multam venientem ad ſe, dicit Philippo: *Vnde ememus panes vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Reſpondit Philippus, Ducentorum denariorum panes non ſufficient eis, vt vnuſquiſque modicum quid accipiat:* Alius Euangeliſta habet: Cum iam dies inclinaſſet, acceſſerunt diſcipuli dicentes: Deſertus eſt locus, & nox appropinquat: dimitte illos, vt eant in vicinas villas, & emant ſibi panes. Reſpondit Chriſtus, non eſt neceſſe vt abeant, date vos illis quod manducent, Matth. 14. Sic ſolet humana ratio ſolum carnalia ſpectare, nec longius, quàm ad præſentia proſpicere, quæ niſi adſint, iam deſperat, neſcia quò ſe vertat. Contra ſolet fides. Hæc in ſpem contra ſpem credit, Rom. 4. Philippus igitur in nummos, non in Dei verbum reſpexit. quo ait: Matth. 6. Quærite primũ regnũ Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicietur vobis. Simile Moſi eueniſſe legitur, Num. 11. Cui dictum eſt: Nunquid manus Domini inualida eſt? Nunc videbis vtrum ſermo meus opere compleatur, &c. & cap. 20; Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.

Caro ratioque humana ſolum præſentia & corporalia ſpectat.
Fides in ſpem contra ſpem credit.

Vnus autem ex diſcipulis, Andreas frater Simonis Petri, ait, Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos? Eodem ferè morbo quo Philippus, tenebatur & Andreas, nec enim omnino diffidebat panes poſſe creſcere, ſed ad moderatam portionem, quemadmodum ſub Heliſeo. 20. panes in. 100. homines diuiſi fuerunt. 4. Reg. 4. quare quinque panes ad ſufficientiam multiplicari tantæ multitudinis impoſſibile iudicauit. Aliter Dauid ſenſit, cùm ait: Iunior fui, etenim ſenui, nec vidi iuſtũ derelictũ, nec ſemẽ eius quærens panẽ. Iob. 13. Etiam ſi occiderit me, ſperabo in ipſo. *Reſpondit Ieſus, Facite homines diſcumbere:* & diſcubuerunt viri ſuper gramen, quod in eo loco erat, numero ferè quinque millia, vt ex his intelligamus quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt ei ſubdita eſſe. Rom. 4. Ipſe nanque eſt, qui educit panem de terra, & vino lætificat cor hominis. Continet quoque huius Euangelij ſecunda pars exemplum, & ſpecimen diuinæ clementiæ, bonitatis, & potentiæ in Chriſto. Nam Chriſtus accepit

Pſal. 36.
Specimen clementiæ Dei cui omnia poſſibilia.

Conſolationes & auxilia omnia à Deo petenda.

panes allatos, & ſublatis in cælum oculis, gratias egit. Quo exemplo vult docere, omnes conſolationes & omnia auxilia ab illo nobis eſſe petenda, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione, Pſa. 144. à quo omne datū optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens, Iac. 1. pro quo Deo gratiæ ſunt agendæ, Col. 3. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu facite, gratias agentes. 1. Cor. 10. Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.

In eccleſia catholica non alibi frangitur Chriſtianæ doctrinæ panis.

Deinde fregit panem & piſces, deditque diſcipulis: diſcipuli verò diſtribuerunt diſcumbētibus. Quo exemplo docere vult, quòd non alibi quàm in Eccleſia, Chriſtus frangat panem ſuæ doctrinæ, non in ſynagoga, neque in conuenticulis aut cauernis Lutheranorum, ſed in Eccleſia Catholicorum. Neque omnibus promiſcuè dat panes diſtribuendos & frangendos turbis, ſed diſcipulis tantùm, & eorum ſucceſſoribus. Tales ſunt Epiſcopi Romanæ Eccleſiæ, & eorum coadiutores. Qui nos fecit idoneos miniſtros noui teſtamenti, ait Paulus, Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios verò euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationē corporis Chriſti. Quibus dicitur: Paſcite qui in vobis eſt gregem Domini, &c.

2. Cor. 3. Epheſ. 4. 1. Pet. 5.

Dona à Deo data non ſunt abutenda & profundenda.

Inſuper impletis omnibus, iuſſit Chriſtus eos colligere fragmenta, ne perirent. Quo exemplo docere voluit, vt bonis à Deo datis non turpiter abutamur, dilapidantes & profundentes: ſed frugaliter & moderatè viuentes, quæſita conſeruemus. Non minor eſt virtus, (ait quidam) quàm quærere, parta tueri. Hortamur vos, ait Apoſtolus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, 2. Cor. 6. Reprehenditur quoque, in parabola Euangelica filius prodigus, quòd bona paterna prodigaliter dilapidarit, Luc. 15.

Vſus fructúſq; miraculi eſt cōfirmatio fidei Chriſtianæ.

3 Tertiò complectitur hoc Euangelium vſum & fructum huius miraculi. Confirmat enim & corroborat fidem noſtrā, atque omnium Chriſtianorum. Nam ſi ita potens eſt Deus, vt lilia, roſas, & flores agri veſtiat, & volatilia cæli paſcat: quantò magis credentes, & in vocatione ſua ex charitate per obedientiam ipſum ſequentes, & in eo omnem ſuam ſpem collocantes conſeruabit, paſcet ac eorum curam geret? ſicut promiſit, Mat. 6. Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Hoc ipſum probatur multis ſcripturæ locis & exemplis. Scripturis probatur. Pſal. 33. Non eſt inopia timentibus eum, Pſal. 36. Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panē. Pſal. 54. Iacta ſuper domi-

num curam tuam, & ipſe te enutriet. Matth. 6. Primum quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, &c. 1. Petri 5. Omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Idipſum quoque exemplis probatur. Deus enim ante creationem hominis primum omnia elementa creaturis repleuit, vt haberet homo, quibus ſuſtentari poſſet. Populum in Aegypto maxima annonæ charitate preſſum per Ioſeph conſeruauit: Populum Iſraëliticum in deſerto quadraginta annos manna pauit. Agar in ſolitudine Berſabee aluit. Per coruum & viduam Sarepthanam Eliæ alimenta ſuppeditauit. Samariam per Eliſeum à fame liberauit. 4. Reg. 7. Amplius centum homines, paucis panibus per eundem ſaturauit. 4. Reg. 4. Antonio & Paulo, primis eremitis, panem miſit, cùm per ſexaginta annos Paulo in quotidianum victum, dimidium panem per coruum ſubminiſtraſſet. Hieronym. tom. 1. in vita Pauli. Chriſtus hodie multa millia hominum quinque panibus ſatiauit.

Gen. 1. Gen. 41. Deut. 8. Gen. 21. 3. Reg. 17.

Hæc ſunt populo Chriſtiano ſedulò inculcanda, & frequentius ſuggerenda, vt ea ratione, nimiæ vulgi diffidentiæ medeatur.

Beatus Auguſtinus tom. 4. lib. 2. de ſermone domini in mõte, pulchra docet & tractat, quæ huius Euangelij doctrinam illuſtrant. Idem facit tom. 6. lib. contra Adimantum Manichæum, cap. 4. & 24.

Literalis doctrina huius lectionis Euangelicæ hæc eſt, nempe decere Chriſtianum, non adeò quæſtui inhiandum, vt ſi vel minimum quid de immoderata ſua ſolicitudine in negotiis victum concernentibus remiſerint, mox ſe fame perituros exiſtiment: Vult Chriſtus omnibus validè eſſe perſuaſum, ſe illorum curam libenter ſuſcipere, qui ipſi toto pectore fidunt, qui in ipſum ſpem omnem reiiciunt: ita tamen vt in ſua vocatione ex fide & charitate, quæ ipſis præcepta ſunt, faciant. Neque enim vult nos torpere otio: nec vetat negotiari, & rem familiarẽ tueri ac augere: imò hæc non tantum permittit, verùm etiam imperat & iubet. Ad hoc enim creauit hominem, vt operaretur etiam in paradiſo voluptatis, antequam eſſet peccatum. Gen. 2. In cuius vindictam manducandus eſt iam nobis panis in ſudore vultus noſtri. Affirmat Iob. 5. cap. hominem ad laborem ita eſſe creatum, perinde atque auem ad volatum. Et Gen. 3. legimus emiſſum à Domino Adamum de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus erat. Dauid etiam, Pſal. 127. Beatum eum pronunciat, qui labores manuũ ſuarũ man ducauerit, nec tantũ beatũ, ſed bene ei futurũ. Labores, inquit, manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Paulus etiã illis victũ negat, qui otio torpent: Qui nõ laborat, inquit,

Chriſtus libenter ſuorum curã ſuſcipit modo ipſi fidant.

Gen. 3.

2.Theſ. 3. Epheſ. 4.

inquit, non manducet. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis. Itaque Chriſtus non damnat honeſtos labores, neque licitas negotiationes: ſed inſatiabilem rerum augendarum auiditatem, quia qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationes diaboli, & in eius laqueos. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, & ſollicitudo deſperationis mater.

1.Tim.6.

Metu penuriæ non eſt recedēdum à fide & Chriſti doctrina.

Docet etiam, non eſſe penuriæ metu à Chriſti doctrina, fide, charitate, aut Eccleſia catholica recedendum. Nam ſi aliquando militantes Deo, neceſſariis deſtituamur, ſit inquit Auguſtinus in Pſalm. 54. propter exercitationem* noſtram: nec ſolum id debilitabit propoſitum noſtrum, ſed etiam examinatum probatumque confirmabit: certiſsima enim fide ſtatuemus Deum noſtri curam habiturum, ſi modò obſequentes nos ei præſtiterimus.

* noſtri.

Myſterium Euangelij.

Porrò myſterium præſentis Euangelij eſt, quòd ſicut Chriſtus ſuis Apoſtolis panem illum doctrinæ cæleſtis diſtribuit, vt ipſi ſuis ſucceſſoribus & vniuerſis Chriſtianis ſequuturis frangerent, indeq; animæ Chriſtianorum, cibum & alimentũ diuinum ſuſciperent, vnde vera & cæleſtis vita exordium habet.

Nam ipſe etiam diabolus, qui Eccleſiæ calcaneo ſemper inſidiatur, panes peſtilenti ſectarum fermento corruptos olim dedit, & modò dare non ceſſat, frangendos, & inter filios Dei diſtribuendos. Primi omnium qui hos panes ſuſcipiunt ſunt hæretici. Talis fuit Simon Magus, Menander, Nicolaus, Cherintus, Ebion, Arrius, atque permulti alij, qui per Eccleſiam orientalem, panes illos à diabolo porrectos magna animarum iactura diſtribuerunt. Noſtris etiam temporibus Lutherus, Brentius, Caluinus panes à diabolo acceptos ſuis proponunt, & diſtribuunt. Qui panis aſcendit ab inferis, & illorum animas quaſi preſentiſsimo veneno occidit, in æternum profectò perituras, niſi ſeriò reſipiſcant. Nos autem Catholici habemus panem illius doctrinæ cæleſtis in noſtra catholica eccleſia, quæ eſt Romana. Quòd ſi Brentius & Caluinus voluerint contendere, ſe habere panes doctrinæ cæleſtis, oſtendant à quo Apoſtolo acceperint, oſtendant quis Apoſtolorum cathedras ipſorum conſtituerit, inde ab Apoſtolis ſucceſsionem ſuam oſtendant: quod ſi præſtare non potuerint, deſinant ſeducere principes, & ſimplicium animos. Agnoſcant ſe eſſe adulterantes verbum Dei, & tales, qui in euerſionem veritatis ſe commendent ad omnem conſcientiam hominum. Aliter Paulus. Tertullianus de preſcriptionibus aduerſus hæretic. Cupio, inquit, oſtendant mihi ex qua auctoritate prodierint: ædant origines eccleſiarum ſuarum, euoluant ordinem Epiſcoporũ ſuorum

Lutherus, Brētius, Caluinus panes à diabolo acceptos ſuis proponunt & diſtribuunt.

2.Cor.4.

Sententia notatu digniſsima quæ omnium hæreticorum phalanges facile proſternit.

ſuorum ita per ſucceſsiones ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus, aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerit, habuerit auctorem & anteceſſorem.

EPILOGVS EVANGELII.

1 *Hic duo miracula, vel miraculum in miraculo. Quia quinque millia hominum paucis panibus ſaturat, & quod Domini prouidentia ſuperfuerit non minus quàm 12. cophini, argumenta ineffabilis potentiæ Dei.*

2 *Delitiis dediti, obſeruent abſtinentiam veterum, quorum menſa hordeaceos & viles panes & obſonia paruo conſtantia, paucos piſciculos habuit. Matth. 6. Nolite ſoliciti eſſe, dicentes, Quid manducabimus aut quid bibemus? &c. Rom. 13. Carnis curam ne feceritis in deſideriis, ſed habentes victum & amictum, iis contenti ſimus. 1. Tim. 6.*

3 *Obſerua, cùm Chriſtus paralyticum ſanat, mortuos ſuſcitat, maris tempeſtates ſedat, non agit gratias, ſed ante & poſt cibum agit gratias, vt doceat, quoties edimus vel bibimus vt cum gratiarum actione id fiat. 1. Tim. 4. Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum & orationem. Taxatur hic quoque gula vulgi; quum enim mirabiliora faceret, non admirabantur, & ecce propter cibum dicunt: Hic eſt verè propheta ille iam diu expectatus qui venturus erat in mundum. hinc Ioan. 6. ait: Amen dico vobis: Non quæritis me, quia vidiſtis ſigna, ſed, &c.*

DOMINICA IN PASSIONE,

EPISTOLA.

FRatres, Chriſtus aſsiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id eſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſuum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti? Et ideo noui teſtamenti mediator eſt, vt morte ipſius intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento repromiſsionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. *Heb. 9.*

PAVLVS (qui eſt author Epiſtolæ ad Hebræos) opponit teſtamentum nouum veteri, & inter ſe confert, Iudæorum & Chriſtianorum ſacerdotia, templa, ſacrificia, cæremonias. *Teſtamentum nouum & vetus inter ſe conferuntur.*

Eſt autem vetus teſtamentum, decretum legis Moſaicæ, quod habebat ſacerdotium externum, cultus corporales, tabernaculum, ſiue templum manufactum, ſacrificium externũ, purificationem externam. *Teſtamentum vetus quid ſit.*

Nouum autem teſtamentum, eſt decretum Euangelij, quod habet Sacerdotium internũ, à Chriſto inſtitutum, cultus ſpirituales, *Teſtamentum nouum.*

rituales, templum ſpirituale, ſpirituales victimas & cæremonias, purificationem internam.

Pōtificatus vtriuſque teſtamenti deſcribuntur.

Deſcribit autem vtriuſque teſtamenti Pontificatum, Aaronis & Chriſti. Nam Aaron eiusq; poſteri incedebant redimiti externo cultu auri atque argenti, perficiebant ſacerdotium externo apparatu & cæremoniis, impetrabāt quoque populo Iſraël purificationem externam.

Mediator ac vnicus iuſtificator Chriſtus.

Chriſtus verò ingrediebatur, expolitus diuini ſpiritus ornamentis internis, inardebat diuina charitate, obedientia, & patiētia, obtulit victimā in cruce, & impetrauit ſemel remiſsionē peccatorum. Ioan. 19. Conſummatum eſt. Nam Chriſtus eſt natura vnicus mediator, pro nobis apud Deum. 1. Tim. 2. Ipſe vnicum noſtrum præſidium, auxilium, conſolator, iuſtificator atque ſaluator. 1. Cor. 1.

Deſcribit præterea hic vtriuſque teſtamenti ſacrificium, Moſis nempe & Chriſti. Nam Aaron, eiuſque poſteri, ſemel tantum quotannis ingrediebantur in ſancta ſanctorum, per hircorum & taurorum ſanguinem reconciliantes populum Iſraëliticum: eratque hæc reconciliatio temporanea non æterna.

Apoc. 1. & 1. Pet. 1. Luc. 23.

Chriſtus autem ſemel in cruce ſeſe obtulit, ſemel pro noſtris, ac totius mundi peccatis mortuus eſt, eaque vnica oblatione in cruce, impetrauit nobis æternam iuſtificationem, & ſalutem omnibus credentibus in Chriſtum. Nam ipſe verus eſt, & ſummus noſter pontifex, qui pro nobis apud patrem intercedit, reconciliat, atque omnia bona de nobis loquitur: qui operatus eſt nobis veram iuſtitiam, gratiam, atque remiſsionem peccatorum, per ſuam paſsionem atque mortem, imò per ſanguinem ſuum pretioſiſsimum,: cuius vel minima guttula longè pretioſior eſt, quàm totus mundus. Et vult, vt eius ſacrificij ſemel facti recordemur: cuius conſecrandi ſacerdotibus (quos in cœna inſtituit) poteſtatem dedit, dum dixit, Hoc facite in meā commemorationem.

Templum materiale & ſpirituale.

Deſcribit tertiò, vtriuſque teſtamenti tabernaculum, ſiue templum, Materiale videlicet, & ſpirituale. Nam Moſis tabernaculum fuit diſtinctum in atrium, ſub dio veluti noſtra cœmeteria, ſanctum, veluti templa noſtra, vbi vulgus verſatur. In eo fuit candelabrum, menſa, altare, in eo quotidie offerebant ſacerdotes victimas, ſanctum ſanctorum: veluti chorus noſtri templi, in eo fuit arca teſtamenti: ſupra hanc Cherubin obumbrantia propitiatorium, in hoc pontifex ſummus ſemel quotannis intrabat, oblaturus pro ſe, & populo.

Spirituale templum habet tres partes.

Templum ſpirituale, eſt homo: habetque tres partes, Corpus, quo operatur externè. Animam, qua comprehendit rationi conſentanea. Spiritum, quo comprehendit inuiſibilia: nēpe ver-

verbum Dei, fidem, charitatem, ſpem, ac ſacramenta, &c. De hoc templo loquitur Paulus, Neſcitis quia templum Dei eſtis? *1. Cor. 3.* & 6. cap. An neſcitis quoniã membra veſtra templũ eſt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt? Per quem Spiritum ſemetipſum offerens immaculatum Deo, emundauit conſcientiam noſtram *Rom. 12.* ab operibus mortuis, & ſanctificauit corpora noſtra, ad ſeruiendum Deo viuenti. Nam ipſe verus eſt Samaritanus, qui vulneratum deduxit in diuerſorium, & eum curauit. *Luca 10.* Ipſe verus & bonus paſtor, qui ouem perditam in humeris ſuis reportauit ad ouile Dei in eccleſiam, ibi fonte baptiſmatis abluendam, deinde in vitam æternam. *Luca. 15.*

1 Hinc Paulus colligit, quàm magnum ſit diſcrimen inter teſtamentum vetus, ac nouum. *Diſcrimen inter teſtament ũ vetus & nouũ.* Nam tabernaculum Iudæorum erat terreum, opera & induſtria humana factum: Chriſti verò tabernaculum erat multò excellentius, & ſublimius, non opera hominum, ſed Spiritus ſancti virtute, & diuina æterni Patris induſtria factum. Caro enim Spiritus ſancti virtute fuerat concepta, & propagata. Ideo dicit Paulus: *Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, neque creationis humanæ, ſed diuinæ, &c.* Perfectior erat humanitas Chriſti, quàm tabernaculum Iudæorum, vel Moſis, vel Salomonis. Dicit fuiſſe pontificem futurorum bonorum: ſcilicet iuſtitiæ, fidei, charitatis, pacis, reconciliationis, gratiæ, gloriæ, ſacramentorum verbi Dei, &c. quæ niſi Chriſtus adminiſtraſſet, nunquam eſſemus habituri.

2 Præterea: Chriſtus, inquit, non eſt ingreſſus in ſanguine legalium beſtiarum, nempe: hircorum, vitulorum, arietum & agnorum: *Sanguis hircorum & arietũ non iuſtificat, ſed Chriſti ſanguis.* quorum ſanguis ex virtute propria nec poterat quenquam iuſtificare, neque in æternam gloriam introducere: ſed per ſanguinem paſsionis ſuæ pretioſiſsimum introiuit in patriam cæleſtem: *Rom. 5.* eiuſdemque ſanguinis virtute inæſtimabili omnes fuimus redempti, *1. Pet. 3.* non à iugo Regis alicuius humani, ſed a tyrannide, diaboli, mortis, peccati, & inferni: *Luca 1. & 1. Pet. 1.* De qua Zacharias: Viſitauit nos, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

3 Neque id mirum alicui videbitur. *Nam ſi ſanguis hircorum, vitulorum, arietum & agnorum, & cinis vitulæ aſperſus, & taurorum, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti?* Vult dicere Paulus: Si ſanguis animalium irrationalium poterat carnem mundare, multò magis ſanguis Chriſti poterit iuſtificare animam, quia per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo. Animalia verò non ſe obtulerunt Deo per Spiritum ſanctum, nec erant immaculata, ita vt Chriſtus. Idcirco ſanguis illorum mundabat carnem, non animam.

4 *Ideo noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente, hoc eſt, interueniente, in redemptionem earum prauaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Vt teſtamentũ hominis confirmatur morte, ita & teſtamẽtum vitæ æternæ teſtatoris morte confirmatum eſt.

Teſtamentum vitæ æternæ nobis à Deo promiſſæ in veteri lege, (quando dixit Deus Abraham, Gen. 15. & 22. In ſemine tuo, hoc eſt, in Chriſto, benedicentur, hoc eſt, iuſtificabuntur, & ſaluabuntur omnes gentes,) non poterat alia ratione nobis firmum manere, niſi Chriſtus morte ſua illud roboraſſet. Nam ita eſt comparatum in rebus humanis, vt quando aliquis teſtamento condito, aliquid alicui legat, non prius teſtamẽti legatio rata habeatur, quàm teſtatoris mors intercedat. Ita & nobis contigit, qui quamuis vitæ æternæ, & redemptionis promiſſionem in veteri teſtamento haberemus, non tamen hanc mereri aut obtinere poteramus, niſi teſtatoris mors intercederet, qui expiaret nos à peccatis, & mediator inter Deum, & nos exiſteret. Tantum enim erat peccatum noſtrum, vt aliter non poſſemus redimi, iuſtificari, & ſaluari, niſi vnigenitus Dei pro nobis moreretur.

EPILOGVS.

1 *Chriſtus ſolus verus, & æternus ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ſemper paratus ad ſuum officium, & ad interpellandum pro nobis.*

2 *Chriſtus ſola & vnica oblatio pro peccatis noſtris, qui per ſanguinem ſuum æternam redemptionem, (pro iis qui crediderunt, credunt, & credent) inuenit.*

3 *Anathema ſit, qui aliud ſtatuerit, qui vnum multiplicarit, qui Chriſtum non vult ſaluatorem agnoſcere, & mediatorem noui teſtamenti ſapientiam à Deo, iuſtitiam, ſanctificationem, & redemptionem factum. 1. Corinth. 1.*

EADEM DOMINICA,

EVANGELIVM.

Ioan. 8.

IN illo tempore, Dixit Ieſus turbis Iudæorum, & principibus ſacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum: & vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam: eſt qui quærat & iudicet. Amen, amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi. Nunc cognouimus quia Dæmonium habes: Abraham mortuus eſt, & Prophetæ, & tu dicis: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt, & Prophetæ mortui ſunt? Quem teipſum facis? Reſpondit Ieſus: Si

ego

ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt: eſt pater meus qui glorificat me, quẽ vos dicitis, quia Deus noſter eſt, & non cognouiſtis eum. Ego autem noui eum. Et ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis, mendax: & ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo. Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahã vidiſti? Dixit ei Ieſus: Amen, amen dico vobis, antequã Abraham fieret, ego ſum. Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.

HISTORIA hæc Euangelica complectitur tria. *Apologia Chriſti qua vitam ſuam tuetur.*

1 Primò, Apologiam, qua Chriſtus vitam ſuam tuetur, dicens: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quaſi dicat: Prodeat aliquis veſtrũ, & me delicti aut peccati alicuius conuincat, ſcrutati eſtis vitam & doctrinam, calumniis etiam adhibitis, nihil tamen reprehenſione dignum in veritate inueniſtis, quare igitur mecum in iudicium non deſcenditis?

Hic Chriſtus non rogat, num quis illi aliquid obiicere audeat. (Nam Ioan. 9. dixerunt: Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non obſeruat. Et ibidem: Nos ſcimus, quia homo peccator eſt. Et rurſus, Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus) ſed rogat, poſſit ne quis eum conuincere alicuius criminis eorum, quæ falsò ipſi obiiciebantur. Sic apud Micheam 6. cap. dicitur: Iudicium Deo cum habitatoribus terræ, popule meus, quid feci tibi? Reſponde, &c. *Matth. 11.*

Deinde, in hac Apologia tuetur Chriſtus ſuam doctrinam, dicens: *Si veritatem dico vobis, quare mihi non creditis?* Veritas, quemadmodum & lux, per ſeipſam amabilis eſt, (niſi fortè ægris oculis odioſa ſit) dirigit enim, & maximè veritas diuina, quæ ad Deum nos dirigit. Hinc Dauid precatur. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in mõtem ſanctum tuum, &c. Sicut igitur leuitatis citò credere, ſic magnæ cæcitatis ſignum eſt, veritati non credere, vt teſtatur Eccleſiaſticus cap. 19. Ideo dicit: Si veritatem dico, quare non creditis mihi? q. d. Si durum eſt diabolum habere patrem, & mendacio ludificari, cur mihi & veritatem dicenti, & adoptionem filiorum Dei promittenti, non creditis? Non poteſtis à mendacio liberari, niſi per veritatem, non poteſtis à iugo diaboli eripi, niſi per filium Dei. Offertur ergo vobis vltrò veritas, cur eam ſpernitis? Dixi me eſſe filium Dei, idq́; miraculis comprobaui, quis igitur vos faſcinauit non credere veritati? *Veritas per ſe amabilis vt lux ſanis oculis. Pſal. 42.* *Galat. 3.*

Rationem ponit cur non credant, & veriſſima ratio eſt, cùm dicit: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Quibus verbis oſtendit diſcrimen inter filios Dei, & Satanæ: illi audiunt libenter verbum Dei, hi verò minimè. Signum hîc etiam liqueſcit, prædeſtinatorum, hi libenter audiunt verbum Dei. Pſal. 118. Quàm dulcia faucibus meis elo- *Ratio cur non credant. 1. Ioan. 4. Diſcrimen inter filios Dei & ſatanæ.*

quia tua, ſuper mel ori meo. Et ſignum reprobatorum hi faſtidiunt, negligunt, vel minus reuerenter audiunt. Quia proieciſti
1.Reg.15. ſermonem Domini, proiecit & te Dominus.

Duriſſima itaq; hæc eſt ſententia, quæ nedum Iudæos damnat, ſed etiam plures è Chriſtianis. Si ex Deo non ſunt, qui verbum Dei non audiunt, quis non videt quàm pauci ſint electi, tametſi multi, imò omnes vocati ſint? Attendat igitur quilibet conſcientiam ſuam, quomodo affectus ſit erga verbum Dei, & videbit num ex Deo ſit vel non.

2 Secundò, complectitur hæc hiſtoria, malitiam Phariſæorum. Nam cùm Chriſtus innocentiam ſuam tueretur, calumniabantur Phariſæi Chriſtum, dicentes: *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* ac ſi diceret: tua doctrina, ac miracula ſunt meræ præſtigiæ. Iracundi & præcipitis animi indicium eſt, correptionem manſuetè & leniter illatam non ferre, ſed ilicò in conuitia & contumelias erumpere, & cùm vera non aſsint, quæ rectè obiici poſſent, etiam falſa confingere, quæ alteri impingat: quemadmodum Iudæi hic faciunt. Summa, hoc vno verbo, & doctrinam, & vitam Chriſti calumniantur: doctrinam, cùm dicunt eum dæmonium habere: vitam, cùm dicunt eum Samaritanum.

Malitia Phariſæorum.
Iracundi animi indicium.

Per hoc ſignificatum eſt & vitam, & doctrinam piorum ſemper calumniis impiorum patêre, ne nullam videantur ſuæ incredulitatis cauſam habere. Si enim patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius? Matth. 10. Attende igitur, quantam à peccatoribus ſuſtinuit contradictionem filius Dei, ne tu deficias, ſi tale quid etiam tibi contingat. Heb. 12. Quare igitur, iuxta Paulum in alio loco, non magis iniuriam accipitis, quin magis fraudem patimini?

Vita ſimul ac doctrina piorũ ſemper impiorum calumniis patet.
1.Cor.6.

Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Hic vides verè dixiſſe Petrum. 1. ca. 2. de Chriſto: Cùm malediceretur, non male dicebat, &c. Accepit autem grauem ab æmulis calumniam, & falsò illatam, quam tamen verè in eos retorquere potuiſſet: verùm à contumeliis etiam veris temperauit, & manſuetiſsimè reſpondit, hac dulci verborum manſuetudine, eos ad lenitatem animi reducere curans. reſponſio enim mollis frangit iram. Prouerb. 15. Reſpondet tamen Chriſtus ad crimen doctrinæ ſuæ obiectum, docens nos, quæ ad Deum pertinent, vindicare nos debere cum multa diligentia: quæ verò ad nos ſpectant, probra deſpicere. Contrarium huius facit mundus.

Probat Chriſtus ſe dæmonium non habere, ex eo quòd in omnibus gloriam Dei quærit, & munus à Deo iniunctum in gloriam Dei exequitur. Hæc autem duo contraria ſunt, dæmonium habere, & Deum honorificare. Nam dæmon Deũ glori-

Contraria ſunt dæmonium habere & Deum honorificare.

ficare non poteſt : nec aliud obſtat ei ad ſalutem. Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper, Pſal.

Sed tacitè innuit ipſos potius mille dæmonibus actos, quando dixit : *Vos inhonoraſtis me.* Quis enim tantam impietatem in Iſraël quæſiſſet, vt cùm omnes alij Chriſtum honorificent, ipſi ſoli blaſphement, quem primi omnium ſuſcipere debuerant. Hoc idem verbum etiam in nos competit. Iuſtè enim de nobis conqueri poteſt: Vos inhonoraſtis me. Si pater veſter ego ſum, vbi eſt honor meus? *Malach.1.*

Ego autem non quæro gloriam meam : eſt qui quærat & iudicet. Hoc addit Chriſtus, ne Iudæi putarent ex ambitione eum dixiſſe: Quis me arguet, &c. Item, ne putarent eum iniuriis offenſum, vindictam ab eis petere. Claritatem ab hominibus, inquit, nō accipio. Et in cruce clamauit: Pater dimitte illis. *Ioan.5. Luc.23.*

Eſt qui quærat, & iudicet. Deus pater ſcilicet, qui dedit illi gloriam, honorem & regnum. Dan. 7. Idem etiam Deus iudicabit & vlciſcetur iniurias Chriſto illatas, ſicut ad Moſen dicitur, Qui prophetam hunc, nempe Chriſtum, audire noluerit, ego vltor exiſtā. Hinc Chriſtus in Pſal. 24. orat, Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam, &c. *Amen, amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* Quemadmodū fidelis medicus, etiam ſi contumeliis ab ægroto afficiatur, non tamen ceſſat remedia apponere ſanitatis: ſic Chriſtus hîc, nihil motus tam inſigni contumeliā, perſiſtit in eo quod ceperat, his verbis nimirum oſtendens potentiam Euangelij, nempe quòd virtus ſit Dei ad ſalutem omni credenti. *Deut.18. Simile ductū à medico ad Chriſtum. Rom.1.*

Malitiam Phariſæorum iteratò declarat. Nam cùm Chriſtus doctrinam ſuam, quam Phariſei diabolicam vocant, ſuper omnes cælos ſuſtuliſſet, & potentiſsimam reginam conſtituiſſet, vtpote, quæ ſerpenti caput eſſet contritura : Phariſæi tamē calumniam repetunt, dicentes: *Nunc cognouimus, quia dæmonium habes.* Ex hac Iudæorum reſponſione primò naturam impij, ſicut enim accepta contumelia bonus fit melior, ſic accepta beneficio malus fit peior, neque id abs re. Roman. 8. Diligentibus Deum omnia coöperantur in bonum, etiam ſi mala ſint, odientes autem Deum, omnia etiam bona, in malum vertunt. Deinde, vides hîc, quàm verè dictum ſit: Peruerſi difficilè corriguntur. Eccle. 1. Impij ſemper proficiunt in peius. *Malitia Phariſæorū iterato declaratur. Natura impij & etiam boni delinitur. 2.Tim.2.*

Abraham, inquiunt, mortuus eſt, & prophetæ, & tu dicis: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum? Carnalis homo, nihil niſi carnalia cogitat. Neſcit aliam vitam, quàm carnalem: nec aliam mortem, quàm corporalē. Proinde, quicquid vel de vita, vel de morte audit, tantum carnaliter intelligit. Atqui ſcriptura apertè nobis duplicem mortem inſinuat. Eſt enim mors corporis, quæ eſt ipſius animæ ab ergaſtulo corporis *Carnalis homo nihil niſi carnalia cogitat. Duplex mors, corporis ſcilicet & animæ.*

diſſolutio. Et hæc non tam mors, quàm obdormitio, tranſitus, & migratio ex hac vita, atque depoſitio ſarcinæ corporis dici debet. Et hec omnibus hominibus, tam iuſtis, quàm iniuſtis fit communis, lege naturæ, & ineuitabili neceſsitate. Idcirco nequaquam Chriſtianis formidanda: imò hanc mortem ſancti ſummis votis exoptauerunt, vt Dauid. Et Apoſtolus Philip. 1.

Pſal. 116. *Mors animæ ſummè formidanda.* *Exod 2.* *Matt. 22.*

Altera verò mors eſt animæ, quæ eſt ipſius per culpam à Deo ſeparatio in hac vita, & per gehennam ab eius regno poſt huius vitæ decurſum. Hæc eſt mors ſummè formidanda. De hac morte locutus eſt Chriſtus, cùm dixit: Si quis ſermonem meũ ſeruauerit, mortem non videbit, &c. Nihil igitur ad rem facit, quod inferunt. *Abraham mortuus eſt, &c.* Mortui quidem ſunt ea morte, quæ animam ſeparat à corpore, ſed non ea, quæ animam ſeparat à Deo. Hinc poſt eorum mortem corporalem, dixiſſe legimus Deum: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Non autem eſt Deus mortuorum Deus, ſed viuentium, ait Chriſtus.

Nunquid maior es tu patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt, & prophetæ mortui ſunt? Hoc enim ſtomacho & iracundia interrogant, rati magnum nefas eſſe, ſi ſe illo maiorem diceret, qui tamen & hominibus & angelis maior eſt.

Impietas nemini parcit, vt ſeipſam defendat.

Contumelioſi quoque ſunt in ſuum patrem Abrahamum. Non potuit eſſe maior contumelia, quàm eum mortuum dicere, cui Deus ipſe teſtimonium dat, quod viuat. Verùm impietas, vt ſeipſam defendat, nec Deo, nec ſanctis parcit.

Quem, inquiunt, *teipſum facis?* Cum exprobratione & amaritudine hoc percontatur, quia ſupradicta Chriſti verba per arrogantiam dicta iudicabant: quaſi dicat, Non eſt ferenda æquo animo tua ſuperbia, qua teipſum vſque adeo tumidè effers.

Reſpondit Ieſus, non amplius ad calumniam. Satis enim probauit ſe dæmonium non habere poſſe ex eo, quòd in omnibus patrem glorificabat. Solùm igitur ad hoc reſpondet, quod vltimo loco obiecerant, dicens: *Si meipſum glorifico, gloria mea nihil eſt.* quaſi dicat: Quod me maiorem facio patriarchis, vanum & mendax videri poſſet, ſi ex meipſo inanis gloriæ cupiditate, hoc fingerem: ſed appello ad patrem meum cæleſtem, qui me omnibus creaturis, nedum patriarchis, ante ſecula maiorem genuit: cuius ego ipſiſsimus filius ſum. Is meus pater eſt, qui me glorificat, quem vos dicitis eſſe Deum veſtrum, & tamen non cognouiſtis eum, quia factis negatis, ſicut de filiis Heli malè viuentibus dicit ſcriptura, quòd neſciebant Dominum.

Chriſtus ipſiſſimus Dei filius. *Tit. 1.* *1. Reg. 2.*

Ego autem noui eum, & ſi dixero, quòd non nouerim eum, ero ſimilis vobis, mendax, ſed noui eum, quia filius eiuſdem ſubſtantiæ & naturæ eſt cum patre, & vnigenitum patris verbum. Et ne quis putet eum hoc per arrogantiã dixiſſe, addit: *& ſermonẽ eius ſeruo.*

In

In hoc enim ſcimus quòd Deum cognouimus, ſi mandata eius ſeruamus. *1. Ioan. 5.*

Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt. Quaſi diceret: Impuriſsimi nebulones eſtis, ita corrupti, vt veritatem Dei audire non poſsitis, quem falsò patrem veſtrum prædicatis. Abraham diem meum vidit, non oculis carnis, ſed fidei. Cùm audiret à Deo promiſsionem: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Tum exultans fide, proſpexit è ſemine ſuo naſciturum Meſsiam, hoc eſt, mundi ſaluatorem. Secundò, vidit diem Chriſti, cùm natus ei fuit Iſaac. Is enim fuit diutinę expectationis præmium, veracis Dei teſtimonium, poſteritatis initium, naſcituri Chriſti ſeminarium. Vidit quoque diem Chriſti, cùm in figura ſummæ trinitatis angelos hoſpicio ſuſcepit, quibus ſuſceptis, ſic tribus, quaſi vni locutus eſt. Vidit inſuper diem Chriſti, cùm Iſaac filium ad immolationem duceret. Sicut enim illic Iſaac ligna, ſic Chriſtus crucem portauit. Et ſicut viuus permanſit Iſaac, aries autem immolatus, ſic Chriſtus inquantum Deus, alienus fuit à paſsione, in ſola autem humana natura & carne paſſus eſt. Hunc diem paſſionis Abraham præuidens, gauiſus eſt, eò quòd futurus eſſet in ſalutem mundi. *Abraham vidit diem Chriſti.* *Gen. 15. & 22.* *Gen. 18.* *Gen. 22.*

Hoc igitur verbo ſubindicat eos non veros Abrahæ filios, quia vnde ille gauiſus eſt, inde hi inſaniebant. Deinde colligitur ex hoc verbo Chriſtum etiam antiquis illis prædicatum & oſtenſum fuiſſe, promiſsionibus ſcilicet, & figuris, Chriſtus enim heri & hodie, ipſe & in ſecula. *Heb. 13.*

Poſtremò, malitiam Phariſaicam licet videre ex ſequentibus. Nam cùm Chriſtus blaſphemiæ Phariſæorum occurriſſet, mendaces vocaſſet, atque Abrahæ fidem extuliſſet: Chriſti verba aliò torquent, dicentes: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* Myſterium verborum Chriſti Iudæi nondum intelligentes, rurſus iuxta carnalem ſenſum calumniantur: nihil aliud ſuſpicantes Ieſum eſſe, quàm hominem, nec antè fuiſſe, quàm è Maria naſceretur. Vnde non immeritò illis accommodari poteſt illud Pſal. 113. Oculos habent, & nō videbunt. Oculos quippe mentis habebant, quibus Chriſti diuinitatem vel ex ſignis & mirabilibus perpendere facile potuiſſent: verùm excæcauerat eos malitia eorum. Sapien. 2. Idcirco diuinæ in ipſo naturæ maieſtatem non attendentes, ad ſolam humanæ formæ figuram dirigebant oculos, & illius ætatem annis humanæ durationis metiebantur. Non aduerterunt illud Micheæ 5. Egreſſus eius ab initio, &c. Nec illud Dei patris verbum. Ex vtero ante luciferum genui te, nec illud verbum diuinæ ſapientiæ. Prouerb. 8. Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret, &c. Non enim dixerat Dominus *Myſteriū verborum Chriſti Iudæi non intelligunt.* *Pſal. 119.*

minus, ſe Abraham vidiſſe, ſed Abraham diem ſuum: & hoc in myſterio, non corpore & carnaliter, quemadmodum ipſi calumniabantur.

Chriſtus ſemper eſt. *Reſpondit eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum.* Quaſi dicat: Ego ſum α, & ω, primus & nouiſsimus: qui antequam mundi fundamenta ponerētur, ſum, & in æternum permanebo. Apoc. 1. Loquens de Abrahæ exiſtētia, ipſam per, fieri, ſignificat, quia ſoli creaturæ competit fieri: Deo verò, non competit fieri: ſed eſſe tantū: vnde ſuam exiſtentiam per verbū præſens ſignat. *Exod. 3.* Eo itaque modo ſe manifeſtat, ſicut quondam Moſi: Ego ſum, qui ſum. Hoc igitur verbo Chriſtus manifeſtè ſe Deum eſſe oſtendit. Et quamuis ſciret illos ex hoc offendendos, tamen propter nos ſeipſum manifeſtauit. Summè enim neceſſarium eſt ſcire, quòd Chriſtus ſit Deus, vt ſupra ſatis probatum eſt.

His verbis ita concitati ſunt Iudæi, vt ad lapides proruerint, vt his armati, Chriſtum obruerent? ſed Chriſtus abſcondit ſe. *Matth. 20.* *Luc. 18.* Nondum enim venerat hora eius. Proinde nolebat lapidibus, ſed morte crucis occidi.

Quid ſit Chriſti abſcondere & exire. *Et exiit de templo.* Quod verbum, ſonat diuinæ vindictæ pœnam grauiſsimam, ſi rem exactè expendamus, quid ſit Chriſti (abſcondere) & eius (exire). Hinc enim nihil non malorum ſequutum eſt, nec mirum. Quid enim boni eſſe poteſt, vbi Deus ſe abſcondit? Vnde & per Moſen Deut. 32. communicatus eſt: Abſcondam faciem meam ab eis. Quid enim eſt, quòd Iudæi vſque nunc longè ſunt à ſalute, niſi quòd Ieſus ſe abſcondit ab eis? Et quid eſt, quòd & ciuitas & templum eorum corruit, quoq; & feſta, & ſacrificia eorum ceſſauerunt, niſi quòd Chriſtus exiuit de templo eorum? Sic enim eis prædixit: *Matth. 23.* Relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Obſerua autem quos Chriſtus relinquat, nempe obſtinatos.

Potentia verbi Dei, quod contemptum facit filios ſatanæ & damnationis, cuſtoditū heredes vitæ æternæ. 3 Tertiò, complectitur hiſtoria Euangelica potentiam verbi. Verbum enim Dei contumelia afficere, contemnere, & calumniari, facit filios ſatanæ, & adfert iram Dei, & damnationem: ſed auribus auditum, corde exceptum, per obedientiam fidei & charitatis cuſtoditum, conſolatur peccatores, ne in peccatis animum deſpondeant. Ezechiel. 18. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus, & non magis vt conuertatur & viuat? Exempli gratia, Adam poſt lapſum audiuit verbum illud conſolationis plenum: Inimicitias ponam inter ſemen tuum & ſemē illius, & ipſum conteret caput tuū. Gen. 3. Dauid per prophetam Nathan, cùm mœchatus eſſet cum Bethſabee, vbi pœnituiſſet & fleuiſſet, audiuit: Tranſtulit Dominus peccatum tuum. 2. Reg. 11. & 12. Petrus poſt negationem, ad galli cantum recordatus eſt verbi Chriſti, egreſſus foras fleuit amarè, & poſtea à Chriſto conſolatus eſt. *Matth. 26.* *Luca 22.* *Ioan. 21.*

Fides per charitatem operans per verbum Dei annuntiatum purificat corda, & Spiritum ſanctum impetrat. Act. 15. Gal. 5. Dauid verò dicit: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Idem, dulce eſſe verbum Dei affirmat: Quàm dulcia, inquit, faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo! Verbum quoque Dei æternos facit ſui ſuſceptores & obedientes, Iſa. 40. Verbum Dei manet in æternum. *Pſal. 118.*

Dogmata hoc Euangelio contenta.

1 Primum dogma, eſt: Chriſtum tam immunem à peccato fuiſſe, vt eius vita atque doctrina, neque minima quidem labe aut errore aſperſæ fuerint, quin in vita admiranda & nunquã audita fuit puritas, iuſtitia, & innocentia: in doctrina verò tam abſoluta extitit veritas, vt nulla vmbra vel veſtigium erroris alicuius aut falſitatis inueniri, vel ab ipſis angelis potuiſſet. Vnde quicquid calumniæ, aut detractionis illi obiectum fuit, id ex pura ac ſola Iudæorum maleuolentia exortum fuiſſe credẽdum. Quicquid pœnarum aut ſuppliciorum paſſus eſt, id non ipſius, ſed noſtris peccatis debebatur. Ratio quare ei veritatem dicenti Iudæi nõ crediderint, nõ doctrinæ vitio, aut vitæ prauitati, ſed duræ & fœdę Iudæorum obſtinationi eſt imputandũ. *Chriſtus ab omni peccato immunis.*

2 Secundum dogma: Cuſtodia & obſeruatio mandatorum Dei, teſte Chriſto, præſeruat à morte æterna: non autem ſola fides. *Amen, amen, dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* Brẽtius, Caluinus, & reliqui contra Chriſti doctrinam, contra ipſum Chriſtum docent ſuos ſeductos: Amen, amen dico vobis, ſi quis ſola fide crediderit ſermonibus diuinis, mortem non guſtabit in æternum. Videat dux Vvitembergenſis, & Senatus Geneuenſis, ne ſi tam apertis Chriſti teſtimoniis aduerſari perſeuerent, ipſis contingat, quod per Ezechielem Dominus huiuſcemodi hominibus interminatur, ſcilicet iuxta iniquitatem interrogantis, erit & iniquitas reſpondentis. *Obſeruatio mãdatorum Dei præſeruat à morte æterna, non ſola fides.* *Cap. 14.*

3 Tertium dogma: Chriſtus confirmat ſuam diuinitatem cùm dicit: *Si glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt, eſt pater meus qui glorificat me.*

Probat ſuam æternitatem, cùm dicit: *Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt. Antequam Abraham fieret, ego ſum, &c.*

4 Quartum dogma: Se non tantum ſpontaneè mortuum fuiſſe, verùm illam tuliſſe mortem, quam ipſe ſibi elegit, & nõ illam, quam Iudæi inferre tentabant. Noluit lapidatus, ſed cruci affixus, mori.

5 Quintum dogma, vt etiam cùm reſiſtere poſſumus, iram ſuperbientium humiliter declinemus: vt enim ſubtractione ligni extinguitur ignis, ita abſentia eius in quem quiſpiam *Simile quo probatur ira non reſiſtendum.*

ira inflammatur, ſedatur, & mitigatur efferuentis iræ incendium. Exemplo enim Domini glorioſius eſt iram tacendo fugere, quàm loquendo ſuperare. Vnde & ſapiens Prouerb. 16. Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.

SVMMA.

Confirmantur articuli de diuinitate, inſtruimur & prouocamur ad opera bona, vt quæ ad ſalutem ſint neceſſaria, Iac. 2. & ab hæreſibus Lutheranorum & aliarum peſtium retrahimur.

Eccleſia idcirco hac Dominica paſſionis hoc Euangelium nobis proponit, quo Chriſtus ſuam vitam atque doctrinam tuetur: vt cùm eius excellentem virtutem & admirandam veritatem intellexerimus, ſciamus ipſum non propter ſua, ſed propter noſtra peccata mortuum Rom. 4. & 5. Iſa. 53. indeque in eius amorem, & gratiarum actionem accendamur, & ſciamus non vanā aut falſam doctrinam nos ſequi, ſed veram & certam.

EPILOGVS ALTER.

1 *Diſcrimen electorum & reproborum Dei, & filiorum diaboli: Alteri audiunt verbum Dei, alteri non audiunt.*

2 *Conuitia Iudæorum in Chriſtum, vocantium Samaritanum & dæmoniacum. Alterum repellit: de altero ſe modeſtè defendit, nobis in exemplū, Iudæos diriè increpat.*

3 *Ab Abraham ad Chriſtum 1962. Nam natus eſt anno 41. Auguſti, & ſub Tyberij anno 14. paſſus, Iam Chriſtus Deus declaratur his verbis cùm dicit, Antequam Abraham eſſet, ego ſum.*

DOMINICA PALMARVM,

EPISTOLA.

Philip. 2.

FRatres, Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu. Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

Paulus tria exempla proponit. Primum exemplum.

IN HAC Epiſtola proponit diuus Paulus tria exempla Chriſti, nempe, exemplum charitatis, quo exemplo prouocari & accendi debemus ad veram, fraternam, non fucatam charitatem. Ideo ait: *Hoc ſentite in vobis quod in Chriſto Ieſu*, hoc eſt, is affectus ſit in vobis, qui fuit in Chriſto Ieſu: *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.*

In forma Dei eſſe quid.

Eſt autem in forma Dei eſſe, verè naturalem Dei eſſe filium,

&

& ſeſe aliis exhibere quaſi Deum atque Dominum ad vtilitatem proximi & gloriam Dei. vult dicere: Videte Chriſtiani, qui Chriſtum induiſtis, vt nihil aliud cogitetis vobis placiturum, quàm quod videtis Chriſto placuiſſe: qui pro vobis ſollicitus, veſtra, non quæ ſua ſunt, quæſiuit.

Eſt autem formam ſerui accipere, ſeſe verbis & operibus, reliquis hominibus non aliter oſtendere, ac ſi conditionis ſeruilis eſſet. vult etiam dicere: Videte Chriſtiani, qui Chriſtum induiſtis, vt imis ſenſibus reponatis Chriſtum imitandum. Si enim ille hominum ſeruus factus eſt, quantò magis vos humiliari oportet, qui filij eſtis iræ, mortis, & inferni? *Formam ſerui accipere quid.*

Ad mouendos affectus efficaciſsimam doctrinam continent hæc verba Pauli: quibus omnem faſtum & arrogantiam ſuperborum damnat. Nam ſi verbum illud diuinum, cum in forma Dei eſſet: id eſt, cùm eſſet Deus Patri æterno conſubſtantialis, factus eſt homo: & cùm eſſet Dominus, factus eſt ſeruus, vt hominibus indigentibus, & ſumma rerum ſpiritualium inopia laborantibus, ipſorum miſertus, ſuccurret, quid nobis eſt faciendum? Quis ſuperbiat in proximum, pro quo Chriſtus ſeſe deiecit? Quis timeat in Chriſtianum peccantem, cùm Chriſtus pro peccatoribus ſeſe humiliauerit? & adeò vt cùm in forma Dei eſſet, ſeipſum exinaniuerit, formam ſerui accipiens. Diſcamus igitur & nos, qui non dij, ſed homines: nec domini, ſed ſerui peccati, carnis, & mortis ſumus, proximis calamitate oppreſsis condolere, adeò vt pro ipſis ſuccurrendis humillima quæque officia obire non recuſemus. *Chriſtus noſtri cauſâ humiliatus eſt.*

Sciamus doctrinam hanc Pauli vſqueadeo ad ſalutem eſſe neceſſariam, vt quamuis pro certo ſtatuamus nobis per Chriſtum eſſe remiſſa peccata, ac certiſsima & indubitata fide nos per fidem ſolam in Chriſtum fore ſaluandos: non gloriam, ſed infernales cruciatus conſecuturos, niſi propter Chriſtum proximorum miſeriis afficiamur, & ipſis prout fortuna tulerit, opem feramus. Lucifer, quia formam Dei præſumpſit habere, primus omnium formam diaboli acquiſiuit. Idem Adamo contigit: continget & nobis, niſi Chriſtum imitantes, formam ſeruilem pro fratribus induerimus. *Compatiẽdum proximis.*

2 Deinde proponit hic diuus Paulus exemplum humilitatis Chriſti, cuius exemplo prouocari & accendi debemus ad veram animi humilitatem, mutuam ſubiectionem & proximi miniſterium & auxilium. Ideo ait: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem: mortem autem crucis.* Humiliauit ſe, quãdo formam ſerui accipiens, carnẽ induit, ex virgine natus, in ſtabulo & in præſepio, vt ſeruus peccati, comparuit. Non potuit forma illa diuina magis exinaniri. Humiliauit ſe, quando infra omnes homines ſeſe demiſit, & corpus & animam pro nobis *Exẽplo humilitatis Chriſti prouocamur ad verã animi humilitatem.*

tradidit. Humiliauit ſe quoque, quando Patri factus eſt obediens vſque ad mortem crucis: vt nos liberos faceret.

Quis hæc audiens & intelligens non admiretur tantam Dei benignitatem, & incredibilem bonitatem? Quis non rapiatur in amorem tanti Dei, tam clementis: ac tantam beneficentiam non admiretur? Quis hæc intelligens Chriſti exemplum non imitetur? ac proximo inſeruiat, ac condoleat?

Lapide durior ſit oportet, damnatione quoque dignus, quem illud diuinum exemplum non mouerit. Bernardus: O duri & indurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tamque vehemens amator, qui pro vilibus ſarcinulis tam precioſas merces dedit. Non enim corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine agni, &c. Empti eſtis pretio magno. Idcirco Paulus tanta attentione Philippenſibus hoc Chriſti admirandum humilitatis, benignitatis, & charitatis narrauit factũ, vt ex illo poſſent diſcere, quid ipſi debeant proximis, & præſtare teneantur. Sciat igitur ſe non eſſe Chriſtianum (hoc eſt, ſanguine pretioſiſsimo Chriſti non eſſe vnctum) cuius viſcera, audita tanta Dei humilitate erga homines & peccatores, non commoueantur, & ad humilitatem & condolentiam animus non inclinetur. Oret vnuſquiſque Dominum, vt ſui cordis duritiem molliat, ac in ſuauitatem conuertat. Amen.

1. Pet. 1. *1. Cor. 6.* *Quare Paulus Philippenſibus narrauit Chriſti admirandum humilitatis & charitatis exemplum.*

Poſtremò proponit Apoſtolus exemplum exaltationis Chriſti, quo prouocari & accendi debemus ad timorem, honorem, & gloriam Dei. Et ideo ait: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt nomine Ieſu, omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.*

Exemplũ exaltationis Chriſti.

Narrat Paulus præmium, quod Chriſtus conſecutus eſt ob ſuam humiliationem, obedientiam, mortem, paſsionem, & crucem. Propter hæc omnia, quæ maximi fuerunt meriti apud Patrem, Pater ipſe in ſummam ſublimitatem ipſum extulit, & propter ampliſsima eius merita nomen illud ipſi comparauit. Sic patres illi antiqui tam Græci quàm Latini locum hunc interpretantur: ſequentes in hoc ſcripturam ſacram, quæ Chriſto merita & præmia tribuit. Scripturæ enim ſunt: Apo. 5. Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem & dignitatẽ: Iſaiæ 53. Pro eo quòd laborauit, videbit & ſaturabitur, id eſt, merito laboris quem pertulit Chriſtus, hęc commoda ad ipſum redibunt, nempe, videbit, & ſanabitur. Dauid, De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Conſule beatum Auguſtinum in hunc Pſalmum: & Pſal. 44. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Dilexiſti iuſtitiam, & odi

Deus pater Chriſtum propter eius merita extulit in ſummam ſublimitatem. *Pſal. 109.*

odiſti iniquitatē, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo, &c. Per omnes ferè verſus teſtantur merita Chriſti.

Prophanat ergo hæreticus ſcripturas, qui dum noua audacia, ac præſumptione locum hunc interpretatur, dicit particulam (propter quod) hoc loco conſequentiam & non cauſam ſignificare: vt ſit ſenſus, Chriſtus humiliauit ſe, & factus eſt Patri obediens vſque ad mortem: poſt hanc humiliationem & obedientiam Deus pater ipſum exaltauit. Vidēt tamen, qui veritatis ſunt amatores, quàm ſit detorta expoſitio, & textui contraria: adeò vt nullo modo ſcriptura ipſam admittat. Hoc facit hæreticus, vt Chriſto meritum, & meritorum ampliſsima præmia eripiat. *Hæreticorum eſt audaciter prophanare ſcripturas.*

EPILOGVS.

1 *Chriſtus Ieſus nobis datus eſt in donum & exemplum; donum, qui factus fuit nobis ſapientia à Deo, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio, 1. Corinth. 1. exemplum, vt à ſe diſcamus eſſe mites & humiles corde, Matth. 11.*

2 *Ineffabile conſilium Dei: quia oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam, dari illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Hæc eſt ſtultitia prædicationis, per quam ſaluos facit credentes, 1. Cor. 1.*

3 *Chriſtianus, qui veram & æternam gloriam quærit, hac via qua Chriſtus ingreſſus eſt, & non alia, contendat ingredi: ſi commorimur & conuiuemus; ſi compatimur, & conregnabimus, 2. Timoth. 2.*

DOMINICA PALMARVM, DE TRIVMPHO ET ASINO CHRISTI

EVANGELIVM.

IN illo tempore cùm appropinquaſſent Ieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliueti, tunc Ieſus miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea, ſoluite & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos. Hoc autem factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetā, dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis. Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis Ieſus. Et adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur clamabant, dicentes: Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. *Matth. 21.*

CHRISTVS Rex Iſraël ingreſſurus Ieruſalem, multiplices vocat miniſtros. Vocat pios atque perfectos, Matth. 4. Vocat peccatores eſurientes & ſitientes iuſtitiam, vt eos ſaluet & ſaturet. Ioannis 7. Si quis ſitit, veniat ad me & bibat *Vocat Chriſtus multiplices miniſtros.*

bibat. Et Luc. 19. Venit filius hominis quærere & ſaluare, quod perierat. Vocat puellos & paruulos. Mar. 10. Sinite paruulos venire ad me. talium eſt enim regnum cælorum.

Prou. 8. Vocat quoque inſipiētes & ſtultos: Intelligite paruuli & inſipientes, audite & accipite diſciplinam meam.

Poſtremò vocat aſinos laborantes, & grauiſsimis peccatorum ſarcinis onuſtos: *Matth. 11.* Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis.

Inter hos miniſtros reperiamur oportet, ſi modò cum Chriſto cæleſtem Ieruſalem ingredi velimus. Ornarunt autē triumphum & in Ieruſalem: Primum Apoſtoli, qui adduxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt veſtimenta ſuper eum: Deinde turbæ Iudæorum, quæ ſtrauerūnt veſtimenta ſua & ramos palmarum in viam. poſtremò, pueri Hebræorum laudantes & glorificantes Deum, dicentes: Benedictus qui venit in nomine domini: Benedictum regnum patris noſtri Dauid, Hoſanna in excelſis. Ita & nos oportet ſpiritualiter adeſſe huic ſpectaculo: ſi autem non poſsimus cum Apoſtolis excellentes & perfectiores illas virtutes ſubſternere, nec cum turbis Iudæorū veſtes & ramos oliuarum expromere, neque cum pueris Chriſtum hilari corde laudare, & cum canticis glorificare: demus ſaltem operam, vt Chriſti aſini ſimus, & corpore & anima *Matth. 11.* Chriſto ſeruiamus. Iuxta illud Chriſti: Tollite iugum meum ſuper vos. Et Lucæ 9. Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, iuxta illud quoque Pauli: *1. Cor. 6.* Empti eſtis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Et illud 1. Pet. 2. Chriſtus pro nobis paſſus eſt, vo- *Duo ad ſalutē neceſſaria.* bis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Nam Auguſtino teſte, duo ſunt ad ſalutem neceſſaria: Chriſti paſsio, & noſtra imitâtio.

Et licet ſit durum officium aſini, Chriſtum imitari, quia caro ſemper concupiſcit aduerſus ſpiritum: libēter tamen hoc officio fungi debemus. idq́ue propter quinque cauſas, ſcilicet propter miniſterium, ſecuritatem, vicinitatem, honorem, & neceſsitatem.

Aſini Chriſti officia & felicitas. Aſinus enim multò fidelius inſeruit Chriſto, quàm alij. offert enim corpus ſuum in Chriſti ſeruitutem. Aſinus proinde portans Chriſtū, ſecurius ambulat, quàm ſi ſolus. Nam Chriſtus errantem regit, laſſum flagellat, lapſum verò erigit. Aſinus præterea Chriſto vicinior eſt, inſidet enim aſino, cùm alij ponè curſitēt. Pſal. 33. Iuxta eſt dominus his qui tribulato ſunt corde. Inſuper, omnes honores Chriſto exhibiti, & aſino contigerunt: & beneficiis quæ in Chriſtum conferebantur, aſinus pariter fruebatur. Poſtremò nunquam aſinus eſſet ingreſſus Ieruſalem cum tanto triumpho, niſi Chriſtus ei inſediſſet.

Qui

Qui ergo cupiunt ingredi Ieruſalem, præfatiſque beneficiis frui, neceſſe eſt vt Chriſtum ſeſſorem habeant. Nam eccleſiæ proceres, Epiſcopi, paſtores, confeſſores, concionatores hoc habent miniſterium, vt per ſacramenta & doctrinam, animas quas tanquam aſinas diabolus ligatas tenet, abſoluant, & ad Chriſtum adducant, & per gratiam ſacramenti ipſum iiſdem imp-nant. Diuites quoque cùm ſuppetias ferunt egenis, eleemoſynas dando, hunc etiam fructum percipit aſinus qui Chriſtum portat, hoc eſt, qui mendicus eſt Chriſti, & eius crucem in omni afflictione & calamitate portat.

Lætatur etiam homo, qui quemadmodũ hodie aſinus, ipſe etiam Chriſtum portat. Item pueri & alij ſerui Dei cùm Chriſtum laudant, id quoque aſinus audit. & quamuis calamitoſus ſit & tribulatus, lætatur, & inde ſpem concipit ſe tandem ingreſſurum Ieruſalem, ſicut Dauid dicebat: Lætatus ſum in his *Pſal. 121.* quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus.

Aſinus in ſcripturis multa habet laudis teſtimonia: Deus *Aſinus in ſcriptura multa habet laudis teſtimonia.* cùm iuberet omnia primogenita in ſacrificium occidi, ſoli aſino & homini pepercit, iuſsitque hominẽ pretio, aſinum verò oue redimi. Exo. 3. Abraham aſinis tantum equitaſſe legimus, multoſque patriarchas, reges, & iudices. Gen. 42.

Legimus ex animantibus irrationabilibus aſinam Balaam humana verba protuliſſe, & angelum prius vidiſſe. Sanſon in *Num. 22.* maxilla aſini percuſsit mille Philiſtæos: ſitienſque orauit dominũ, qui aperuit molarem dentem, & egreſſæ ſunt aquæ, quibus refocillatæ ſunt vires eius, Iud. 15. Chriſtus aſinum ſuæ natiuitati intereſſe voluit. Deinde vectus aſino, vt truculentam Herodis tyrannidem effugeret, ex Aegypto in patriam redire *Matth. 2.* voluit: ac tandem in aſino inſidens Ieroſolymam ingredi. In primitiua Eccleſia Chriſtiani ab impiis Aſinarij vocabãtur: & *Aſinarij vocati Chriſtiani in primitiua Eccleſia.* imago Chriſti, Tertulliano teſte, aſininis auriculis in contemptum pingebantur, vt oſtenderent Chriſtianos eſſe aſinos. Hęc auctor in Apologetico. *Imago Chriſti auriculis aſininis depicta.* Legimus aliquot gentilium philoſophos ad Antonium viſendum veniſſe, diſſerendi cauſa, & breui ſermone ab ipſo captos vel cum rubore diſceſsiſſe, vel ad Chriſtum conuerſos fuiſſe, ſic idiotam quendam verſutiſsimũ hæreticum ad veram Chriſti doctrinam conuertiſſe legimus. Aſinus viuit exiguo pabulo, tolerantiſsimus penuriæ, famis, laboris, plagarum patientiſsimus. Eccle. 33. Cibaria & virga & onus aſino: ſimpliciſsimæ eſt diſcretionis, vt ne inter lactucas quidem & carduos diſcernere ſciat.

Innuens ex his teſtimoniis aſinum immundum eſſe animal, indignumque, quod ſuo ſiſteretur conſpectui, quodque nunquam admitteretur, niſi Chriſtũ veheret. Nos ſumus immundi, nunquã veram illam Ieruſalem ingreſſuri, niſi Chriſtũ

Roma.3. geſtemus in corpore noſtro. Omnes peccauerunt, & egent glo-
Pſal.13. ria Dei.

Deinde, quòd Abrahã aſinis tantùm vectus legitur, per hoc innuitur, equum fallacem eſſe ad ſalutem, & talem, qui abun-
Pſal. 32. dantia ſuæ virtutis non ſaluabitur. Præterea innuitur Deũ vſqueadeo peccatum deteſtari, vt prius ſoluat linguam brutorũ, quàm hominis peccatoris obſtinati: & diuinas viſiones beſtiis potius, quàm malis hominibus demonſtrari. Ita aſina vidit an-
Num.22. gelum, Balaam verò, minimè. Inſuper oſtenditur, doctrinam, quæ ex ore Apoſtolorum procedebat, multò fuiſſe dulciorem animabus peccatorũ, quàm omnes fauos dulciſsimos, & quàm aquam illam, quæ vires Sanſonis recreauit. Cant.2. Vox enim tua dulcis. Docet etiam doctrinam apoſtolicam & eius dulcedinem non aliter ex ipſis proceſsiſſe, quàm mel ex maxilla aſini. Sicut Deus illic produxit aquam illam recreandis & reparandis viribus Sanſonis, ita diuinitus infudit doctrinã ſacram buccis Apoſtolorum, pro reparanda & leuanda ſiti, & fatigatione omnium ſitientium.

Chriſtus aſino vectus Ieroſolymam ingreditur: primò, vt prophetiæ reſpondeat: ſecundò, vt omnem noſtram arrogantiã & ſuperbiam retundat, & humilitatem doceat. Matth.11. Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.

EPILOGVS.

1 *Perſonarum acceptio non eſt apud Deum, qui omnes vocat perfectos & imperfectos, omnes cupit ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqua eſt illi cura de omnibus. Sap.6. homines & iumenta ſaluat. Pſal.35.*

2 *Quia homo cùm in honore eſſet, non intellexit, ſed comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, ſi priſtinum honorem aſſequi velit, debet omnem operam impendere vt Chriſti aſinus fiat, et corpore & anima ſe totum in obſequium Chriſti offerat, ſicque dignus fiet qui Chriſtum ſeſſorem habeat.*

3 *Merces aſinorum talium Chriſti, adumbratur multiplex, cuius hæc præcipua eſt, nempe ingreſſus aut introitus ſupernæ Ieruſalem. Ioan.12. Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit, vnde non immeritò aſinus in ſcripturis multa habet laudis teſtimonia.*

DOMINICA PASCHAE,

EPISTOLA.

1.Cor.5. *FRatres, expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azymis ſynceritatis & veritatis.*

IN HAC Epiſtola, Paulus hortatur ad duo, ſcilicet, ad mortificationem carnis, & ad nouam vitam.

1 Primò, oſtendit fructus reſurrectionis Chriſti: qui ſunt duplices. Primus eſt, vt reſurgentes cum Chriſto, carnem mortificemus, & in nouitate vitæ ambulemus. Secundus eſt, vt reſurgentes in nouiſsimo die, clarificato & glorioſo corpore, in æternum cum Chriſto viuamus.

Hinc ait: *Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi*, id eſt, infermentati. Eſt autem fermentum, confectio aquæ atque farinæ: & eſt duplex, Bonum ſcilicet, quod ſignificat doctrinam Euangelij Mat. 13. & Malum quod ſignificat doctrinam Phariſæorum, Sadducæorum, & Herodis. Luc. 8. Sicuti enim fermentum totam farinæ maſſam acidam reddit, ſic falſa doctrina ſynceri verbi intellectum corrumpit. Ideo ait Paulus: Non eſt bona gloriatio veſtra. Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Et in prouerbio dicitur: Morbida facta pecus totum corrumpit ouile.

Fermentum quid & quotuplex.

Eſt autem noua conſperſio, azymus, hoc eſt, panis infermentatus. Et ſignificat hoc loco, nouam regenerationem, baptiſmo (quod eſt fidei ſacramentum) & fide atque charitate comparatam.

Conſperſio noua, quæ.

2 Secundò, hortando nos ad nouam vitam, oſtendit feſtum Paſchæ: quod duplex eſt, Iudæorũ ſcilicet, fuitque agniculus, quem comederunt filij Iſraël feſtinanter, aſſum igni, cum azymis panibus, & lactucis agreſtibus, ſtantes accincti, calceamenta habentes in pedibus, tenentes baculum in manibus: Et Chriſtianorum: eſtque Chriſtus agnus Dei, quem comedere debent Chriſtiani in ardẽti charitatis affectu, vera pœnitentia, puro corde, fide conſtanti, ſynceritate vitæ, & veritate doctrinæ. Quod egregiè admonet Paulus 1. Corinth. 11.

Paſcha feſtum duplex.

Celebremus igitur Paſcha, *non in fermento malitiæ*, verſutiæ atque nequitię: *ſed in azymis ſynceritatis & veritatis*. Poſtquam enim veterem hominem ſacro regenerationis lauacro cum ſuis concupiſcentiis & peccatis exuimus, & Chriſtum induimus: demus operam, ne peccata nobis rurſus prædominentur: ſed in nouitate vitæ ambulemus, & nos omnibus aliis beneuolos exhibeamus in charitate & operibus miſericordiæ, vt exteri poſſint de nobis dicere: Chriſtianorum religio ſancta eſt, & doctrina vera, & naturæ principiis congruentiſsima, illorum Deus ſanctus, bonus, iuſtus, atque omnipotens eſt: vt qui diſcipulos ſuos ſanctos, iuſtos, bonos, ſua diuina potentia & virtute faciat: gratiamque det, qua in illa ſanctitate, vitæque nouitate perſeuerent. Exornabitur hac ratione Eccleſia catholica, optimi nominis præconio, tũ ab infidelibus, hæreticis, atq; impiis, tũ ab his, qui manifeſta vitæ improbitate ſunt cõmaculati.

Paſcha, quomodo et in quẽ finẽ Chriſtiani celebrare debent.

ita,

ita, vt conſortium Chriſtianorum, à quo ſunt digreſsi, libenter accedant. Glorificabitur mirum in modum Deus, & quamplurimi homines indubitatam fidem de articulo reſurrectionis & vitæ æternæ, hac ratione concipient.

Saducæorum confutatio. Hac ſolemnitate, quam Eccleſia Romana celebrat, authoritate Pauli, & Chriſti vera reſurrectione confunduntur Saducæi: qui negabant reſurrectionem, & obſtinatiſsimè interitum animarum docebant. Matth. 22. Lucæ 20. Act. 23. Marc. 12. De huiuſmodi erroribus diffusè dicitur, Eccle. 3. & Sap. 2.

Eccl. 12. Contra quos errores idem Salomon dicit: Reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

Hæreticorũ diuerſorũ peſtes hic confundun tur. Confunduntur quoque hic Caluiniſtæ, qui & Hugoniſtæ, qui negant Chriſtum ianuis clauſis ingreſſum ad ſuos diſcipulos. Si hoc non potuit, non potuit & reſurgere clauſo ſepulchro: quod impium eſt dicere, cùm dicatur Ioan. 20. Venit Ieſus ianuis clauſis. Confunduntur Atheiſtæ: qui in Italia ſerpentes, vt cancer, nihil magis naturæ humanæ, quàm beluinæ tribuunt.

Hæc lectio Apoſtolica docet Chriſtianos variam doctrinã, quæ dogmata Eccleſiæ catholicæ mirificè confirmat.

1 Prima doctrina. Licitum eſt ſuperiori, malum, peruerſumque paſtorem corrigere, & ſi obſtinatus in malo perſeueret, vinculo excommunicationis innodare. Senatus prophanus poteſt in hæreticos animaduertere: nec redolet crudelitatẽ, ſed zelum pietatis. Non fuit crudelis Paulus, qui Corinthium fornicantẽ tradidit ſatanæ: quin ſumma crudelitas eſt, huiuſmodi homines ſæuientes in animas rudes ac ſimplices, tolerare.

Senatus poteſt in hæreticos animaduertere.

Fermentũ vetus quid azymus quid Paſcha quomodo celebrandum. 2 Doctrina. Fermentum vetus, quod nobis inhibetur, eſt vetus malitia carnis, & antiqua noſtra nequitia, qua caro à primis laborat annis. Azymus autem, quo digni reddimur ad celebrandum Paſcha, eſt ſynceritas & veritas.

3 Doctrina. Erat piaculum Iudæis tempore Paſchæ fermentatum manducare. Nos paſcha multò excellẽtius, quàm Iudei, habemus celebrandum: quantò ergo iuſtius eſt, vt ad eius celebrationem relictis veteris hominis indumentis, noui hominis illuſtriſsimis ornamentis nos exornemus: ſi dignè (quod debemus) ipſum celebrare voluerimus.

Chriſtianorum eſt malis operibus renũciare, & bonis intendere. 4 Doctrina. Manifeſtiſsimum dogma religionis catholicæ ex Pauli lectione ſtatuitur, nempe, Chriſtianos, qui ſacro fonti initiati fuerint, malis operibus renunciare debere, ac bonis intendere. Quoniam illa eſt vnica ratio noui hominis per peccatum perditi, iterum recuperandi.

Docemur ſummatim, neminem poſſe ſacroſanctũ hoc feſtũ dignè celebrare, qui fermento malitiæ adhuc inquinatus fuerit.

EPI-

EPILOGVS.

1 *Chriſtianiſinus eſt, vt in nouitate vitæ ambulemus, à peccati fermento prorſus immunes. Nam per baptiſmum azymi euadimus.*

2 *Iudæi Paſcha in vmbra, nos in veritate & luce celebramus. Agnum illi brutum immolabant, Agnus noſter Chriſtus. Agni ſanguine poſtes ſignabantur, ſanguine Chriſti frontes noſtræ ſignantur.*

3 *Indies Paſcha celebratur, quãdo purè à Chriſtianis viuitur, non fermento veteris malitiæ & nequitiæ, ſed libis ac panibus nullo fermento fermentatis, hoc eſt, moribus innoxiis, ſimplicibus atque ſynceris.*

DOMINICA PASCHAE DE RESVRRECTIONE DOMINI, EVANGELIVM.

IN illo tempore, Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome, emerũt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Et valde manè vna ſabbathorũ veniunt ad monumentum orto iam ſole, & dicebant ad inuicem, Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes, viderunt reuolutum lapidem: erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumẽtum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt. Qui dicit illis, Nolite expaueſcere. Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum: ſurrexit, non eſt hic: ecce locus vbi poſuerunt eum. Sed ite; dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis. *Marc.16.*

HOc Euangelium de Dominica reſurrectione, complectitur tria. *Hiſtoria reſurrectionis Chriſti.*

1 Primò, hiſtoriã reſurrectionis Chriſti, quæ oſtendit, quando Chriſtus reſurrexit, tertia videlicet die à paſsione ſua, quẽadmodum ſuis Apoſtolis prædixerat. Matth. 20. Mar. 10. Luc. 18. dicens: Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur, & tertia die reſurget. Quod factum eſt ſummo diluculo, ſabbathorum prima: hoc eſt, die dominica, quam ethnici diem ſolis vocare ſolent: cuſtodibus adhuc iuxta ſepulchrum iacentibus. *Matth.28.*

Deinde, oſtendit vbi reſurrexit Chriſtus, in horto ſcilicet, ex monumento nouo in petram exciſo: in quod à Ioſeph & Nicodemo poſitus fuerat. Ioã. 19. Sicut enim in horto paradiſi ſalus noſtra amiſſa fuit, (Ge. 3.) ſic in horto Ieroſolymitano ſalus noſtra reparata eſt. Et quod primus Adã in horto perdidit cadendo, id in horto ſecundus Adam reparauit reſurgendo. *Salus in horto amiſſa, in horto iterum reparata.*

Præterea, oſtendit quo pacto reſurrexit, Dominica nempe virtute & potentia. *Nam terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim domini deſcendit de cælo, & reuoluit lapidem ab oſtio monumenti;* quod denotat verbi Dei potentiam: quod cùm prædicatur, totum orbem commouet. Act. 2. Proinde denotat angelos eſſe adminiſtratorios ſpiritus, emiſſos propter eos, qui hæredes ſunt futuri vitæ æternæ. *Dominica virtute Chriſtus reſurrexit.* *Hebr.1.*

Angeli ſpecies denotat legis terrorē et euangelij conſolationem.

Erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius candidum ſicut nix: quod denotat terrorem legis, & Euangelij gaudium atque conſolationem. Et hic ordo ſeruandus eſt, vt primò prædicetur lex atque pænitentia, deinde Euāgelium, annuncians remiſsionem peccatorum, & gratiam ſpiritus ſancti. Sic Chriſtus: Pœnitemini & credite Euangelio. Marc. 1. In fulgure terror eſt, in candore blandimentum lenitatis.

Vt cuſtodes cōſternati ſunt haud ſecus & heretici tandē conſternabuntur.

Præ timore exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Raba. Timoris anxietate cuſtodes ſunt exterriti, qui amoris fiduciam non habuerunt, & facti ſunt velut mortui, qui reſurrectionis veritatem credere noluerunt.: denotat hoc verbum hæreticos, ſchiſmaticos, ventriloquos: quales ſunt noſtri temporis hæretici, in eccleſia catholica & Apoſtolica, (quæ eſt ſola Romana) fore conſternatos. Sicuti olim conſternatos legimus, Arrium, Neſtorium, Sabellium, quorum hi ſunt filij: Magna eſt veritas, & fortior præ omnibus.

3. Eſdr. 4.

Chriſtus quo corpore reſurrexerit.

Inſuper, oſtendit quo corpore Chriſtus reſurrexit, puta glorificato. In cuius ſignum habuit angelus, qui mulieribus viſus eſt, totaliter formam, & Chriſti, & noſtræ reſurrectionis gloriam deſignantem: quam mortem timentibus oſtēdere voluit, nempe in veſte claritatem, in ætate incorruptionem, in fulgure ſubtilitatem & agilitatē. Neſcit futura reſurrectio ætatem ſenectutis: vbi mori & naſci neſcitur, ibi ætas nec adiungit detrimentum, nec indiget incrementis. Epheſ. 4. Donec occurramus in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Tunc quoque fulgebūt iuſti, ſicut ſol, in regno patris eorum.

Matth. 13.

Credentes nouam vitā per Chriſti reſurrectionem conſequuntur.

Quintò, oſtendit hæc hiſtoria, quare Chriſtus reſurrexit: nempe, vt per Chriſti reſurrectionem omnes in ipſum credentes vitam nouam conſequerētur. Etenim Chriſti natiuitas, paſſio, & mors parū profuiſſent, ſi non à morte reſurrexiſſet. Nam ſua morte vitam reduxit. Roma. 6. 1. Cor. 15. Salutem reparauit. Roma. 4. Reſurrexit propter iuſtificationem noſtrā. Mortem noſtram deſtruxit, Rom. 6. Infernū ſpoliauit. Oſe. 13. Cælos aperuit. Hebr. 9. Vicit ſatanam, infernum & mortem, ac tandem triumphauit. Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.

Rom. 6.

Poſtremò, oſtendit, quæ ſint perſonæ, quarum ſit mentio in hiſtoria reſurrectionis dominicæ, Chriſtus cum ſuis Apoſtolis ac diſcipulis, ſanctæ mulieres, matronæ piæ & credētes, ſcilicet, Maria Magdalene; Maria Iacobi, minoris dicti mater; Salome, mater filiorū Zebedæi; Ioanna vxor Chuſæ, procuratoris Herodis. Luc. 8. & Suſanna. Ibidem hæ parant aromata: veniunt ſummo diluculo, vngentes corpus Ieſu: expaueſcunt ad aſpectum angelorum: conſolantur tandem à Chriſto.

Ex

Ex his perſonis fuerunt etiam angeli, conſolantes mulieres: adfuere quoque cuſtodes ſepulchri: hi venerunt in ſanctam ciuitatem, nunciantes principibus ſacerdotum Chriſti reſurrectionem: & Principes ſacerdotum, qui habito concilio, pecuniam copioſam dederunt cuſtodibus, dicentes: Dicite, quòd diſcipuli eius nocte venerint, & furati ſint eum vobis dormientibus: at illi accepta pecunia fecerunt ſicut erant edocti. Mat. 28.

Principes ſacerdotum militibus Chriſti reſurrectionem nunciantibus eandem pecunia obnubilare contendunt.

2 Secundò, complectitur præſens Euangelium vſum reſurrectionis, vt ſcilicet, reſpiciamus Chriſti imaginem mœſtam, in cruce inter latrones pendentem, & morientem: ita, vt cogitemus, propter noſtra peccata Chriſtum his omnibus contumeliis affectum fuiſſe: imò nos eos fuiſſe, qui Chriſtum excarnificarunt, conſpuerunt, flagellarunt, coronarũt, & crucifixerũt. Iſa. 43. Seruire me feciſti in peccatis tuis, & laborem mihi præbuiſti in iniquitatibus tuis. Idem 53. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, &c.

Deinde etiam reſpiciamus Chriſti imaginem iucundam & lætam, à mortuis reſurgentẽ: vt credamus Chriſtũ ſua morte, & reſurrectione ſatanam viciſſe, mortẽ deſtruxiſſe, peccata deleuiſſe, infernũ ſpoliaſſe, cælum aperuiſſe. Ex quibus lætiſsimũ animũ concipiunt Chriſtiani, ac conſolationẽ inenarrabilem: pollicenturque ſibi omne bonum à Deo, tanquã patre clementiſsimo, & à Chriſto, veluti fratre dilectiſsimo: modò hoc ſentiamus, quod & Chriſtus Ieſus, nẽpe dolores, verbera, paſsiones, obedientiam, ac denique crucem & mortem, noſtri cauſa ſubierit. Paulus: Quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Et 8. cap. Si compatimur, & conregnabimus.

Vſus reſurrectionis Chriſti.

Rom. 6.

3 Tertiò, complectitur hodiernum Euangelium fructum reſurrectionis Chriſti: nempe, ſatanam debellatum atque victũ, portas inferni expugnatas atque deuaſtatas, mortem trucidatam atque deuoratam, peccata omnia deleta, cælum apertum, vitæ æternæ bonis operibus promerendę omnibus Chriſtianis factam facultatem. Hæc ſumma conſolatio eſt nobis Chriſtianis, viuentibus aut morituris. Nam Chriſtus reſurrexit atque dominus omnium factus, vt caput, ſatanam oppreſsit, mortem extinxit, peccata deleuit, infernum expugnauit. Et nos, vt membra, per Chriſti gratiam ſi voluerimus, dominabimur ſatanæ, morti, peccato, & inferno, & reſurgemus cum illo, ſimul regnaturi in vita æterna. Amen, Oſee 6. Viuificabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius, vide & 15. cap. prioris Epiſt. ad Cor.

Reſurrectionis Domini fructus.

EPILOGVS.

1 *Mirum in modum per Chriſti reſurrectionem confirmatur articulus fidei noſtræ, de carnis reſurrectione: vide Apoſtolum 1. Corin. 15. & 1. Theſ. 4.*

Articulus reſurrectionis confirmatur.

Ioſeph patriarchæ Gen.39. Sanſonis Iudic. 16. & Ionæ prophetæ eiuſdem cap.2. Hiſtoria pulcherrimè præſignauerunt Chriſti reſurrectionem: quas poterit peritus concionator hodierno Euangelio accommodare.

2 *Mulierum fortitudo, pius erga Chriſtum amor, liberalitas in pecuniis, & animus vel mortis pericula contemnens hic declarantur. Vnde, iuxta Chryſoſt. ipſis viris ab illis petendum exemplum. Fortis eſt vt mors dilectio. Cant.8. nunquam deſtituitur. Nam dominum ſequebantur prædicantẽ, miniſtrantes ei de facultatibus ſuis, Luc.8. aſſiſtebant morienti. Ioan.19. & vngere quærebant mortuũ. Imitemur has mulieres, vt nec deſeramus in tentationibus dominum.*

Deus terribilis & blandus. 3 *Teſtis reſurrectionis in fulgore & candore apparet, quia Deus terribilis & blandus. Terribilis eſt ad damnandum reprobos, & benignus ac blandus ad conſolãdum iuſtos. Quàm bonus Iſraël Deus iis, qui recto ſunt corde. Pſal. 71. Vultus autem domini ſuper facientes mala. Pſal.33.*

4 *Vox verè Euangelica, imò angelica: Nolite timere. Nam, quia Chriſtus reſurrexit à mortuis, hinc ſpem viuam habemus, & fugit omnis metus. Mors enim non eſt mors: & Chriſtus per gratiam Dei pro omnibus guſtauit mortem. Hebr.2. Oſe.13.*

5 *Mulieribus dicitur, vt annuncient Apoſtolis, vt, quia per mulierem mors annunciata eſt, ita & per mulierem vita reſurgens. Hierony.*

6 *Olim dicebatur: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Iam crucis ignominia, quæ ante Chriſti mortem inter omnia ſupplicia maxima fuit, verſa eſt in gloriam cæli & terræ. Verum hoc eſſe, ex verbis angeli accipi poteſt. Crucifixum Apoſtolus vnicè prædicauit, Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam, nobis credentibus veram Dei virtutem, & Dei ſapientiam. 1.Cor.1. Hoc ſignum, Thau, quo tuti reddimur ab inimicis noſtris. Ezech.9.*

SECVNDA FERIA PASCHAE,

EVANGELIVM.

Luc.24. IN *illo tempore, Duo ex diſcipulis Ieſu ibant ipſa die in caſtellum quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem, nomine Emmaus, & ipſi loquebantur ad inuicem de his omnibus, quæ acciderant. Et factum eſt dum fabularentur, & ſecum quærerent, & ipſe Ieſus appropinquans, ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoſcerent. Et ait ad illos: Qui ſunt hi ſermones quos confertis adinuicem ambulantes, & eſtis triſtes? & reſpondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognouiſti ea quæ facta ſunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt de Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo: & quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes et principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redẽpturus Iſraël. Et nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex noſtris, terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes ſe etiam viſionem angelorum vidiſſe, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum, & ita inuenerunt ſicut mulieres dixerunt, ipſum verò non inuenerunt. Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ: Nónne hæc oportuit pati Chriſtum,*

ſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens à Moyſe & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. Et appropinquauerunt caſtello quò ibant, & ipſe ſe finxit longiùs ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Et intrauit cum illis: & factum eſt dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipſe euanuit ex oculis eorum, & dixerunt ad inuicem: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis ſcripturas? ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Ieruſalem, & inuenerunt congregatos vndecim & eos qui cum illis erant, dicẽtes: quod ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

IN HAC hiſtoria notentur tria.

Quoties Chriſtus apparuit poſt reſurrectionem.

1 Primò notandum quoties Chriſtus apparuerit poſt reſurrectionem ſuam, nempe decies. Quinquies eodem die reſurrectionis. Marci vltimo, Mulieribus: Matth. vlt. Petro: Luc. 24. Duobus euntibus in Emaus: Luc. vltimo: & vndecim circa veſperam. Ioã. 20. Quinquies apparuit poſt reſurrectionis diem, octauo die, præſente Thoma. Ioã. 20. Ad mare Tyberiadis. Ioan. 21. In Galilæa. Ioan. vltimo, Iacobo. 1. Cor. 15. Bethaniæ, ipſo aſcenſionis.

Marci vlti. Luc. 24.

Articulus reſurrectionis creditu difficillimus.

Apparuit autem tam ſæpe, tam variis modis, vt ipſos de reſurrectione ſua certos redderet, vt ſermonibus, quos antea dixerat, crederent. Act. 1. & vt diſcipulis ſuis articulum de reſurrectione, inter multos verò difficillimum bene inculcaret. 1. Cor. 15. Act. 17.

Chriſtus cur duobus diſcipulis apparuerit in via.

2 Secundò, hic notandum eſt, cur his duobus diſcipulis apparuerit, in via, vt ſcilicet, oſtendat ſibi bene placere colloquia de Deo, & eius mandatis, ac paſſione. Matth. 18. Vbi duo vel tres, &c. Quemadmodum ſatanas adeſſe gaudet his, qui miſcent confabulationes bonorum morum corruptrices, imò ſpiritus mendax eſt in ore omnium malorum. 3. Reg. 22. ad decipiendum, ita adeſſe gaudet de ſe confabulantibus Dominus Ieſus. Qui ergo promiſerat ſeſe futurũ in medio, vbicunque duos comperiſſet de ſe colloquentes, etiam iuxta corporis pręſentiã; tum exhibuit: quod iuxta ſpiritum nunquam facere deſinit. Si quis ergo loquitur, quaſi ſermones Dei. 1. Pet. 4. Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.

Epheſ. 4.

Cur Chriſtus in forma peregrini apparuerit.

Deinde notandum, cur his duobus apparuerit in forma peregrini: vt, ſcilicet, oſtendat, eos adhuc carnaliter de eius regno ſentire, & propterea quaſi peregrinos eſſe. Beda. Peregrinum putabant, cuius vultum non agnoſcebãt: ſed reuera peregrinus erat eis, à quorum naturæ fragilitate, percepta iam reſurrectionis gloria longè diſtabat, & à quorum fide, vtpote reſurrectionis eius neſcia, manebat extraneus.

Hic itaque obſeruabimus quid factum ſit primum in itinere, vbi Chriſtus interrogat, quid triſtes colloquantur, dicens: *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis? &c.* Interrogat, vt inſtruẽdi occaſionem accipiat. Vnuſquiſque etiam ponat ori ſuo cuſtodiã, vt non delinquat in lingua ſua. Nam exactè in iudicio exquiret, qui fuerint ſermones noſtri: dico vobis, quoniã omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Mat. 12. Quid de blaſphemiis, turpiloquiis, & ſcandalis fiet?

Pſal. 38. & 140.

Cleophas reſpondet: *Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & hæc ignoras?* In ſpecie peregrini apparuit, qui iam peregrinationem ſuam per mortem abſoluerat. Fuit quippe in hoc mũdo peregrinus. Ioan. 1. In propria venit, & ſui eum non receperunt: docens nos in hac miſeriarum valle peregrinos eſſe. Hinc Dauid Pſal. 38. Aduena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut omnes patres mei. 1. Para. 29. Peregrini ſumus coram te & aduenæ, ſicut omnes patres noſtri: dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram. Hebr. 13. Non habemus hîc manentem ciuitatẽ, ſed futurã inquirimus. 2. Cor. 5. Nã dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Cum peregrinis ergo onera deponamus. Obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos, &c. iter rectum conſeruemus, aliena negotia minimè attendamus, ad promiſſam patriam feſtinemus. Hebr. 4. Feſtinemus ingredi in illam requiem. Col. 3. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedẽs: quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram.

Chriſtus in vita peregrinus ſicut & nos omnes peregrini ſumus.

1. Pet. 2.

Quibus ille dixit: *Quæ?* Dominus quaſi diſcere volẽs, cùm docturus veniſſet, interrogat. Illi ſimpliciter, velut hoſpiti & rerũ geſtarũ ignaro, ſummã negocij exponũt, ingenuè profitentes, quàm nihil adhuc ſentirẽt de Ieſu dignũ ipſius dignitate: quanquam de reſurrectione ſpem penè omnem abiecerãt. Dixerunt ergo: *De Ieſu Nazareno, viro potenti in opere & ſermone coram Deo & omni populo, &c.* Laudant, & poſtea conquerũtur illum nondũ apparuiſſe: licet mulieres viſiones quaſdam viderant. Itaque ſic produnt ſuã incredulitatẽ. Errabant autem temporalẽ, non ſpiritualem redemptionem intelligentes, cùm Dauid dixerit, Pſal. 129. ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius.

Interrogat dominus vt inſtruat.

Chriſtus illos increpat propter tardam fidem, veluti doctior quiſpiam, obiurgat illorum tarditatem. Cur iſta nunc noua vobis videntur, poſteaquam geſta ſunt, cùm hæc omnia tot retro ſeculis gerenda prædixerint prophetarum oracula? 1. Pet. 1. De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, ſcrutantes in quod vel quale tẽpus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, prænuncians eas quę in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias. Nõne

Fidei tarditas obiurgatur.

ergo

ergo docent hoc afflatu cæleſti proditæ ſcripturæ, ſic fuiſſe viſum conſilio diuino, vt Chriſtus hæc omnia pateretur, quæ paſſus eſt, & ſic noua ratione per mortem repararet vitã, per crucem aſſereret regnũ, per ignominiã intraret in ſuã gloriam?

Poſtea hæc ita fieri oportuiſſe ex prophetis, declarat, & oſtendit prophetas hæc omnia prædixiſſe. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, Act. 10. De conceptione, nempe Iſa. 7. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. De familia. 2. Regum. 7. Cùm completi fuerint dies tui. &c. ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, &c. De loco natiuitatis. Micheæ. 5. Et tu Bethlehem Ephrata, nequaquam minima es, ex te enim exibit dux, &c. De tempore natiuitatis, Gen. 49. Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, &c. De nomine promiſsi Meſsię. Iſa. 7. Vocabitur nomen eius Emanuel. De ſubiectione ſub legem. Iſa. 33. & 53. Dominus iudex noſter, ipſe ſaluabit nos, verè languores noſtros ipſe tulit, &c. De Magis, Iſa. 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo. &c. De fuga in Aegyptum Oſe. 11. Ex Aegypto vocaui filium meum: De innocentium interfectione, Iere. 31. Vox in Rama audita eſt, ploratus & vlulatus multus, &c. De concionibus eius, Iſa. 61. Spiritus domini ſuper me, ad annunciandum manſuetis miſit me, &c. De miraculis, Iſa. 35. Deus ipſe veniet & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, &c. De Iohanne præcurſore, Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem tuam. *Malach. 3.* De contemptu apud proprium populum: Cum ſceleratis reputatus eſt. *Iſai. 53.* De ingreſſu triumphali in Ieruſalem. Ecce rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum ſubiugalem. &c. *Zachar. 9.* De traditione Iudæ: Homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. *Pſal. 40.* De inſtitutione ſacramenti euchariſtiæ, & aliorum ſacramentorum, in cruce. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomẽ meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus. *Malach. 1.* De illuſione: Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. *Pſal. 68.* De ludo militum. Pſal. 21. Diuiſerũt ſibi veſtimẽta mea, & ſuper veſtẽ meã miſerunt ſortẽ. De exclamatione in cruce, Ibidẽ. Deus, Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti? De morte: Poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus: *Daniel. 6.* De ſepultura: Et erit ſepulchrũ eius glorioſum. *Iſai. 11.* De reſurrectione, Ero mors tua, ô mors: & morſus tuus ero inferne. *Oſee 13.* De Aſcenſione ad dexteram patris, nempe Pſal. 46. Aſcendit Deus in iubilo, Dominus in voce tubæ. Hæc omnia, inquit, prædicta ſunt à prophetis, deſignata figuris Moſaicæ legis, magna ex parte

Omnia à prophetis prædicta ac prophetata & etiam deſignata figuris.

Emanuel nomen promiſſi Meſſiæ.

præſtita: nec oportet addubitare, quin omnia ſuis temporibus ſint exhibenda.

Obſeruandum in Emaus quid factum ſit. Deinde, hic obſeruabimus, quid factum ſit in Emaus. Cùm autem ſic familiariter conferentes appropinquarent caſtello, quò tendebant, Ieſus quo magis accenderet illorum deſiderium, præ ſe ferebat, quaſi nollet in Emaunte commorari, eis talem ſe exhibens foris, qualis erat in ipſorum mente. Diſcipuli verò, quoniam auelli non poterant à tam facundo comite, qui eis pro vehiculo in via fuerat, precibus improbis compellunt ſecum intrare.

Deſideriũ audiendi de Chriſto ſignum filiorum Dei. Hebr. 13. Vbi videmus deſiderium, diſcipulorum de Chriſto plura audiendi, alias peregrinum ingredi non vrſiſſent, quod euidens ſignum fuit filiorum Dei. Nam Ioan. 8. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Hoc exemplo etiam colligimus, quòd peregrini, nõ ſolum inuitandi, ſed & cogendi ſunt ad hoſpitium. Sic Abraham tres angelos coëgit. Gen. 18. Iſa. 58. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam. 1. Pet. 4. hoſpitales inuicẽ, Matt. 25. hoſpes erã & collegiſtis me &c.

Dominus itaque morem illis gerens, intrauit cum eis. Neque enim temere in ſcripturis loquitur. Prouerb. 8, Delitiæ meę eſſe cum filiis hominum, & Apocal. 3. Ecce ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem meã, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Sic iam pulſauerat ad oſtia cordium iſtorum diſcipulorũ: ſic, inquam, pulſauerat, vt corda eorum omninò inardeſcerent. Aperuerunt ergo ei, vocaueruntque eum, & ingreditur cum illis.

Dum recumberet, humiliter tenuit modum conſuetum, quo eum agnoſcerent, agit gratias patri, benedicit ac frangit panem, deinde ſuis manibus fractum, partitur in diſcipulos: vbi videmus, cor Chriſti paternũ. non vult ſuos diutius detineri, quare, velut expergefacti, cęperunt cogitare de Ieſu. Dumque ſubitus ſtupor corripit illorum animos, Ieſus euanuit: Corpus enim glorioſum vbicunque vult, protinus erit, vt dicit Auguſt.

Vis & vſus ſcripturæ. Aperti ſunt oculi eorum, & agnoſcunt Chriſtum, dicentes; *Nonne cor noſtrum ardens erat? &c.* Vbi videmus vim & vſum ſacræ ſcripturæ. Ex audito quippe ſermone inardeſcit animus, torporis frigus diſcedit, fit mens in ſuperno deſiderio anxia, à concupiſcentiis terrenis aliena, audire ei libet præcepta cæleſtia, & quot mandatis inſtruitur, quaſi tot facibus inflammatur. Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petras? Docet quoque ſacra ſcriptura omnia quæ de Chriſto ſunt dicta, nempe de iis, quæ ſupra ſatis diffuſè ſunt enarrata. *Hiere. 23.*

Quid nobis ex hoc Euangelio ſit diſcendum. 3 Tertiò, notandum in hac hiſtoria, quid nobis ex hoc Euangelio ſit diſcendum, nempe, Primò quòd in hoc mũdo nõ tantũ præ-

præſentia ſint reſpicienda, ſed potius de futuris & promiſsis Dei auxiliis beneſperandum. Quod ſi non fecerimus, metu & anxietate obruemur. Simul igitur hic nobis quaſi in pictura quadam propoſita, principium, progreſſus, & finis tandem vitæ Chriſtianæ.

Secundò, diſcendum hic, quòd doctrina Euangelica, non tantùm corda contriſtat, per paſsionem & mortem Chriſti: verum etiam per reſurrectionem conſolatur, & in ſuum amorem accendit, ita, vt tandem Chriſtus ex fractione panis diuini agnoſci poſsit. Vnde docentur prædicatores ſuis concionibus ita debere populum inſtituere, vt primum de morte Chriſti, & eius paſsione ad ipſos luculenter & copioſè dicant: idque tanto ardore, vt fluctuantes confirment, & tardos arguant. Neque hic ſubſiſtant, quin mox populum ita contriſtatum per doctrinam mortis, per doctrinam reſurrectionis releuent, ac lætificent. *Quomodo populus inſtituēdus à concionatoribus.*

Tertiò, diſcendum ex hoc Euangelio, quòd fides per charitatem in cordibus noſtris à Chriſto accenditur, adeò vt omnes qui cum Chriſto loquuntur, & eius ſermonibus delectantur, ita proficiunt, vt membra ipſius Chriſti ament & inuitent, pauperes nempe & peregrinos. Neque id tantum, verùm inſtar horum diſcipulorum ad beneficia accipienda ipſos compellant. *Fides per charitatem in nobis accenditur.*

Probat etiam hoſpitalitatis præmium: Abraham ad ſe peregrinos traxit, & angelos inuenit, Geneſ. 18. & Loth, Geneſ. 19. Duo iſti diſcipuli peregrinum inuitant, & Chriſtum inueniunt. Ardenter igitur de Chriſto loquamur, & pauperes eius ſuſcipiamus, & Chriſtum in nobis, & noſtris ædibus inueniemus. *Hoſpitalitatis præmium.* *Heb. 13.* *Mat. 15.*

SVMMA.

1 *Loquentibus de ſe duobus diſcipulis Cleopha & Ammaonte, teſte Ambroſio, Chriſtus apparet, iuxta illud: Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine, &c. Mat. 18. & aperit mentes, qui eſt clauis Dauid Apocalyp. 3. vt intelligerent ſcripturas.*

2 *Oportet non tantum particulariter, ſed etiam vniuerſaliter prophetis & ſcripturis credere, quæ ſunt de Chriſto. Oportuit enim pati Chriſtum, & reſurgere, &c.*

3 *Mos peculiaris Chriſto ante cibum agere gratias Patri, deinde fractum panē, ſuis partiri. Theophylactus fractionem eam panis de Domini carne intelligit, & dicit: Magnam & ineffabilem vim habet Domini caro, aperiuntur enim oculi ſumentibus, ſacrum hunc panem, vt eum agnoſcant.*

TERTIA FERIA PASCHAE,

EVANGELIVM.

Luc.24.

IN illo tempore, Stetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorum, & dixit: Pax vobis, ego ſum, nolite timere. Conturbati vero & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis, Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum. Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & admirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis. Et cùm manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis, & dixit ad illos: Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos cùm adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas, & dixit eis: Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes.

Declarat Chriſtus ſe verum Deum & hominem ſimul ac glorificato corpore ſurrexiſſe.

IN HOC Euangelio tria facit Chriſtus.

1 Primò, ſeipſum omnibus diſcipulis poſt Reſurrectionem, ſolo Thoma abſente, oſtendit, tranſiens fores clauſas, vt declararet ſe, primò verum Deum: alias enim propria virtute à mortuis non reſurrexiſſet. Deinde, vt declararet ſe verum hominem. Spiritus enim carnem & oſſa non habet, nec cibum capit. Tertiò, vt declararet ſe glorificato reſurrexiſſe corpore, quod nec corruptioni nec morti amplius ſit obnoxium, ſed fores etiam penetrare poſſet clauſas.

Hæreticorum quorundam errores confutantur.

Sic ergo confutat errores hæreticorum quorundam, qui aſſerunt, Chriſtum auolaſſe ante paſsionem ex Ieſu, Ieſum autem tantum hominem ob virtutem poſtea ſuſcitatum: quidam aſſerunt Chriſtum tantum fuiſſe in apparentia, non autem re ipſa, nec habuiſſe veram carnem humanam: aſſerunt reliqui Chriſti corpus à Maria acceptum non reſurrexiſſe, ſed aliud quoddam à priori longe alienum: alij aſſerunt corpus Chriſti fores non penetraſſe: quia vt ipſi dicunt, hoc non poteſt facere corpus glorificatum: de quorum numero ſunt, Zvvinglius & Caluinus.

Quare Chriſtus palpari voluit? vt articulus fidei reſurrectionis verè aſtrueretur.

Quare Chriſtus ſe à diſcipulis videri, conſpici, & palpari voluit, ne ab aliquo veſano ſpiritu ſe decipi permitterent: ſed verè Dominum reſurrexiſſe crederent, cum eodem ſcilicet corpore, quod in cruce pependerat: confirmans etiam articulum noſtræ fidei, quo credimus nos non ſolum reſurrecturos, ſed etiam cum eodem corpore, quod hic in terris geſtamus. Iob. 19. Credo, quòd redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum: quẽ viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius, repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

Chriſtus vulnera reſeruauit vt.

Hinc Chriſtus vulnera ſua non ſanandi infirmitate, ſed vt reſur-

reſurrectionis fidem aſtrueret,reſeruauit, & in iudicio redemptis miſericordiæ & redemptionis ſigna oſtenderet, ac malis iuſtæ damnationis cauſam aperiret, Apoc.1.Zachar.13.Videbunt in quem transfixerunt.

In medio ergo eorum conſtitit,ſicut ſemper tenuit medium, nempe,In præſepi inter duo animalia, Luc.2.in templo, inter medios doctores,ibid.In Iudæa,meditullio orbis, vt aiunt,docuit.Pſal.73. Operatus eſt ſalutem in medio terræ. In medio latronum ſuſpenſus fuit in cruce, Ioan.19. In medio diſcipulorum ſtetit, Ioan.20. vt oſtendat ſe eſſe verum mediatorem inter Deum & homines.1.Timoth.2. ſeque eſſe verum pabulum animæ, & doctorem vitæ, qui omnes ſua præſentia æquè dignatur. Non eſt enim Rex apud illum nobilior, non pauper inferior, non diues potentior, non Dominus potior: ſed omnibus coæqualis Deus & Dominus, iudex iuſtus, Sapien.6. Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus. Hinc ait: Ego flos campi. Sic quoque lignum vitæ in medio paradiſi.

Chriſtus ſemper tenuit medium.

Mediator noſter Chriſtus.

Cant.2.
Gen.2.

2 Secundò, in hoc Euangelio pacem diſcipulis optat Chriſtus. Eſt autem pax duplex: externa & interna, quæ etiam dicitur mundana & ſpiritualis. Mundana pax eſt, quando videlicet tranquillitas conſeruatur in mundo, regnis, prouinciis, ciuitatibus,pagis,& ædibus. Hanc pacem qui habent, per Chriſtum acceperunt: deceretque vbique eſſe, vt Paulus docet ad Rom.12. ſed (proh dolor) omnia contentionibus & diſsidiis ſunt plena, vt videamur incidiſſe in ea tempora, de quibus Chriſtus prælocutus eſt: Audituri, inquit, eſtis prælia, & conſurget gens in gentem.&c.

Pax duplex interna & externa, vel mundana & ſpiritualis.

Matt.24.

Spiritualis autem pax eſt, quando videlicet tranquillitas eſt in conſcientiis, & cordibus hominum cum Deo. Hanc pacem quam modò Chriſtus ſuis diſcipulis precatur, in cruce compoſuit. hanc pacem habent omnes iuſti in fide, & charitate viuentes, atque mandatis diuinis obtemperantes, hanc parit bona conſcientia, Pſalmo. 118. Pax multa diligentibus legem tuam.

Pacē ſpiritualem parit bona conſcientia.

Pacē igitur cæleſtē, & æternā optarunt angeli tēpore natiuitatis Chriſti in ſuo Cantico: In terra pax hominibus bonæ voluntatis. Lucæ.2. Hanc pacem Dauid toties in Pſalmis à Deo ſibi & Eccleſię petit. Pſal.121.& 124. Precamur & nos quotidianis votis, canentes: Da pacem Domine in diebus noſtris. &c. Sed tales ſumus homines, & tam iniquè agimus, vt huius & illius pacis conſeruandæ & promouendæ, non tantùm obliuiſcamur: verùm etiam ex propoſito eam perturbemus & corrumpamus: neque cum Deo, neque cum conſcientiis noſtris, neque cum hominibus pacem habemus, ſed inimicitias:

Diſsi-

Diſſidium cũ Deo procreat peccatum. Diſsidium quippe cum Deo procreat peccatum, dicente Iſa.52. Non eſt abbreuiata manus Domini, &c. ſed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſcōderunt faciem eius à vobis: Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate: Labia veſtra loquuta ſunt mendacium, & lingua veſtra iniquitatem fatur. Hæc ſunt, quę inimicitias faciunt inter Deum & homines: ſcilicet, praua opera, malę cogitationes, & peruerſa verba. His itaque indignatur Deus, vt niſi ſeria intercedat pœnitentia, per Chriſtum ſeuerè admodum ſit ea puniturus, Roman.2. Tribulatio & anguſtia in omnem animam operantis malum.

Indignatio Dei diſſidium conſcientiæ parit. Diſsidium verò conſcientiæ, parit indignatio Dei. Cùm conſcientia videt ſibi Deum ſuccenſum ob ſua peccata, videtque ſe Chriſti patrocinio priuatam, horret diuinum illud tribunal: adeò, vt nulla quies, nulla pax, nulla tranquillitas ipſi ſit: ſed perpetuus tremor, continuus horror, metuſque ineuitabilis. Sap.17. Cùm ſit timida nequitia dat teſtimonium condemnata, ſemper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia, & Iſaię 48. Non eſt pax impiis, dicit Dominus. Item. 57. Impij autē quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, quoaduſque Deum pœnitentia ita placet, vt Chriſtum mittat, qui illi pacē bonæ conſcientiæ exoptet & tribuat. *Iſaia 57.*

Ambitio diſſidium conflat inter homines. Diſsidium autem inter hominem conflat inſatiabilis ambitio, cupiditas inexplebilis, quæ omnium malorum eſt radix. 1. Tim.6. Hæc perturbat reges, principes, ciuitates, pagos, curias, monaſteria, & ædes quantumuis priuatas: quod ex peruerſa ambitione noſtræ tempeſtatis hæreticorum liquidò deprehendas.

Pax & vnitas malorum contemnenda, bonorum amplectenda. Eſt ergo pax malorum contemnenda, quia pernicioſa. Sicut enim noxium eſſe ſolet, ſi vnitas deſit bonis, ita pernicioſum ſi adſit malis. Prouerb. 1. Fili ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis, ſi dixerint veni nobiſcum, &c. Hanc ſaluator venit ſoluere. Matth. 10. Non veni pacem mittere, ſed gladium, &c. Tales enim quantumcunque pacifici videantur, nunquam tamen veram pacem habent, vt ſupra memoratum eſt. Mundi quippe pax nihil aliud eſt, quàm impunè licentioſius & peſtilentius poſſe viuere, & vt quidam ait, impunita nequitia. Bonorum vtique pax amplectenda, quia ſalutifera, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Per hanc peruenitur ad æternam pacem, Iſa.32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. Hinc Paulus, Si fieri poteſt quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habete, ait. Pacem itaque ſuis offert, atque velut altera columba, veræ reconciliationis & pacis ramum nobis attulit, Gen, 8. Fecitque, quod docuit, Matth.10. In quamcunque domum *Rom.12. 2. Cor.13. Heb.12.*

mum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui, &c.

3 Tertiò, concionatur diſcipulis, & inquit: *Hæc ſunt verba quæ locutus ſum vobis, cùm adhuc eſſem vobiſcum.* Hæc dicit, vt recordentur eorum, quæ ad eos Hieroſolymam aſcendens dixerat: *Quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moſi, & prophetis.* Hæc dicit vt ſcrutentur ſcripturas, atque in illis veritatem Dei explorent, nec ſingulares è cælo reuelationes à Deo vel temerè expectent, vel falsò iactent, quod hæreticos facere videmus. Addit, *Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pænitentiam & remiſsionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ad Hieroſolymis.* Hæc dicit, vt oſtendat ſuum regnum non fore mundanum, ſed ſpirituale, conſiſtereque in vna fide, in vno baptiſmo, in iiſdem ſacramentis, in vno Deo: vt doctrina catholicæ Romanæ Eccleſiæ confitetur. Et vt impleatur illud Iſaiæ 2. Ex Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.

Concio Chriſti ad diſcipulos.

Luc. 18.

Regnum Chriſti non mundanum, ſed ſpirituale.

Poſtremò dicit: *Vos autem teſtes eſtis horum, &, Ecce ego mitto promiſſum patris mei in vos.* Hoc dicit, vt Apoſtoli hanc veri Dei cognitionem non ſibi tantũ retineant, ſed aliis etiã omnibus cõmunicent per Euãgelij prædicationẽ: vt omnibus credentibus bona cæleſtia per Chriſtum iã comparata annuncient, atque per ſacramenta applicent, & pro bonis operibus polliceantur vitam æternam. Docemur his verbis nullum aliud Euangelium eſſe docendum vel audiendum, quàm illud, quod Apoſtoli ex mandato Chriſti Hieroſolymis, & poſtea per vniuerſum orbem prædicarunt. Quod Eccleſia Romana ab illis temporibus vſque ad nos, per continuam ſucceſsionem retinuit ac tenet, Gal. 1.

Euangelium Chriſti docendum & audiendum ab Apoſtolis non pſeudoprophetis.

Docemur proinde doctrinam hæreticorum non eſſe Euangelium, ſed inferni voces, & mortis impios clamores: & tantum abeſt vt huic Chriſti Euangelio congruant, vt maximè aduerſentur: tantoque minus Apoſtolicam ſuam eſſe doctrinam vnquam probabunt, quantò magis ſatanicam eam eſſe conſtat. Quod ſi indignè ferant, oſtendant Eccleſiam vbi ab Apoſtolis vſque ad ipſos conſeruata hęc illorum doctrina fuerit. Oſtendant ſucceſsionem Epiſcoporum, oſtendant quis Apoſtolorum vnquam talem commẽtus fuerit vtopiam. Quod & ſi crepent medij, nunquam oſtendent: neceſſe eſt fateantur ſuam doctrinam non Euangelium, quod nuncium bonum eſt, ſed falſum nuncium, & mortis æternæ annunciationem eſſe in inferno ab origine mundi conſeruatam, per manus ſatanæ vſque ad ipſos tranſmiſſam.

Doctrina hæreticorum inferni voces ac mortis clamores.

Docemur inſuper longè diuerſiſsimos eſſe hæreticos ab Eccleſia catholica, vt qui non quæ Chriſtus mandauit, doceant vel faciant, ſed reiiciant & negent. Quæ verò ipſi temeraria

præ-

Contumelia in Deum, pro Dei verbo vendita re ſomnia & falſa.

præſumptione excogitarunt contra Dei verbum, contra Apoſtolorum traditionem, & totius Eccleſiæ catholicæ antiquiſsimum conſenſum: & id quidem non abſq; magna Dei & Chriſti contumelia, & animarum graui iactura pro Dei verbo venditare non verentur, impetrantes per ventris doctrinam permultas ſuorum facinorum ab ipſis ſuis principibus, & ſenatibus, qui igni debuerant ipſos tradidiſſe, indulgentias. Conuertat illos Dominus, Amen.

EPILOGVS.

Symbola & nota Chriſtianorum, pax, unitas & concordia.

1 *Quicquid egit Chriſtus noſtro nomine, in hoc egit, vt haberemus pacem. Primò, ad Deum, videlicet vt hic nobis faueret, & nos illi per omnia morē gereremus. Secundò, vt nos pacificaret, quatenus nos inuicem pacificè ac benignè conuerſaremur. Hinc ante & poſt paſsionem ſuam pacem precatur. Pax enim, concordia, & charitas, & Chriſtianorum notæ ſunt, & ſymbola: nec contentus ſemel dixiſſe, ſed repetit pax vobis. Hinc pudeat hodie populum Chriſtianum bellorum, diſsidiorum, & litium. Quod ſi inuicem mordetis & comeditis: videte ne ab inuicem conſumamini, Galat. 5.*

Ad reſurrectionis confirmationem cibū ſumpſit, nō ad ſuſtentationis neceſsitatē, vt Cherintiani falſò aſſerebāt.

2 *Veræ reſurrectionis confirmatio eſt, quòd cibum ſumpſit, Act. 10. Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cū illo, poſtquàm reſurrexit à mortuis. Cauenda tamen hæreſis Cherintianorum, ne quis Dominum poſt reſurrectionem credat eguiſſe ſuſtētaculo cibariorum, ſed corpus ipſius immortale factum, nullam quidem neceſsitatem, attamen facultatem habuiſſe manducandi, ideoq́ue, vbi oportunitas probandæ ſubſtantiæ naturalis exigebat, cibis eſſe refectum. Sicut enim aliter abſorbet aquam terra ſitiens, aliter radius ſolis calens, illa indigētia, iſte potentia, ſic Chriſtus ante paſsionem indigentia manducauit, poſt verò poteſtate.*

Interpretatur Chriſtus ſcripturas in eccleſia catholica.

3 *Chriſtus, qui finis eſt legis & prophetarum, mentem Apoſtolis aperit, vt intelligerent ſcripturas. Ipſe enim habet clauem Dauid, claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Apoc. 3. Sic impoſsibile eſt nos aliquid in ſcripturis intelligere, niſi illud ipſum nobis interpretetur Chriſtus. Non autem interpretatur Chriſtus ſcripturas niſi in Eccleſia catholica, nec aliis interpretatur niſi qui ſunt membra Eccleſiæ, & ordinem ſequuntur, Iob. 32. Inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam, & 1. Ioan. 5. Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius.*

4 *Hic nimirum ordo erat neceſſarius, vt prius pro ſalute mundi, ſanguis funderetur, póſtque per eius reſurrectionem & aſcenſionem pateſieret hominibus cæleſtis ianua regni, & ſic demùm mitterentur, qui cunctis per orbem nationibus verbum vitæ prædicarent, ac ſacramenta fidei, quibus ſaluari atque ad gaudia ſupernæ patriæ poſſunt attingere, miniſtrarēt. Hinc Act. 13. Paulus ait, Notum ſit vobis fratres, quia per hunc vobis remiſsio peccatorū annunciatur ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moſi iuſtificari. In hoc omnis, qui credit, iuſtificatur.*

QVAR-

QVARTA FERIA PASCHAE,

EVANGELIVM.

IN illo tempore, Manifeſtauit ſe iterum Ieſus ad mare Tyberiadis diſcipulis ſuis. Manifeſtauit autem ſic: Erant ſimul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilaeæ, & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & aſcenderunt in nauim: & illa nocte nihil prendiderunt. Manè autem facto, ſtetit Ieſus in littore, non tamen cognouerunt diſcipuli quia Ieſus eſt. Dicit ergo eis Ieſus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei: Non. Dixit eis: mittite in dextram nauigij rete, & inuenietis. Miſerunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium. Dicit ergo diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus, Petro: Dominus eſt. Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alij autem diſcipuli nauigio venerunt: Non enim longè erant de terra, ſed quaſi cubitis ducentis, trahentes rete piſcium. Vt ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum & panem. Dicit eis Ieſus: Afferte de piſcibus, quos prēdidiſtis nunc. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus. Et cùm tot eſſent, non eſt ſciſſum rete. Dicit eis Ieſus, Venite, prandete. Et nemo diſcumbentium audebat interrogare eum, Tu quis es? ſcientes quia Dominus eſt. Et venit Ieſus, & accepit panem & dabat illis, & piſcem ſimiliter. Hoc iam tertiò manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis, cùm ſurrexiſſet à mortuis. *Ioan. 21.*

HAEC hiſtoria Euangelica complectitur apparitionem, qua Chriſtus ad mare Tyberiadis apparuit ſeptem diſcipulis, ſcilicet: Petro, Thomæ, Nathanaëli, Iacobo, Ioanni, filiis Zebedæi, aliiſque duobus. Ibant enim piſcatum egeſtate compulſi. Armati enim ex apparitionibus præcedentibus in publicum prodire auſi ſunt, & ob victus neceſsitatem cogebantur, prouiſore corporaliter ablato. Nam Iudas œconomus laqueo vitam finierat, Matthæi 27. Chriſtus tum non ſemper aderat: & venerat tempus, quod Chriſtus prædixit: Venient dies cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt. Ideo Petrus & alij diſcipuli ad piſcaturam redeunt: & Paulus ad ſcenofactoriam artem, tanquam ad opus honeſtum. Actor. 18: Tribus enim de cauſis operandum eſt. Primò, quia Deus præcepit, Geneſ. 3. & Pſalm. 127. Deinde quia neceſsitas vitæ huius hoc exigit: tertiò, ne otiemur. Matthæus & Zacheus non ſunt ad telonium, ad inhoneſtam negotiationem reuerſi. Nam hoc fuiſſet poſt miſſam manum ad aratrum, retroſpicere, Luc. 9. *Apparitio Chriſti ad mare Tyberiadis.* *Act. 1.* *Matth. 9.* *Operandū tribus de cauſis.* *Ad inhoneſtā negotiationem redire quid.*

Aſcenderunt ergo nauim, & ea nocte nihil ceperunt, quo loco daretur miraculo, ſimul velut ænigmate ſignificaretur, laborem noſtrum inanem eſſe, & irritum, dum ſine Chriſto laboramus, & in labore Dominū non videmus & attendimus. *Labor noſter inanis ſine Chriſto.*

Nam

Nam & hæc eſt cauſa cur ferme qui maximis laboribus premuntur, aliis multò pauperiores ſunt. Non enim in labore Deum vident, non ex fide laborant. Hinc Sapiens monet Prouerb. 3. In omnibus viis tuis cogita dominum, & ipſe diriget greſſus tuos. Cæterùm per hunc irritum diſcipulorum laborem oſtenditur inanem eſſe operam Euangeliſtę, niſi Chriſtus hominis conatum bene fortunet. *Manè autem facto, ſtetit in littore.* Supra apparuiſſe legitur timidis & lugentibus. Hic apparet laborantibus, ad conſolationem noſtram ne labore frangamur, cùm audiamus Chriſtum laborantibus aſtare. Sicut enim nox tentationem ſignificat, ſic mane vel dies ſignificat diuinam cõſolationem, iuxta illud Pſal. 29. Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Permittit igitur Deus electos ſuos in nocte huius ſeculi, hoc eſt vitæ præſentis, quæ tribulationibus, culpis, miſeriis plena eſt: multipliciter affligi & ſudare, vt tandem quietem ſortiti plenius iucundentur, iuxta illud, Pſal. 89. Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala.

Opera irĕ Euangeliſtæ inanis citra Chriſti afflatum.
Ad conſolationem noſtram Chriſtus apparet laborantibus.
Dies ſignificat diuinam conſolationem.
Deus ſinit ſuos in nocte tribulationis affligi.

Stetit in littore quaſi in tranquillo, ad inſinuandum quòd amplius non erat cum eis in aquis tribulationum, & fluctibus huius mortalis vitæ: ſed ad impaſsibilem tranquillamque vitam reſuſcitatus conſiſteret. Chriſtus enim reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, &c. Rom. 6. *Non tamen cognouerunt diſcipuli, quia Ieſus eſſet.* Partim propter diſtantiam loci, partim propter dubiam adhuc lucem, maximè autem quia nolebat adhuc cognoſci Chriſtus, ſuſpicabantur ergo quempiam eſſe, qui veniſſet ad lacum mercaturus piſces.

Ad quid Chriſtus ſtetit in littore.

Dicit eis: Pueri num quid obſonij habetis? Pueros eos nominat, non propter ætatem: ſed propter puritatem, ſimplicitatem, & innocentiam: quomodo & Paulus dicit, Malitia paruuli eſtote, non ſenſu. Tales quoque pueros vult Chriſtus, Matth. 18. Videtur etiam hic alludere ad illud Eſaiæ 8. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi in ſignum & portentum. *Reſponderunt, non.* Et verè nihil homo habet, quod Deo præſtet. 1. Para. 29. Tua ſunt oīa, & quę de manu tua accepimus, dedim⁹ tibi, Iac. 1. Omne datũ optimum & omne donũ perfectũ de ſurſum eſt, &c. *Dicit eis, mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* Hoc verbo docet, quomodo laborandum ſit, vt fructus ſequatur, nempe: vt ad dexteram, hoc eſt, ad ſpiritualia tendamus. Nihil enim aliud impedit fructum laboris noſtri, quàm quòd plus æquo ad ſiniſtram tendimus, hoc eſt, ad temporalia, quæ per ſiniſtram intelliguntur, iuxta illud Prouerb. 3. In ſiniſtra eius diuitiæ & gloria. Quod igitur Chriſtus hic dicit: Mittite in dexteram nauigij rete, eundem ſenſum habet cum eo, quod alibi

Apoſtoli quare pueri vocantur.
1. Cor. 14.
Docetur quomodo laborandum.

alibi docuit. Primum quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. *Matth.6.*

Miſerunt rete, & iam non valuerunt illud trahere, præ multitudine piſcium. Hic liquidò conſtat, quid poſsit verbum Dei, item quid poſsit obedientia, itemque quàm non infructuoſus ſit labor noſter, ſi ad dexteram Dei tendamus. Hoc enim facto nobis declaratum eſt, vt certi fiamus benedictionē domini fortunare quicquid ex fide in verbum Dei agamus: Benedictio domini diuites facit. Prouerb. 10. Simile huic miraculum etiam in Luca habemus. *Verbū Dei & obedientia quid poſsint.* *Luc.5.*

Dicit ergo diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus, Petro, Dominus eſt. Sic enim ſoliti fuerunt ipſum nominare. Ioan. 13. Ex hoc autem verbo diſcamus, non nobis, ſed Deo fructum laboris noſtri aſcribere. Dominus, inquit, eſt: Non noſter labor hoc effecit, ſed Dei beneficentia. Sic Dauid ait: Non in arcu meo ſperabo: nec enim gladius meus ſaluabit me. Pſalm. 43. Hinc & Petrus: Quid, inquit, nos intuimini, quaſi noſtra virtute fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, &c. hoc fecit per Ieſum. *Laboris fructus non nobis ſed Deo aſcribendus.* *Act.3.*

Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare, impatiens longioris moræ. Nuſquam enim maius periculum in mora, quàm dum ad Chriſtū properamus. Neſcimus enim quàm diu tempus currendi habebimus. Quilibet igitur ſummo ſtudio feſtinet, nec curet ſi viderit alios ceſſantes. Fugite de Babylone, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam, Hierem. 51. Charitatis quidem eſt etiam alios ad Chriſtum trahere, ſed propter alios nemo ſeipſum negligat. Paſtoris item eſt, exemplo Petri, plus aliis feſtinare ad Chriſtum, vt vel ſic ſequi incipiant. *Tunica ſuccinxit ſe.* Noluit enim nudus coram Chriſto apparere. Væ enim illi, qui in conſpectu domini nudus apparet. Hinc dicitur, ſuadeo tibi emere à me aurum, &c. vt locuples fias, & veſtibus albis induaris, ne appareat confuſio nuditatis tuæ. *In re ſalutis nō procraſtinandum, ſed fugiēdum de Babylone.* *Apoc.3.*

Miſit ſe in mare: Agnito enim Chriſto nullum timet periculum, Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom.8.*

Alij autem diſcipuli, nauigio venerunt, (non enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete, magnis piſcibus 153. impletum. Diuerſis mediis ad Chriſtum venitur: alius egregiis donis, ſicut Petrus, alius vili artificio, quod coram mundo vſqueadeò contemptum apparet, vt nec donum iudicetur, quemadmodum alij diſcipuli, qui communi medio ad Chriſtum nauigāt, non tamen minus perueniunt ad eum, quàm Petrus. Non enim refert quibus donis, ſed qua fide ad Chriſtum accedas. Tantum curemus, vt per id quod accepimus ad Chriſtum properemus. *Vt ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, &* *Diuerſis mediis ad Chriſtum venitur.*

M piſcem

piſcem ſuperpoſitum, & panem: Ex quo loco videmus, temporalia præſidia & victualia non deeſſe, nec vnquam defutura his, qui diligenter vocationem ſuam ſequuntur, & è fide laborant. Hoc idem videmus in Iſraëlitis. Exod. 15. & 16. qui dum vocationem ſuam ſequerentur per deſertum, & manna de cælo, & coturnices vento adductos, & aquam è petra acceperunt. Sic Moſes vocationem Domini in monte ſequens, quadraginta diebus nec pane nec aqua, ſed verbo Dei alitus eſt. Deut. 24. Sic Helias vocationem Domini ſequens, à coruo alioqui aue rapaci, paſtus eſt. 3. Reg. 17. Omnia hæc ad conſolationem noſtram ſunt ſcripta.

Nunquam deerũt victui neceſſaria, ambulanti in vocatione Dei.

Dicit eis Ieſus: Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc. Hoc iubet, vt ex numero piſcium miraculum conſpectius fiat, ſicque vtrinque confirmarentur Apoſtolorum animi, ex multitudine ſcilicet piſcium quos ceperant, & ex præparato cibo, quem in littore inuenerant.

Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, &c. Sic nobiſcum agit Deus, ex vna tentatione nos eripit, & interim ne torpeſcamus, in aliam nos coniicit, vt & inde nos liberet. Militia enim eſt vita hominis ſuper terram, Iob. 7.

Dicit eis Ieſus: Venite, prandete: Peracto labore & obedientia, vocat eos ad prandium: dignus eſt enim operarius cibo ſuo.

Et nemo illorũm audebat interrogare eum: Tu quis es? ſcientes quia Dominus eſt. Venit itaque Ieſus, & accepit panem, & dabat eis, & piſcem ſimiliter. Panis ipſe eſt Chriſtus, Ioan. 6. Piſcis qui ſub aqua viuit, tribulationem ſignificat. Hæc enim duo ſic cõmiſcet Deus, vt nunc quidem conſolationem, nunc tribulationem habeant pij. Nec vnquam vel panem ſolum, vel piſcem ſolum apponit. Ita enim conſolatur pios, vt tamen non omnino ab omnibus malis ſint liberi, & ita eos in tribulationem coniicit, vt tamen non deſit panis conſolationis, Tob. 3. Non enim delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem, tranquillum facis, & poſt lachrymationem & fletum, exultationem infundis.

Panis eſt Chriſtus, piſcis tribulationem ſignificat.

Hoc iam tertiò manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis, cùm ſurrexiſſet à mortuis. Ex hoc verbo patet, quòd Ioannis intentio fuit legitimo teſtium numero auditorem Euangelij confirmare in fide reſurrectionis Ieſu Chriſti. In ore enim duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum, ſecũdum legem, Deut. 29. Mat. 18. 2. Cor. 13. Vult autem Chriſtus hac hiſtoria nobis oſtendere, virtutẽ verbi ſui quando verbo eius fides adhibetur: & quemlibet admonere vt in vocatione ſua laboribus honeſtis ſit intentus, diuini tamen numinis auſpicio. Quod ſi quis fecerit, benedictionem hîc accipiet, & tandem in altero ſeculo vitam æternam, Amen.

EPILO-

EPILOGVS.

1 *Apoſtoli poſt reſurrectionem ad artem redierunt piſcatoriam, ſic laborantibus Dominus apparet, & more horum loquitur, ac ſi empturus eſſet ab eis. Sicut enim Magdalenæ apparuit in ſpecie hortulani: ſic nunc Apoſtolis ad mare apparet in ſpecie emere volentis. Qualis enim quiſque eſt, talis ei apparet aut videtur Deus: hinc Dauid de Deo. Pſal. 17. Cum ſancto, inquit, ſanctus eris, &c.* *Talis Chriſtus apparet qualis quiſque eſt.*

2 *Inopia Apoſtolorum facilè tolerare paupertem, de iuſtis laboribus viuere contra ocium.*

3 *Verbi natura & piſcatio hominum hic adumbratur, & nihil capitur, niſi Chriſti verbo.*

DOMINICA IN OCTAVIS PASCHAE, QVAM VOCANT QVASI MODO GENITI, EPISTOLA.

Chariſſimi, Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum fides noſtra. Quis autẽ eſt qui vincit mũdum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt filius Dei? Hic eſt enim qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus, non in aqua ſolùm, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas: quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: Et hi tres vnum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis: Et hi tres vnum ſunt. Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt, quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod maius eſt: quoniam teſtificatus eſt de filio ſuo. Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. *1. Ioan. 5.*

IN hac Epiſtola diuus Ioannes facit tria.

1. Primò indicat potentiam & virtutem fidei Chriſtianorum. Repugnat ergo pro primo hæc Epiſtola iis qui mundana Philoſophia inflati (quales erant mundi ſapientes & Phariſei) per ſola opera quærebant iuſtificationem, & animarum ſalutem, neglecta fide. Hinc ait Ioannes: *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum*. Eſt autem mundus nihil aliud, quàm concupiſcẽtia carnis & oculorum. Eſt etiam mundus nihil aliud, quàm faſtus, ſuperbia vitæ humanæ, ſapientia hominum, quam Iacobus vocat carnalem, animalem, & diabolicam, hæreſes, & alia id genus. Iac. 3. Quæ omnia dicuntur opera mundi. Omnis quippe immoderata cupiditas, atque carnis procliuitas, ad immodeſtiam, intemperantiam, libidinem, crapulam, vindictam, & ſimilia: nimia quoque facultatum humanarum cupiditas, & quę illam ſolent ſubſequi flagitia, mendacium, inſidię, furta, fraus, vſura, rapina, & aliæ impoſturæ, inflatum etiã habere animum, in cibis, potu, ædificiis, & reliquos præ ſe contemnere: Omnia hæc ſunt opera mundi, & hæc dicuntur mundus. Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ. *Fidei virtus iuſtificat, non ſola opera.* *Mundus quid. 1. Ioan. 2.* *1. Ioan. 2.*

Mundum vincere quid. Eſt autem mundum vincere nihil aliud, quàm omnibus prauis affectibus reſiſtere, omnes malas concupiſcentias ſupprimere, omnibus delicijs, quibus homines in mundo à ſatana & carne tentantur, fortiter pugnare, & omnes illos ſanctos motus, quos Spiritus ſanctus in nobis format, amplecti, cordeque & animo verſare, ad eorumque normam vitæ actiones inſtituere: hoc eſt, vincere mundum. Qui ſuperbiam deteſtatur, & humilitatem amat, qui impietate relicta, pietatem amplectitur, qui infidelitatem deſerit, & fidem profitetur: qui cupiditatem extinguit, & charitatem exercet, qui de peccatis commiſsis ſeriò dolet ac pœnitet, & hæc omnia ad ſalutem neceſſaria eſſe credit, verbo Dei edoctus: hic verè cum hac fide vincit mundum.

Fides vera vincit cum amatoribus ſuis mundum. Matth. 10. Hæc fides Chriſti vicit Nerones, & eorum inauditam crudelitatem, quando Paulus ob fidei Chriſti confeſsionem capite plecti maluit, quàm fidem negare. Potuit tyrannus caput auferre Paulo & Petro, ac corpus torrere Laurentio, vitamque alijs quampluribus martyribus eripere, non tamen fidem potuit.

Hæc vicit Iulianos, Decios, alioſq́; ſæuiſsimos & crudeliſsimos Chriſti hoſtes: dum virgines tenerrimæ ob tormenta ſibi illata, fidem minimè abiurarunt, ſed conſtanti animo in ea perſeuerarunt. Hæc vicit totam philoſophiam mundi: quando in primaria illa Athenienſium ſchola Paulus diſertiſsimè diſputans, Dionyſium Areopagitam, & alios ad fidē conuertit. Hæc *Act. 17.* quoque fides Chriſti vincit ſynagogas Iudæorum, quando Pe- *Act. 2. & 4.* trus vnica oratione vno die quinque millia conuertit.

Fides ſine operibus & opera ſine fide minime ſaluant. 2 Secundò, reprehendit hic Apoſtolus eos, qui aut fidem ſine operibus iactabant, aut opera ſine fidē commendabant. Repugnat ergo hæc Epiſtola etiam iis, qui ſola fide contenti, temerè reijciunt opera, quaſi ad ſalutem non neceſſaria. Hinc ait beatus Ioannes: *Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt filius Dei?* hoc eſt: Quis eſt homo, qui mundum ſua virtute aut potentia vincere per ſe poſsit, niſi homo fidelis, qui credit Chriſtum verum fuiſſe Deum & hominem; eumque in mundum veniſſe, vt nos de poteſtate inferni, & captiuitate diaboli redimeret, & in libertatem Chriſtianam aſſereret?

Subſtātia fidei Chriſtianæ. Subſtantia fidei Chriſtianæ & circa perſonam Chriſti Ieſu, confitendo indubitata fide duas naturas in vno eodemque ſuppoſito, ſcilicet: diuinam & humanam. Et hanc fidem omnes Chriſtiani firmiter obſeruari debent: & pro certo apud ſe ſtatuere, quòd hæc prima datur, per quam charitas impetretur: cuius virtute fides, purificat corda, iuſtificat peccatores, ſaluat homines. Nam negare Chriſtum veniſſe in carnem, eſt Chri-

ſtum cum omnibus ſuis beneficiis, meritis, ac dignitate pernegare. Dubitare verò de Chriſti paſsione, morte, & reſurrectione, eſt Spiritum ſanctum in ſcripturis coarguere, & Dei verbum contemnere. Chriſti autem verbis non fideliter adhærere, eſt ſacramenta è latere Chriſti producta, negare, cælum claudere & tartara aperire. Charitatis quoque virtutem fidei attribuere, eſt aliam comminiſci viam eundi in cælum, quàm Chriſtus docuit. Docuit autem charitatem. Ioan. 14. Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad patrem niſi per me. *Fides ſicut ſaluat, ita infidelitas certiſſimè damnat.*

3 Tertiò probat Apoſtolus tribus teſtimoniis Chriſtum eſſe Deum & hominem: id eſt filium Dei & hominis. Vnde repugnat etiam hæc Epiſtola iis, qui negant Chriſtum eſſe filiũ Dei & hominis: vti Cherinthus, & alij permulti. Hinc ait D. Ioannes: *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus, non in aqua ſolum: ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas. Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra: Spiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres vnum ſunt.* *Tribus teſtimoniis probatur Chriſtus Deus & homo.*

Teſtes in cælis, qui de Chriſto teſtantur, quòd ſit filius Dei ſunt, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Pater teſtatur de filio apud Iordanem, & in mõte Thabor: Hic eſt, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. *Teſtes in cælis de Chriſto qui. Mat. 3 & 17. Ioan. 3. Num. 21.*

Filius teſtatur de ſeipſo. Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet filium hominis, &c. Spiritus ſanctus teſtatur de Chriſto, quando in columbæ ſpecie ad Iordanem ſuper eum apparuit, & die Pentecoſtes Apoſtolis miſſus eſt. Matth. 3. Act. 2.

Teſtes autem in terris, qui de Chriſto teſtantur, quòd ſit filius hominis, ſunt aqua, ſanguis, & Spiritus. Nam ad aquas Iordanis apertè ait Ioannes Baptiſta: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me. Ioan. 1. Mat. 3. Sanguis vnà cum aqua è latere Chriſti profluxit in cruce, qui cuncta mundi peccata abluit. Ioan. 19. Quippe, qui per fidem ſacro regenerationis lauacro baptizantur, non aliter habendi ſunt, ac ſi per viſibilem emundationem ſanguinis Chriſti lauarentur, & à peccatorum ſordibus repurgarentur. Spiritus ſanctus teſtatur de Chriſto in prophetis & ſcripturis: item apud Iordanem in ſpecie columbæ: & die Pentecoſtes, quando apparuit diſcipulis. Act. 2. Et ſpiritus quem emiſit in cruce, teſtatur eſſe hominem. *Teſtes in terris de Chriſto qui. Sanguis Chriſti quomodo peccata emundat. Matth. 27.*

Sunt igitur humanitatis Chriſti tres teſtes humani: aqua & ſanguis, qui è pectore effluxerunt: & Spiritus, quem in cruce vti verus emiſit homo. Sunt etiam diuinitatis Chriſti tres teſtes diuini, Pater ſcilicet, Filius, & Spiritus ſanctus, qui

tres ſolùm ſunt vnum teſtimonium: quia de vna eademq́ue re teſtificantur.

Teſtimonium ſpiritus de Chriſto.

Et ſpiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas. hoc eſt: Spiritus ſanctus in homine exiſtens, teſtatur quod Chriſtus ſit veritas, id eſt, verè talis, qualem diximus. Omnis homo, qui habet in ſe Spiritum ſanctum, inclinatur ex gratia eius ad confitendum, & aſſentiendum huic veritati, quòd Chriſtus ſit nõ tantùm verus homo, ſed ſimul etiam verus Deus: quod confirmat teſtimonium ſuperius adductum. Quid pluribus opus eſt teſtimoniis? Si teſtimonium hominum accipimus, cur non & diuinis credimus teſtimoniis? Quare beatos illos dicimus, qui talibus fidem adhibuerint teſtibus: illos verò infelices atq; perditos aſſerimus, qui tot ac tanta teſtimonia contempſerint. Det Deus opt. max. vt in hac fide moriamur.

EPILOGVS.

1 *Mundus habet paupertatem, exilium, infamiam, carceres, flagra, mortem. Hæc omnia vincit fides, quæ credit, quòd Ieſus eſt filius Dei.*

2 *Chriſtus tribus indiciis teſtatus fuit ſe eſſe ſeruatorem orbis, aqua, ſanguine, ſpiritu.*

3 *Ineffabilis eſt patris philanthropia, tam multifariã teſtantis de filio ſuo, noſtro redemptore.*

DOMINICA QVASI MODO,

EVANGELIVM.

Ioan. 20.

IN *illo tempore, Cùm ſero eſſet die illa vna ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Ieſus, & ſtetit in medio diſcipulorum, & dicit eis: Pax vobis. Et cùm hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus, Gauiſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Ieſus. Dixerunt ergo ei alij diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manũ meã in latus eius, non credã. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Ieſus ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & adfer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus & Deus meus. Dicit ei Ieſus: Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: Beati qui non viderũt & crediderunt. Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.*

CHRISTVS apparuit diſcipulis ſuis ſemel abſente Thoma, ipſo die reſurrectionis. in hac apparitione facta ſunt ſeptē.

1 Venit Ieſus glorificato corpore, ianuis clauſis, quod reſpondet reſurrectioni, atque eandem, teſte Theophylacto, declarat. Perinde atque ingentia ſaxa corpori glorificato obſiſtere non poterant, ſic neque ianua peſſulo obſerata, Chriſtum potuit arcere. Petrus Act. 12. è carcere eductus pulſauit fores Mariæ matris Ioannis, qui cognomento dicitur Marcus. Neque enim clauſis ianuis in ædes eas intrare poterat. Sed corporis glorificati, ſeu (teſte Damaſceno) deificati alia eſt ratio, vtpote quæ captum excedit humanum. Auguſtinus, Moli corporis vbi diuinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt: huc facit quòd moriturus veniens multa ſimilia fecit, pedibus ſuper mare ambulauit. Matth. 14. 40. dies & noctes ieiunauit. Ibidem. 4, In aëre vacuo cum Moſe & Helia conuerſatus fuit. Matth. 17. Si enim hæc potuit in corpore morituro, quid non poſſit in corpore glorificato ſeu deificato?

Corpus glorificatum ſolum clauſis ianuis intrare poteſt.

Sedebant enim diſcipuli magno in timore, quem auxit furor & rabies Iudæorum. Iudæi enim tam crudeliter Chriſtum tractauerant, vt dici non poſſit quanta immanitate ipſum morti dederint. Iſa. 53. Sap. 2. Mala quoque ipſorum conſcientia auxit timorem, quòd Chriſtum in eius paſſione dereliquiſſent, cùm ante mortem mira iactaſſent, & polliciti fuiſſent. Petrus: Etiam ſi oportuerit me mori tecum, &c. Matth. 26. Thomas: Eamus & moriamur cum illo.

Crudelitas Iudæorum ſimul & mala ipſorū conſcientia augebat diſcipulorum timorem.
Ioan. 11.

2 *Stetit in medio*, non Phariſæorum, *ſed diſcipulorum ſuorum*. Semper enim tenuit medium, ſcilicet, in præſepio inter duo animalia: vt doceat ſe eſſe verum paſtorem animarum noſtrarum. Ioan. 6. & vt verum ſit ſignum, quod Habacuc. 3. ca. poſteritati venturæ prædixerat ad cognoſcendum Chriſtum, in medio duorum animalium cognoſcetis. In templo, inter legis doctores, Luc. 2. vt oſtendat ſe eſſe verum doctorem Eccleſiæ catholicæ: iuxta illud Matt. 17. Hic eſt filius meus dilectus, &c. ipſum audite. Idcirco omnes theſauros ſcientiæ & ſapientiæ pater cæleſtis in eo poſuit, teſte Paulo. In cruce, inter duos latrones, Ioan. 19. vt doceat ſe pro latronibus paſſum, Iſa. 53. & illā mortē Adamo, vniuerſoque generi humano fuiſſe ſoluendam. In domo quoque tenuit medium inter diſcipulos. Ioan. 21. vt indicet ſe noſtræ pacis eſſe authorem. (Epheſ. 2. Ipſe enim eſt pax noſtra) & Mediatorem Dei & hominum.

Semper Chriſtus medium tenuit.
Coloſſ. 2. & Iſa. 11.
1. Tim. 2.

3 Precatus eſt illis pacem, non illam externam & mundanam, politicam, & œconomicam. Ait enim Chriſtus Ioan. 16. In mundo preſſuram habebitis, &c. Ibidem, Abſque ſynagogis facient vos, ſed venit hora, vt omnis qui interfecerit vos, arbitretur obſequiū ſe præſtare Deo. Item Luc. 21. Et eritis odio

Pacem internā precatur ſuis Chriſtus.

omnibus hominibus propter me. Et Matth. 10. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt: ſed pacem illam diuinam cum Deo patre, quam ipſe Chriſtus morte ſua ſacratiſsima in cruce operatus fuerat. Compoſuit Chriſtus pacem inter Deum & homines, ſoluit antiquiſsimum illud debitum, quod in Adamo, totum genus humanum contraxerat, reconciliauit peccatores Deo. De hac pace, inquit Paulus, Iuſtificati ex fide, pacem habeamus ad Deum. Ait idem Philippen. 4. quod exuperet omnem ſenſum: Ex hac pace naſcetur pax bonæ conſcientiæ, qua peccator ſperat ſe Deum habere placatum, propitium, & amicum, vnde habet pacem internam.

Rom. 5.

Fides & agnitio Chriſti corda lætificant.

4 Quum territi eſſent, conſolatus eſt illos Dominus, dicens: *Quid territi eſtis?* Sicut enim fides & agnitio Chriſti corda Chriſtiana lætificant: ita incredulitas & dubitatio de Chriſto, faciūt cor timidum & trepidum.

Spiritus aliquā do apparent.

5 *Oſtendit illis manus, pedes, & latus, dicens: Palpate & videte, quia ego ipſe ſum, palpate, Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Chriſtus non negat apparere aliquando ſpiritus. Liquet hic etiam quandam opinionem fuiſſe apud Iudæos & apoſtolos defunctorum ſpiritus nutu diuino hic in terris apparere aliquando viuentibus, vt intelligamus non adeo fabuloſa eſſe, quæ in doctorum Eccleſiæ commentariis de defunctorum ſpirituum apparitionibus leguntur. 2. Macha. 15. Machabæus vidit Oniam & Ieremiam prophetam iam mortuos.

Luca 24.

6 Manducauit coram eis, vt oſtenderet ſe verum habere corpus, & verè viuere. Dederunt enim illi partem piſcis aſsi, & fauum mellis.

Matth. 18.

Poteſtas diſcipulis à Chriſto data.

7 Inſufflauit eis Spiritum ſanctum, dans illis poteſtatem ligandi atque ſoluendi animas: Miſitque illos prædicare Euangelium omni creaturæ, Marc. 16. Prædicare pœnitentiam, neceſſariam ad ſalutem, & remiſsionem peccatorum in nomine eius per ſanguinem Chriſti: cuius diſpenſationem ſacerdotibus conceſsit per Sacramēta fidelibus communicandam, Ioan. 20. Quorum remiſeritis, &c. Miſit eos baptizare omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: & docere, quæcunque præcepta ſunt à Chriſto ſeruanda. Matth. 28. Miſit eos abſoluere pœnitentes & confitentes per ſacramenta, impœnitentes verò ligare: & ſi res poſtulet, excommunicare. Miſit eos denique adminiſtrare reliqua omnia Sacramenta, à Chriſto inſtituta. Quæ omnia non fiunt virtute humana, ſed diuina. Ideo inſufflans dat illis Spiritum ſanctum, quo ſignificatur Spiritum ſanctum ab ipſo ad nos procedere, & quòd non ſit patris ſolùm, ſed & ſuus ſpiritus. Libet hic intueri, diſcipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriæ ſint perducti. Ecce non ſolum de ſemetipſis ſecuri

Cōfeſſio à Chriſto inſtituta.

fiunt

ſunt, ſed etiam alienæ obligationis poteſtatem relaxandæ accipiunt, principatum ſuperni iudicis ſortiuntur, vt vice Dei quibuſdam peccata detineant, quibuſdam relaxent: Quamuis ſolius Dei ſit peccata dimittere. Ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me, &c. Sacerdotes tamen miniſtri Eccleſiæ, per ſpiritum in conſecratione datum, authoritate commiſſa remittere dicuntur, quum ſacramenta miniſtrant, quæ Deus inſtituit ad remiſsionem peccatorum, & retinere inquantum retinenda iudicant illius peccata, qui ſe indiſpoſitum & indignum exhibet remiſsione peccatorum. Hoc autem per ſe ſcire non poteſt, niſi peccator confitendo peccata ſua enarrarit: ſicut nec typicus ſacerdos poterat diſcernere inter lepram & non lepram, niſi prius detecta lepra: homo videt ea quæ patent, Deus autem intuetur cor. Vnde hæc dicens, confeſsionem peccatorum inſtituit, & faciendam inſinuat. Grandis vtique honor miniſtrorum Eccleſiæ, ſed graue pondus ipſius eſt honoris. Durum quippe eſt, vt qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, iudex fiat alienæ. Oportet igitur vt iudicium Eccleſiæ diuino conformetur iudicio, rectum ſeruando proceſſum, debitum clauium vſum, quia data eſt poteſtas, non in deſtructionem, ſed in ædificationem. 2. Corint. 13. Alioqui dominus conqueritur per Ezechielem. 13. Violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur: & viuificarent animas, quę non viuunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.

Iſai. 43.

Confeſsio auricularis neceſſaria.

Cõfeſsionis debitus vſus.

Vide ſacerdotum dignitatem quòd diuina ſit. Nam quamuis indigni ſint, hoc nihil arguit, diuinorum quippe donorum miniſtri ſunt, & gratia operatur per eos. Nonne per aſinam corripuit inſipientiam Balaam? Num. 22. & 2. Pet. 2. Et Caiphas cùm eſſet põtifex anni illius, prophetauit quòd Ieſus moriturus eſſet pro gente, Ioan. 11. Non enim indignitas noſtra gratiam Dei prohibet in ſalutem aliorum, atque ita quia per ſacerdotes gratia ſuppeditatur, honorandi ſunt. *1. Pet. 2.*

Sacerdotũ dignitas diuina.

2 Chriſtus quoque apparuit diſcipulis ſuis, præſente Thoma, octauo die reſurrectionis. In hac apparitione, facta ſunt ſeptem.

1 Thomas non credidit condiſcipulis ſuis affirmãtibus Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, ſed dixit: *Niſi videro fixuram clauorum, &c. Nam Thomas non erat cum eis, quando venit Ieſus.* Ecce quàm malum deeſſe bonæ congregationi. Primum enim omnium gaudio priuatus fuit, quod alias habuiſſet conſpicatus dominum poſt tanta ſupplicia, & mortem ignominioſam, tanta cum maieſtate ex mortuis reſurrexiſſe. Gauiſi enim ſunt diſcipuli, viſo domino. Deinde dono ſpiritus ſancti fuit priuatus, & indignus factus, qui Chriſtum videret. *Ioan. 20.*

Congregationi bonorum deeſſe malum.

Vnde Bernardus eum compellans ait: Falleris ô Thomas, quando arbitraris te Chriſtum inuenire extra cœtum ſanctorum, qui ſemper eſt in millibus angelorum. Sed teſte Gregorio, ideò defuit Thomas, vt poſt veniens audiret, audiens dubitaret. dubitans palparet, palpando crederet, & dum vulnera tangeret magiſtri, in nobis cicatrices curaret infidelitatis. Plus enim nobis incredulitas Thomæ profuit, quàm reliquorum diſcipulorum ſubita fides, dum ipſius dubitatione, animus noſter eſt in fide confirmatus. Thomas ergò, qui dubitauit, nobis plus profuit, quàm Magdalena, quæ cito credidit.

Incredulitas Thomæ nobis aliorum fide vtilior.

2 Ieſus venit, & intrauit ianuis clauſis, propter metum Iudæorum. Auguſt. Ille ſolus intrare potuit ianuis clauſis, quo naſcente inuiolata permanſit virginitas matris.

Matth. 18.

3 *Stetit in medio diſcipulorum:* Promiſsionem factam cõfirmans, nempe; Eccleſiæ ſuæ ſeſe ſemper adfuturum, & non hæreticorum conuenticulis ſchiſmaticis. In medio Eccleſiæ aperuit os electorum, & implebit eos ſpiritu ſapientiæ & intellectus. Eccleſ. 15. In medio cõſiſtit virtus. Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſeculi.

Matth. 28.

Princeps pacis Chriſtus.

4 Precatus eſt illis pacem, declarans ſe principem pacis, de quo vaticinatus eſt Iſaias. 9. cap.

Fides per verbum Dei & internam ſpiritus operationem.

5 *Ait Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c.* Qua hiſtoria docetur, Primò, fidem per verbum Dei annunciari, & per internam operationem Spiritus ſancti infundi. Non enim crediďiſſet Thomas, niſi prius audiuiſſet Chriſtum loquentem foris, & habuiſſet Spiritum ſanctum infundentem ipſi fidem: eſt enim donum Dei.

Epheſ 2.

Chriſtus benignus in peccatores.

Deinde docetur, Chriſtum benignum, non auſterum, ſuauẽ, non crudelem eſſe in peccatores: vt qui vni incredulo Thomæ ita ſe contrectandum præbeat, & reliquos peccatores æquè ſuauiter vocet, dicens: Venite ad me omnes, qui onerati eſtis. &c. Matthæi 11. Licet enim Chriſtus ſuperauerit paſsionem, non tamen compaſsionem amiſit. Nam Thomæ incredulitatem ſciebat non ex malitia, quemadmodum Phariſæorum & Scribarum: ſed ex infirmitate humana prouenire, ideo eam ſanare dignatus eſt, iuxta illud, Iuſtus cùm ceciderit, non collidetur, quia dominus ſupponit manum ſuam.

Pſal. 36.

Tertiò, docetur Chriſtum pro nobis decertaſſe, & viam ad cœlos ſua morte paraſſe. Pugnæ & laboris cicatrices in manibus & pectore oſtẽdit, ne ſuam pugnam, ſuoſque labores parui faciamus. Ieremiæ Thren. 1. Attendite omnes qui tranſitis per viam, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.

Thomas duplicem in Chriſto confeſſus eſt naturam.

6 Thomas Chriſtum confitetur Deum atque hominem, dũ ait: *Dominus meus & Deus meus.* Quemadmodum fuit ad credendũ difficilior, ita nemo clarius Deum & hominẽ profeſſus eſt

eſt. Tanta itaque euidentia veritatis victus corde credidit ad iuſtitiam, & ore confeſſus eſt ad ſalutem. Roma. 10. Hominem videbat, & cõfitebatur Deum, quem nec videbat, nec tangebat. Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam. Duplicem in eo confeſſus eſt naturam, humanã qua redemit: dominum enim ipſum nominare ſolebant. Ioan. 13. & diuinam, qua creauit. Heb. 1. Per quẽ fecit & ſecula. Vide Gregor. homil. ſuper Euangelium 26.

7 Chriſtus reſpondit Thomæ: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: Beati qui non viderunt, & crediderunt.* His verbis expreſſa eſt noſtra beatitudo. Cùm aliquis iam iſto tempore dicit: Vtinam fuiſſem temporibus illis, & Chriſtum vidiſſem, cogitet quia beati, qui non viderunt, & crediderunt. Ergo, ſi volumus etiam diuini oris pronuntiatione eſſe beati, credamus, tametſi non viderimus: viſuri quandoque glorioſius, quàm Thomas & alij. In quem quoque nunc non videntes, creditis: credentes autem, exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportãtes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum.

Beatitudo noſtra non videre & credere.

1. Pet. 1.

Et diſcimus hic, fidem non eſſe ex nobis, neque in noſtra ſola facultate conſiſtere, etiam ſi audiamus apoſtolos prædicantes: quod liquet ex verbis Thomæ. Eſt enim fides opus Dei, Paulus vocat illam operationem Dei. Conſule Auguſt. lib. 4. de doctrina Chriſtiana. cap. 16.

Coloſſ. 2. *Epheſ. 2.* *Vocat illã donum Dei.*

Diſcimus proinde fidei principium eſſe timorem, humilitatem, pœnitentiam, vt conſtat ex hiſtoria Thomæ, Iſai. vlt. Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & trementem ſermones meos? Faciunt ergo timor, humilitas, pœnitentia, vt ad nos reſpiciat Deus, ex ſententia Iſaiæ.

Principiũ fidei timor, humilitas, & pœnitentia.

Cæterum diſcimus, fidem debere per crucem & tribulationem probari atque examinari, velut aurũ per ignem. Hinc vox Pauli, verbum Euangelij, verbum crucis. 1. Cor. 1.

Fides per crucem probatur.

COMPENDIVM.

1 *Prima vox Chriſti poſt reſurrectionem eſt (pax) vt ſciamus Chriſti & Euangelij prædicationem pacis eſſe, quæ exhilaret conſcientiam.*

Prædicatio pacis & Euangelij exhilarat conſcientiam.

2 *Eccleſiæ ſymbolon eſt pax. Vnde Chriſtus Eccleſiam & eccleſiaſticam auctoritatem fundaturus, pacis peculiarem illi ſalutationem præmittit ſignificans periculum, quo catholici ab hæreticis diſcerni queant, eſſe pacem. Catholicus laborat, vt congreget, peruerſus, vt diſpergat. Innuens quoque Eccleſiaſtes & Apoſtolos, totamque eccleſiam vnitatem fidei, & animorum debere habere. 1. Cor. 1. Rogo, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sic Act. 2. & 4.*

Symbolum eccleſiæ pax.

3 *Euangelium Chriſti complectitur, abſoluere & ligare: abſoluit, cùm remittit peccata: ligat cùm iudicat omnes impios, qui contemnunt verbũ Dei.*

Euangelium cõplectitur abſoluere & ligare.

4 *Dubitatio Thomæ (quia electis omnia in bonum) profuit. Hinc enim plenius & diuinitatem & humanitatem Chriſti confitetur, dicens: Dominus meus, & Deus meus.*

DO-

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAS PASCHAE QVAE EST: MISERICORDIA DOMINI, EPISTOLA.

1.*Pet*.2. *Chariſsimi, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Qui cùm malediceretur, non maledicebat: & cùm pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti ſe iniuſte, qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitia viuamus, cuius liuore ſanati eſtis. Eratis enim ſicut oues errantes, ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.*

IN HAC Epiſtola, diuus Petrus facit tria.

Veſtigiis Chriſti inhærendū. 1 Primò, admonet nos, vt Chriſti veſtigiis inhæreamus, atque ſequi debeamus, cùm ait: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* His verbis oſtendit Petrus, qui volet eſſe diſcipulus Chriſti, eum oportebit Chriſtum ſequi, atque eius crucem baiulare, iuxta illud: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & ſequatur me. Oportebit quoq; eum varias tentationum, afflictionum, perſecutionum, & calamitatum procellas perpeti. Hinc ait Chriſtus: Qui non baiulat crucem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Marc. 8. ſic ait: Qui enim me confeſſus fuerit, & verba mea in generatione iſta adultera & peccatrice: & filius hominis confitebitur eum, cùm venerit in gloria patris ſui cum angelis ſuis. Quò ergo iniuriarum & affectionum Chriſtianus plus patitur, eò propior & maior eſt eius felicitas. In ſumma Paulus ait: Oportebit Chriſtianos fieri cōformes imagini filij Dei. Ro. 8. Et ſi cum Chriſto patimur, & vnà cum illo glorificabimur.

*Matt.*16. *Luc.*14. *Roma.*8.

In quibus Chriſtum imitari debemus. 2 Secundò, oſtendit diuus Petrus quibus in rebus Chriſtum imitari debeamus, cùm ait: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* Iſai. 53. His verbis oſtendit Petrus, quòd Chriſtus filius Dei, omnia afflictionum genera, æquiſsimo animo pertulit: neminem læſit, neminem affecit iniuria. Hinc ait, Matth. 11. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Neminem calumniatus fuit. Hinc ait Luc. 6. Orate pro calumniantibus vos. Omnia vindictæ Dei patris reliquit. Hinc ait Luc. ſexto: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, benefacite maledicentibus vobis. Et quæ docuit verbo, cōpleuit opere. Quæ docuit, cœpit facere. Actuū primo: Orauit pro crucifigentibus ſe, dicens: Pater remitte illis, quia neſciunt quid faciunt.

1.*Ioan*.3. *Luc*.23.

Exempla Chriſtianis imitanda. Habet quoque eius rei imitatores: Ioſeph fratrum ſuorū iniurias patienter tulit, omnia Deo cōmittens. Gen. 37. Dauid filij ſui Abſalon, & Semei calumnias pertulit. 2. Regum 15. 16. Stepha-

Stephanus orauit pro ſuis inimicis: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Act. 7. Quæ exẽpla imitari debent omnes Chriſtiani, minimè verò vltionem & vindictam quærere de inimicis & hoſtibus, ſed ei tradere vindictam, qui iuſtè iudicat. Ait enim: Mihi vindictam, & ego retribuam. *Deut. 32.*

3 Tertiò, Apoſtolus adducit rationem, cur Chriſti veſtigia inſequi debeamus, cùm ait: *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum: vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus: cuius liuore ſanati eſtis. Eratis enim ſicut oues errantes, ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorem & epiſcopum animarum veſtrarum.* His verbis oſtẽdit Petrus cauſam, quare Chriſtus hæc omnia tormenta tanta animi æquitate & moderatione tulerit: nempe, vt ferendo omnes illos cruciatus in corpore ſuo, nõ in diuinitate, quę corpori & animæ erat coniuncta ſuper lignũ crucis, nos, qui peccati vulnere mortui, & criminũ peſte infecti lethaliter eramus, eius morte reuiuiſceremus, & ſanctiſsimo ſanguine quaſi medicamine opportuniſſimo, ſanitati reſtitueremur. Vnde Chriſtus factus eſt nobis iuſtificator, vt ſi impius egerit pœnitentiã, &c. Chriſtus etiam factus eſt nobis ſaluator, vt ſaluũ faciat populũ ſuum à peccatis eorum. Mat. 1. Factus eſt nobis redemptor: iuxta illud, Redemptor noſter Dominus exercituũ. Iſai. 47. Factus eſt nobis medicus, ipſo ſic per prophetam teſtante: Vt mederer contritis corde. Iſai. 61. Factus eſt nobis viuificator, iuxta illud: Viuificauit nos poſt duos dies, Oſe. 6. Factus eſt nobis pontifex: teſte Paulo: Habentes ergo põtificem magnum. Heb. 4. Factus eſt nobis Chriſtus, paſtor bonus, ipſo dicente: Ego ſum paſtor bonus.

Ratio cur Chriſtus imitãdus. *Quare Chriſtus tanta pertulerit.* *Ezech. 18. & Ierem. 18.* *Ioan. 10.*

Sumus enim Chriſti morte à Satana, morte æterna, peccatis, & inferno liberati, ſumus Chriſti morte ac reſurrectione iuſtificati. Rom. 4. Sumus Chriſti liuore ſanati, cælum adepti, vitam æternam ſortiti. *Mors Chriſti noſtra ſalus et vita.*

Chriſtus autem hæc omnia pro nobis tolerauit, *vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus:* hoc eſt, vt mortui ſimus ad peccandum, & viui ad illa exequenda opera, quibus Deum placemus, & vitam promereamur æternam. Quam phraſim ſacræ ſcripturæ, clarius ſic reddas. Sicut enim qui mortuus eſt, nihil operatur: ita qui iuſtificatus eſt, mortuus debet eſſe peccatis, id eſt, non debet peccare. Et quemadmodũ qui viuit, operatur: ita qui iuſtitiæ viuit, opera iuſtitiæ facit. Ad hoc ſumus viuificati, vt viuamus, non nobis, ſed iuſtitiæ. *Mortui peccatis iuſtitiæ viuamus quid.*

Appendix.

Cùm igitur Chriſtus pro nobis crucifixus, mortuus, & ſepultus ſit, morte ſua peccata noſtra deleuerit, reſurrectione ſua nobis iuſtitiã comparauerit, & ſpiritum ſuũ donauerit: æquiſſimum eſt, vt Chriſti ſpiritũ ſequamur, carnem noſtrã mortuã debere eſſe peccatis ſciamus, pœnitentiam de præteritis malis agamus, *Roma. 4.*

agamus, bona opera faciamus, & non redeamus veluti canes ad vomitum, ſed in bonis progrediendo, fructus, id eſt opera iuſtitiæ faciamus.

Eccleſia catholica ſola habet ſpiritũ ſanctũ.

Eccleſia catholica Romana ſola habet Spiritum ſanctum: Diabolus regit omnes illos, qui hanc eccleſiam non agnoſcũt matrem, ſponſam Chriſti, columnam & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3.

Chriſtus omnibus exemplum.

SVMMA.

1 *Quia gaudet, quia mortuus eſt pro ſe Chriſtus, ille attendat id quod ſequitur: Relinquam omnibus exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.*

2 *Doctrina pro tota Eccleſia, quid pro illius liberatione, auctor Eccleſiæ Chriſtus pertulerit. Epheſ. 5.*

Curator & paſtor animarũ Chriſtus.

3 *Chriſtus paſtor, curator, & viſitator animarum noſtrarum eſt. Ezechiel. 34.*

DOMINICA MISERICORDIA DOMINI, EVANGELIVM.

Ioan. 10.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues: mercenarius autem fugit: quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut nouit me pater, & ego cognoſco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere: et vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.

HOC Euangelium complectitur tria.

Bonus paſtor quis.

1 Primò, officium boni & mali paſtoris. Eſt autem bonus paſtor, qui intrat per oſtium in ouile ouium: hic cognoſcitur ex vocatione. Nam ipſe non ſe ingerit ſymonia aut ambitione impulſus, ſed vocatus à Deo & miſſus, ſicuti Aaron, Heb. 5. Deinde hic cognoſcitur ex doctrina. Nam prædicat doctrinam catholicam eccleſiæ Romanæ cõformem, paſcit, curat, & tuetur oues verbo Dei, ſana doctrinã, nõ ſectaria. Preterea cognoſcitur hic ex vita. Nam non ita publicè peccat, vt legis diuinæ contemptor videatur, ſed iuxta Dei legem, vitam ſuã, quantum poteſt, inſtituit. Hos Paulus vocat miniſtros Dei. 2. Cor. 6. Diſpenſatores myſteriorum Dei. 1. Corint. 4. Coadiutores. 1. Cor. 3. Agricolas, ibidẽ & ædificatores: Epiſcopos, Act. 20. Paſtores. Epheſ. 4. & doctores. 1. Cor. 12.

Boni paſtoris exemplũ Chriſtus.

Boni paſtoris ſpecimen & exemplum ſe præbuit Chriſtus, inquiens: *Ego ſum ille paſtor bonus*. de quo Iſai. 40. & Ezech. 34. promiſsio facta eſt. Verè bonus paſtor. Ipſe enim hos paſcit corporeo nutrimento. Matth. 6. Pſal. 144. Item Pſal. 135. Qui dat eſcam omni carni. Paſcit verbo diuino, Matt. 4. Paſcit corporis

poris ſui ſacraméto. Ioan. 6. Ipſe dirigit oues ſuas, curat & tuetur, Ezech. 34. Hunc paſtorem petebat Moſes, cùm diceret: Prouideat Dominus Deus ſpiritum omnis carnis, hominem qui ſit ſuper multitudinẽ hanc, & poſsit exire & intrare ante eos, ne ſit populus iſte ſicut oues abſque paſtore. *Num. 27.*

Eſt autem malus paſtor, dictus mercenarius, qui non eſt miſſus, ſed ipſe venit. Mercenarius eſt de numero illorum prophetarum, de quibus Ierem. cap. 23. ait: Non mittebam eos, ait Dominus, & ipſi currebant. Quorum mores idem propheta deſcribit, cap. 27. 14. & infra 29. Tales ſunt noſtri tẽporis hæretici, qui cùm Deus illos ad ſuas vocationes traxerit, ipſi neglecta ſua vocatione, ex didaſcalis, ſartoribus, & bubulcis ſe faciunt miniſtros verbi diaboli. Paulus vocat eos canes, Philip. 3. operarios malos, & inimicos crucis Chriſti, ibidem: vocat eos ventres pigros. Tit. 1. & malas beſtias: vocat pſeudoapoſtolos, & falſos fratres. *Paſtor malus mercenarius.* *2. Corint. 11.*

Non ergo eſt bonus paſtor, qui non per ipſum, & propter ipſum ouium ſuſcipit curam, nec ſyncerè irrumpit. Non enim poteſt eſſe verus paſtor, niſi purus ab omni cupiditate commodi priuati, niſi vitæ quoque ſuæ contemptor, cùm neceſsitas cogit, pro ouium ſalute exiſtat. *Paſtor non bonus quis.*

Qui ergo plus terrenam ſubſtantiam, quàm oues diligunt, hi meritò nomen paſtoris perdunt, qui non pro amore intimo, ſed ad temporales mercedes paſcunt: locum quidẽ paſtoris tenent, ſed lucra animarum non quærunt, terrenis commodis inhiant, honore prælationis gaudent, tẽporalibus lucris paſcuntur, impenſa ſibi reuerẽtia ab hominibus lætãtur. Hos Chriſtus optimo cognomine mercenarios vocat. Iuſtum quidem eſt & lac & lanam percipere eũ, qui gregem paſcit: ſed nihil aliud quærere, nedum impium, ſed & ſtultum eſt. Fidelibus enim paſtoribus, nedum quæ ad temporalem victũ & veſtitum pertinent, conceduntur: ſed & æterna præmia promittuntur, vt patet in parabola de ſeruis. Stultus igitur eſt, qui cùm & temporalia & æterna habere poſſet, ipſe ſolis temporalibus contentus eſt. *Nomen paſtoris perdũt qui lucra tantum quærunt.* *Matth. 25.*

Lupus ergo veniens indicat, quo quiſque animo ſuper gregis cuſtodiam excubat: Mercenarius ſi viderit lupum venientem, hoc eſt, ſi vitæ ingruat periculum, proditis ouibus, ſuæ vitæ fuga conſulit, gregem lupo diſsipandum & dilaniandum relinquit. neque enim gregis interitus diſcruciat animum mercenarij. Ita fit, vt ſimul & domino pereat quod vnicè diligebat, & grex veniat in exitium, qui ſeruari poterat. *Lupus indicat quo animo quiſque in gregis cuſtodiam excubat.*

Mercenarius dicitur fugere, cum hæreticis non obſiſtit ex timore, ne quid incommodi patiatur, fugit cùm verbum exhortationis ſubtrahit, cùm vitia ſubditorũ non corripit, ſed tacet, conniuet, diſsimulat, ne quem offendat, fugit cùm quod ſtulti *Mercenarius quando fugere dicitur.*

gregis

Iſai.56. *Ierem.5.* gregis libidini adlubeſcit: hoc docet, vt gloriã venetur & commodum.

Luporum & hæreticorum natura. 2 Complectitur ſecundò hoc Euangelium naturam luporũ, & ouium: nam lupi diſpergunt, rapiunt, lacerant, occidunt, & perdunt oues. Sunt autem lupi duplices: Clancularij, vt hypocritæ & pſeudoprophetæ. *Lupi duplices.* Hi non parum incõmodant eccleſiæ catholicæ: nam dum ſuis ſeruiunt voluptatibus, ſub ſanctitatis prætextu, miras præſtigias perſuadent ſimplicioribus, nempe odium religioſorũ, clericorum, aliaque vitia quamplurima, 2. Tim.3. Manent inter catholicos, facientes quæſtum ex pietate. 1. Tim.6. Hi ſunt lupi tantò crudeliores, quãtò magis ſub ouina veſte, luporum truculentam ſæuitiam occultatam geſtant, Matth.7. Attendite à falſis prophetis, &c. *Lupi ſunt hæretici & tyranni.*

Alij lupi ſunt manifeſti, quales ſunt hæretici hæreſeos damnati, & tyranni, de quibus Ezechiel: *Cap.22.* Principes eius in medio illius quaſi lupi rapientes prædam, ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas, & auarè ſectanda lucra. Ab his ſedulò eſt cauendum, quia etſi Chriſtum exterius præ ſe ferant, & ore crepent, intus tamen diabolum habẽt. *2.Cor.11.* Nam eiuſmodi pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. *Oues item duplices.* *Quo ad naturam ouium oportet ſcire oues eſſe* duplices: Sunt obedientes, quæ audiunt vocem paſtoris, & ſequuntur paſtorem. *Chriſtiani oues Chriſti.* Sunt etiam inobedientes oues, quæ non audiunt vocem paſtoris, & contemnunt paſtorem. *Pſal.78. & 94. & 99.* Omnes itaque Chriſtiani intelligãt ſe oues eſſe Chriſti: iuxta illud Pſal. Nos populus eius, & oues paſcuæ eius, ipſiſque tam eſſe charas, vt animam ſuam & vitam dederit, vt ipſas de ore luporum & leonum infernalium liberaret. hinc repetit: *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ.* Sicut nouit me pater vt germanũ filiũ, ſuæque voluntati per omnia obſequentem, ſic & ego agnoſco patrem & diligo, & ſermonem eius ſeruo, & animam meã pono pro ouibus meis, Iſai.53. Tradidit in mortem animam ſuã. Qui igitur libenter audit huius paſtoris terribiles comminationes, vel ſanas exhortationes, hoc eſt dulces voces, ſperet ſe eius fore ouem. *Ioan.10.* Nam ipſe Chriſtus ait, *Oues meæ vocem meam audiunt.* Qui autem hæc non libenter audiunt, illis per Zacha. loquitur Dominus, ac dicit: *Cap.11.* Non paſcam amplius oues inobedientes, nec defendam. Timeant grauiſsimam comminationẽ, omnes inobedientes.

Merces paſtorum. Bonorũ, vita æterna. 3 Tertiò complectitur hoc Euangelium mercedem paſtorũ. Primò bonorum, nempe vitam æternam. de qua Dan.12. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi, &c. & 1. Pet.5. Paſcite qui in vobis eſt, gregem: & cum venerit princeps paſtorum, accipietis coronam immarceſsibilem. *Malorũ, mors æterna.* Deinde cõplectitur mercedem malorum, nempe, mortem æternam, de qua, Ezech.34.

Væ

Væ paſtoribus, qui paſcunt ſemetipſos, &c. Item. 3. Si non annunciaueris neque locutus fueris, ſanguinem eius de manu tua requiram, & Philip. 3. Multi ambulant, &c. quorum finis eſt interitus. Cæterùm complectitur etiam mercedem ouium, primò bonarum, nempe vitam æternam. Chriſtus enim dicet illis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, &c. Matth. 25. Deinde ponit mercedem ouium malarum: nempe ignem æternum. Chriſtus enim dicet illis: Ite maledicti in ignem æternũ, Ibidem. Sed ne quis putaret præmiſſas promiſsiones, vel comminationes ad ſolos Iudæos pertinere, addit Chriſtus, dicens: *Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, &c.* Qua ſententia, Chriſtus propriè vocationem gentium prædixit, de qua ſic in Pſalmo 2. Deus pater filio dicit: Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. & in Iſaia. 49. Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Et filius ipſe, Malach. 1. Ab ortu ſolis vſque ad occaſum: magnum eſt nomen meum in gentibus. Et iterum: Matt. 8. Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, &c. *Et illas oportet me adducere.* Nã Ieſus non ſolũ moriturus erat pro gente, ſed vt filios Dei qui diſperſi erant, congregaret. Ioan. 11. vt non ſit Iudęorum Deus tantum, ſed & gentium, Ro. 10. Vnde idem Apoſtolus: Rom. 1. Euangeliũ Dei virtus eſt ad ſalutẽ omni credenti, Iudæo ſimul & Græco. Signanter hoc verbo oſtendit ſuum & Apoſtolorum officium eſſe, vt adducant homines Deo. Non habet enim paſtor Euangelicus quod ocietur. Sunt enim aliqui in ouili, ſed iidem adhuc multis malis obnoxij, teſte Ezech. 34. quibus ſanandis fidelis paſtor inuigilare debet. Alij extra ouile degunt, hi adducendi & extrahendi ſunt. Alij partim in Eccleſia, partim extra Eccleſiam ſunt, qui videlicet aut fide, aut operibus deficiunt. Omnibus his ſuccurrere debet fidelis paſtor, vt in vnitate Eccleſię audiant vocem Chriſti, & dicant cum Petro: Ad quem ibimus? Verba vitæ habes, Ioan. 6. *Et erit vnum ouile & vnus paſtor.* Non vult Chriſtus hoc verbo poſt nouiſsimam iudicij diem omnes & bonos & malos ſimul in vnum æternæ vitæ locum congregandos eſſe, vt quidam falsò colligunt: non enim dixit Chriſtus omnes homines in vnum ſtabulum congregandos, ſed, Erit vnum ouile, inquit. Ad ouile autem, nec canes, nec hirci, nec porci admittuntur, ſed ſolæ oues. Patet igitur, quòd locus hic non de malis loquitur, ſed tantum de bonis qui oues dicuntur. Huc pertinet, quod Chriſtus dicit, in iudicio oues ab hœdis ſeparandas, & aliud iudicium ouiũ, aliud, hœdorũ futurũ, tantum abeſt vt in vnũ ouile congregentur. Sic Paulus: 1. Cor. 5. Eph. 5. Omnis, inquit, fornicator, aut auarus, &c. non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei: & Ioã. Apo. 22. Foras, inquit, canes & malefici, &c.

Merces ouium Bonarũ, vita: Malarũ, mors & ignis.

Vocatio gentium.

Apoſtolorum officium.

Gentes incircunciſæ aliæ oues. Igitur aliæ illæ oues Gentes incircunciſæ ſunt, quæ non ſunt ex ouili Iudæorum, non enim habebant teſtamenta, non erant de progenie patriarcharum, alieni erant à Chriſto, abalienati à Republica Iſraëlis, &c. Nihil igitur aliud vult Chriſtus hoc verbo, quàm quòd paries ille inimicitiarum, qui hactenus Iudæos à gentibus ſegregauerat, demoliendus eſſet. Ephe.2. omniumque electorum ſiue è Iudæis, ſiue è gentibus futura eſſet vna Eccleſia. *Pſal.117. & Act.4. Lapis angularis Chriſtus.* Hinc Chriſtus dicitur lapis angularis, propterea quòd duos in ſe populos tanquam parietes complectitur. Hinc & Paulus: Ipſe, inquit, eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, Ephe.2. Sic & Zach.6.cap. Ipſe, inquit, ædificabit templũ Domino, & concilium pacis erit inter duos illos, puta Iudæos & gentes. Iam cùm gentes ſtatim poſt aſcenſionem Chriſti vocari cœptæ ſint, conſtat quòd verbum hoc Chriſti iamdudũ impletum eſt, & quotidie impletur. Ibunt ergo mali in ſuppliciũ æternum, iuſti verò in vitam æternam. *Matth.25.*

Quòd autem omnium electorum, ſiue è Iudæis, ſiue è gentibus, vna dicitur Eccleſia, non intelligendũ eſt, quòd omnes electi in vno loco ſint, vel conuenire debeant in hac vita. *Epheſ.4. Vna Eccleſia, & in ea ſaluamur.* Sed ideo dicitur vna Eccleſia, propter fidei, ſpei charitatiſque vnitatem. Ipſa eſt enim vnũ myſticum corpus Chriſti, quod ab vno capite Chriſto gubernatur, vno Spiritu ſancto viuificatur, vna lege regulatur, vno fonte purificatur, vno pane reficitur, ad vnam patriam proficiſcitur. Ex hoc igitur verbo colligitur, quòd nemo ſaluatur, niſi in vno hoc ouili Eccleſiæ inueniatur. Huius figura præceſsit in arca Noë, &c. 1.Pet.3. *Geneſ.7.* Officium boni paſtoris ita deſcribit Chriſtus hoc Euangelio, vt ſibi boni paſtoris encomium iure competere euincat. *Boni paſtoris encomiũ Chriſto competit.* Ait enim boni paſtoris officium eſſe, tam charas habere ſuas oues, vt pro eis cõſeruandis animam ſuam, hoc eſt vitam, ſi res ita poſtulauerit, ſit effuſurus. Quod quidem quanta promptitudine Chriſtus fecerit, deprehendet facilè, qui ea quæ ſeptimana ſancta geſta ſunt, ſeria conſideratione perpenderit. Inde fiet, vt vnuſquiſque noſtrũ in eius amorem inardeſcat, cuius tanta fuit benignitas, vt non pro ſuarum ouium animabus è cælo deſcenderit, verùm & animam ſuam ac vitam in earum redemptionem dederit, 1.Ioã.3. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animã ſuam pro nobis poſuit.

Paſtorum eſt gregi inſeruire ipſumque paſcere. Diſcant hinc paſtores diligẽter inſeruire gregi diuino, ipſumque cæleſti ac ſana doctrina paſcere. Quod ſi lupos viderint venientes, dilaniaturos oues falſis doctrinis ac peruerſis dogmatibus, viderintque ſuas oues perituras, ac ſubuertendas, ſi ipſi fugiant, conſtituras autem in fide ſi ipſi adſint, caueant ſibi à fuga: Conſiſtant animo maſculo, & intrepido contra hæreticos, contra falſos prophetas, Deus aderit illis. *Rom.8.* Et ſi Deũ pro ſe habent, quis

quis contra ipſos? Quod ſi ad carceres rapiantur & neci dētur, dicant id tyrannis, quod tres illi pueri Regi Nabuchodonoſor, Dan. 3. Deus noſter quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi Rex, quia deos tuos non colimus, & ſtatuam auream quam erexiſti, non adoramus. O felices paſtores, ô feliciſsimos Epiſcopos Anglos, qui pro ouibus veſtris in ergaſtula arctiſsima compacti, ita prælia Domini aduerſus hæreticos præliamini, vt oues Chriſti vinculis veſtris in eiuſdē Chriſti amore & eius ſponſæ Eccleſiæ Romanæ obedientia & cultu fortiter conſtrictas teneatis.

SVMMA.

1 *Chriſtus paſtor ille bonus, qui animam ſuam dat pro ouibus ſuis, docet quid ad bonum ac verum paſtorem pertineat, & in quo verus bonúſque paſtor à falſo & prauo paſtore diſtinguatur, quid etiam ad bonos pertineat ſubditos. De hoc paſtore ad Hebr. 13. ſcribitur: Deus pacis qui eduxit de mortuis paſtorem magnum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum aptet vos in omni bono.* *Bonus paſtor Chriſtus boni paſtoris officiū docet.*

2 *Diſcrimine mercenarij & paſtoris boni Chriſtus Phariſæos notat, qui indignè ferebant quòd multi Chriſto adhærerēt, ſe relictis, cùm non eſſent niſi fures & latrones.* *Notantur Phariſæi.*

3 *Vocatio Gentium & Iudæorum in obedientiam fidei, vt ſit vnum ouile & vnus paſtor.* *Vocatio gentium.*

DOMINICA SECVNDA POST OCTAVAS PASCHAE, QVAE EST IVBILATE, EPISTOLA.

CHariſſimi, Obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam: Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam, vt in eo, quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis. Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus, tanquam ab eo miſsis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei, vt benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate. Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Hæc eſt enim gratia Dei in Chriſto Ieſu Domino noſtro. 1. Pet. 2.

IN HAC Epiſtola diuus Petrus facit tria.

1 Primò hortatur omnes Chriſtianos, vt à concupiſcentiis & carnalibus deſideriis abſtineant, & inter gentes habeant bonam & honeſtam cōuerſationem, Idque ob duas cauſas. Prior cauſa, quoniā in hoc ſeculo Chriſtiani ſunt hoſpites, aduenæ, & *A carnalibus deſideriis abſtinendū propter duas cauſas.*

 peregris

peregrini. Altera cauſa eſt, quoniam in hoc ſeculo, inimici Eccleſiæ perpetuò pios Chriſtianos perſequuntur, detrahũt illis, inſimulant eos multorũ criminũ: adeò vt paſsim malè audiant, atque odio habeantur. Eſt enim vita Chriſtianorum, militia

Vita Christ ianorum militia eſt.

ſuper terram, Iob 7. perpetuũ bellum, & aſsidua pugna in hoc ſeculo, non aliter atque militum in caſtris, Ephe. 6. Deus enim exercituum ſemper habet eductas copias, cõtra ſatanam, portaſque infernales. Vbique proclamat Euangelium, ſonant claſſica, canunt ſigna, militares adhortationes implẽt aures: Pugna fortiter, reſiſte viriliter, punge, macta, vince, ſta, ne cadas: nã corona expectat victorem. Apo. 2. Iaco. 1. Hoc prælium incipit à baptiſmo, & durat vſque ad mortem. Sicut olim Gẽtiles detrahebant Chriſtianis, ipſos diffamantes, magnaque inuidia grauantes apud populum: ita nunc inimici Eccleſiæ catholicæ, ſcilicet, Lutherani, Caluiniſtæ, Brentiani, Anabaptiſtæ, Turcæ, Sacramentarij, infamant ſummum Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, Clericos, Monachos, omneſque Chriſtianos.

Cõuerſatio bona inter gentes quæ.

Sed Petrus optimè nobis conſulit: nempe, vt conuerſationẽ bonam habeamus inter gentes, hoc eſt, vt ita vitæ noſtræ inſtituamus actiones: vt viuẽtes inter ipſos hæreticos ea opera agamus, quæ ipſos qui nobis detrahunt, confundant, & ad meliora compellant: glorificentque Deum, videntes nos bonis ac ſanctis ſtudiis illorum vincere malitiam. Tale quid etiam monet Paulus: Sitis, inquit, ſine querela, & ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione, in medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucete, ſicut luminaria in mundo, &c. Tit. 2. exemplum eſto fidelium, &c.

Philip. 2.

1. Timot. 4.

2 Secundò, Petrus admonet omnes, vt ſubditi ſint omni humanæ creaturæ: id eſt, omni humanæ ordinationi, atque cuiuis magiſtratui, cum ſacro tum prophano: atque omnia quæ iuſſerint, decreuerint, conſtituerint, & ordinauerint, non repugnantia Deo, obſeruent, & imperata faciant: idque propter Deum, cuius authoritate imperant, & leges condunt, aliaſque ordinationes faciunt, Prou. 8. Quod ſi Turca, Tyrannus, Lutherus, diabolus, aut mundus, fidei tuæ rationem ex te quæſierit, liberè confiteri oportet, iuxta illud Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Si verò ſuo more, ad aliquid, quod legi Dei aduerſari videatur, te inducere, aut compellere velint, intrepidè reſpondeas: hæreticum atque magiſtratum prophanum nihil iuris prorſus habere in animam, nec in res ſacras, contra Deum & pietatem. Debet enim magiſtratus prophanus, relinquere Deo, & Eccleſiæ ſuũ imperium intactum: nec licet eis falcem in meſſem alienam mittere, cùm ex Chriſti decreto ſint relinquenda Cæſari, & Chriſto ſua.

Rom. 13.

Obediendum magiſtratus.

Fides ore confitenda.

Act. 5.

Matth. 22.

Petrus igitur hac lectione, docuit fideles ſui ſeculi, ne religionis

nis titulo vllam molirentur rebellionem, nec obedientiam ſuis negarent magiſtratibus: ſed pacis ſtudioſos ſe præſtarent. Vtinam hæretici noſtri temporis, expreſſum hoc Dei verbum pro dignitate perpenderent. Non enim inobedientiam, & rebellionem docerent ſubditos aduerſus ſuperiores.

Magiſtratus quippe à Deo inſtitutus eſt, in laudem bonorum, vindictam verò malorum, ne putent iudices ſuarum partium eſſe, mala tantum punire: Debent enim bonis viris ſuum patrocinium: ſunt enim aſſertores veritatis & probitatis. Quid ita? Quia hæc eſt voluntas Dei, vt obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Magnam emphaſim habent verba illa Petri: *Quia ſic eſt voluntas Dei.* Agunt ſanè contra voluntatem Dei hæretici noſtri ſeculi, qui ſunt cauſa, vt ſubditi paſsim tumultuentur: vnde hos manet horrendum iudicium. Nam ſex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius, hoc eſt, eũ qui ſeminat inter fratres diſcordias. Quàm grauis culpa ſit diſcordię & ſchiſmatis, liquet, pro qua nec munus accipitur, niſi ante ab animo pellatur: hinc Prou. 17. Semper iurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum.

Magiſtratus à Deo inſtitutus.

Hæreticus cõtra Dei voluntatẽ ſchiſmata ſeminat.

3 Tertiò, præcipit hic ſeruis & famulis, vt cum timore obediant dominis, *non tantum bonis & humanis, verùm etiam prauis & iracundis.* Nam gratiam habent apud Deum, qui præter meritũ, & propter pietatem & iuſtitiam affliguntur.

Famulis obediendum dominis.

Sed vana eſt eorum gloriatio, qui pro meritis puniuntur, & plectuntur, qui peccantes, alapis & colaphis cæduntur. 1. Petri 2. Vana eſt igitur gloriatio Anabaptiſtarum, aliorumque hæreticorum, qui cùm extremo ſunt afficiendi ſupplicio, videntes furcam, aut ignem, falſa & diabolica lætitia diſſoluũtur. Cauſa, non pœna patientis animum conſolatur. De cauſa verò, an ſit iuſta nec ne, certos nos reddit Eccleſiæ iudicium, & ſentẽtia, non noſtrum. Hoc teſtatur Paulus: Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum, qui autem iudicat me, dominus eſt. Aperta eſt ſpiritus ſancti ſententia, quòd vel in propriis actionibus iudicandis, non noſtrum, ſed Eccleſiæ iudicium debeamus conſulere.

Rom. 12. *Epheſ 6.* *Coloſſ. 3.* *Tit. 2.* *2. Cor. 7.*

Gloriatio Anabaptiſtarum & aliorũ vana.

1. Cor. 4.

Qui nunc voluerint eſſe Chriſtiani, non debent reſpicere dominorum ſuorum aut prælatorũ moroſitatem, amarulentiã, vel difficultatem: ſed cõtemplentur, audiantque quæ Chriſtus præcipiat, ſecumque cogitent atque reuoluant, qualeſcunque ſint domini vel heræ, manſueti vel immites: tamen iis libenter inſeruiant ac famulentur, &c. idque propter Chriſtum, qui & propter nos ſeruus factus eſt, Philip. 2. Matt. 20. Loquitur autem hic de ſeruis, in quos domini tantum habebant imperium, vt liceret more pecudis vendere, aut crudelius etiam tractare.

Inſeruiendum & malis propter Chriſtum.

Cum igitur atrocius exercerentur, difficulter ab Apoſtolo permouebantur ad obediendum dominis aſperioribus.

Concupiſcētia carnis voluntaria peccatū, inuoluntaria, nullum.

1 Docemur præſenti Epiſtola neceſſarium eſſe ad ſalutem, vt his carnis concupiſcentiis reſiſtamus, quæ niſi voluntatis conſenſum extorqueant, minimè ſunt peccata, nec peccati mortalis vllam habent rationem: quin materiam præſtant meredi. quamuis ipſa concupiſcentia, de qua hic loquimur, ſemper ſit mala, non eſt tamen ſemper peccatum. Si verò voluntas prorſus ei acquieſcat, tum concupiſcentia, quam hic Petrus deſiderium carnis appellat, eſt peccatū mortale: non ratione ſui, ſed voluntatis, cuius conſenſus ei acquieuit.

Opera Chriſtianis neceſſaria.

2 Docemur opera bona Chriſtianis eſſe neceſſaria, vt quæ Dei gloriam promoueant, & proximos ædificēt, atque ex Dei ſpiritu & gratia, vitam promereantur æternam.

Religio & libertas Chriſtiana non tollunt obedientiā ſuperiorum.

3 Docemur Chriſtianam libertatē non reddere nos immunes ab obedientia magiſtratus, prælatorum, nec ab obſeruantia ipſarum legum, quarum condendarum authoritatem habent à Deo, tum reges, tum prelati. Nec tollit religio Chriſtiana ſubiectionem & obedientiam, quam ſerui Chriſtiani debent ſuis dominis, quantumuis dyſcolis & moroſis.

EPILOGVS.

1 *Apoſtolicus ſpiritus obſecrat, hortatur, inuitat, ad veram innocentiā vitæ, peregrinos nos & veluti hoſpites cælo renatos.*

2 *Ordo mundi, religionis occaſione, quatenus id licet, incolumi Chriſti gloria turbandus non eſt, ne quis libertatem in occaſionem vertat carnis, quod, proh dolor, multi faciunt.*

3 *Magiſtratus functio orbi neceſſaria, in laudem rectè agentium, & vindictam nocentium. Rom. 13. 1. Pet. 2.*

DOMINICA IVBILATE,

EVANGELIVM.

Ioan. 16.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem. Dixerunt ergo diſcipuli eius ad inuicem: Quid eſt hoc quod dicit nobis? Modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem? Dicebant ergo: Quid eſt hoc quod dicit modicum? Neſcimus quid loquitur. Cognouit autem Ieſus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me: Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mūdus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudiū. Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius. Cùm autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur nunc triſtitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

Hoc

Hoc Euangelium complectitur tria genera crucis: ſcilicet crucẽ Chriſti, in primo loco. Ait enim Chriſtus de ſeipſo: *Modicum & non videbitis me, & rurſus modicum, & videbitis me.* His verbis Chriſtus animos diſcipulorũ ad mortem ſuam iam inſtantem præmunit, ne nimia deiicerentur triſtitia. Et quia capiendus erat à Iudæis, crucique affigendus, & ſepulturæ tradendus, idque iam iam, ideo ait: *Modicũ & non videbitis me*: indicans abſentiæ breuitatem. Et quia exemplo Ionæ ſum ad triduum tantum ſepeliendus, mox reſurrecturus, ideo iterum modicum & videbitis me. Matth. 12. Poſt triduum à mortuis reſurgam, & videbitis me, quia vobis apparebo, ſed & id quidẽ non diu, per dies ſcilicet quadraginta. Act. 1. Quibus præbuit ſeipſum viuum poſt reſurrectionem ſuam, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. *Quia vado ad patrem*, rebus iam his conſtitutis, regnum meum auſpicaturus, vobis viam præparaturus, cælumque reſeraturus. Conſolatur eos aſsiſtentiæ promiſsione, quaſi dicat, Ad patrem vado qui iuuare poteſt, nec pereo moriendo, ſed tranſeo ad maiorem, vobis maiora largiturus, vbi vobis conſpicuus eſſe deſiero. Quare ſi diligeretis me, gauderetis vtique, quia ad patrem vado.

Crucis tria genera.

Quid ſit modicum non videre, & uerũ videre.

Ioan. 14.

Crux Chriſti fuit ipſius mors. Eſt ne conſolatio in hac cruce? Eſt. Nam apparuit Chriſto angelus de cælo confortans eum. Luc. 22. Poſt ieiunium, & tentationes diaboli, accedebant angeli & miniſtrabant ei. Et Chriſtus ipſe ſæpe ait diſcipulis ſuis: Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur, &c. addit: & tertia die reſurget.

Crux Chriſti que.

Matth. 4.

Luc. 18.

Matth. 20.

2 Secundò loco complectitur crucem Apoſtolorum, confitentium propriam imperitiam: quare meruerunt intelligentiam. Ait enim Chriſtus, de Apoſtolis. *Amen amen dico vobis, plorabitis & flebitis vos, mundus vero gaudebit, vos autem contriſtabimini*. ac ſi diceret, Hac nocte ob meam capturam, ob mea vincula, ob meam abſentiam, ob meam mortem vos ingenti afficiemini triſtitia; & in hac veſtra triſtitia, mũdus lætabitur, vos calumniabitur, & prorſus extinguere conabitur: hæc eſt crux diſcipulorum. Sed in hac cruce maxima eſt conſolatio. Nam Chriſtus dixit diſcipulis ſuis: Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Cum videritis me tradi gentium manibus, flagellari, conſpui, coronari, occidi, ne deſpondeatis animum: nam tertia die reſurgã à mortuis, & tum mea præſentia glorificata, exaltata, triumphanti & victrici, vos conſolabor lætitia inenarrabili. Ita Petrus, ita Apoſtoli, ita Magdalena incredibili lætitia afficiebantur, cum audirent & viderent Chriſtũ reſuſcitatũ, adeò, vt Euãgeliſta Ioãnes, ca. 20. dicat. Gauiſi ſunt diſcipuli viſo domino. Quis vnquã dicere poterit de gaudio Petri, viſo domino, de gaudio virginis, de exultatione Thomę, de iubilo chori illius

Crux Apoſtolorum.

Lætitia Apoſtolorum poſt Chriſti reſurrectionẽ magna.

Apoſtolici, ob præſentiam domini reſurgentis? Loquantur angeli, ſentiant diuini illi ſpiritus, nos pro dignitate, & ſi animus maximè geſtiat, non poterimus quicquã dicere. Inſtruit Chriſtus ſuos diſcipulos, dicens: Licet vos poſtea propter nomen meum, varias iniurias, contumelias, cruces, afflictiones fueritis paſsi: ſcitote, quia pauliſper duratura ſunt. Et iterum pauliſper, & videbitis me: quia omnia veſtra mala, futura ſunt momentanea, ſed inſecutura gaudia æterna. 2. Corin. 4. Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Crux omnium credentium. Eccleſiã fidelium ſuas viciſsitudines habere exẽplo demonſtratur.

3 Tertio loco ponit crucem omnium credentium: ait namque Chriſtus de omnibus fidelibus. *Mulier cum parit triſtitiam habet, quia venit hora eius.* Vult Chriſtus eccleſiam fidelium ſuas viciſsitudines habituram, nec ſemper eodem modo fore affectam. ſed quemadmodum mulier cùm parit, triſtitiam habet: fœtu autem edito, mox ſuccedit lætitia: ita fideles interdùm variis calamitatibus afflicti adeò exercebuntur & concutientur, vt in ſummas anguſtias adducti arbitrentur ſe à Deo derelictos: ob idque vehementer triſtabuntur. Neque id erit nouum, ſiquidem ab ipſo primordio eccleſiæ Iſraël nunc in Aegypto, nunc in Babylonia captiuus exulat, nunc perſequitur Pharao, nunc occiduntur filij, alias caſtigantur à Nabuchodonoſor, rurſus à tyrannis, deinde ab hæreticis. Quæ crux duriſsima quibuſdam eſſe ſolet, ob ſuam nimiam infirmitatem. 1. Corinth. 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, dicamus ergo cum propheta: Si ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Pſal. 22.

Conſolatio in cruce.

Eſt quoque in hac cruce ingens conſolatio. Nam Chriſtus dixit diſcipulis ſuis: *Mulier cùm parit, triſtitiam habet; cùm autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos quidem nunc triſtitiam habetis, ſed iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Ac ſi diceret, opus eſſe, vt Chriſtiani omnes in terris crucẽ portent, & ad tempus lugeant, ſed poſt hanc vitam eoſdem æternaliter gauiſuros contra ſatanam & omnes impios, hîc quidem gauiſuros, ſed in futuro ſeculo perpetuis luctibus atque pœnis excruciandos. Quemadmodum Chriſtus ait: Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis. Et, Beati qui lugent, quoniam conſolabuntur. Item Iſai. 65. Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis: ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ dolore ſpiritus vlulabitis.

Luc. 6.
Matth. 5.

Diſtin-

Diſtinguuntur ergo hîc filij Dei à filiis huius ſeculi, atque magnam in via diuerſitatem eſſe inter bonos & malos oſtenditur, ſed maior videbitur inter eos in termino. Sed dicent fortè minus perfecti: Quare via impiorum proſperatur? & illud Iob 21. Quare impij viuunt, ſubleuati ſunt confortatique ſunt diuitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum, domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illas? Contra autem, iuſti, inopes, inhonores, ſine liberis, infirmi corpore, luctuque frequenti laborant. Iob reſpondet: Ergo iniquus eſt Deus? abſit. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto, abſque afflictione, ad inferna deſcendunt. Et Pſal. 72. Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, pacem peccatorum videns. Abſit ergo fratres, iniquus ſit Deus. Hinc Chriſtus piis ſatisfacit, dicens: Vos contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium: & impiorũ lætitia in triſtitiam & pœnam vertetur æternam.

Filij Dei diſtinguuntur à filiis huius ſeculi.
Hier. 12.

Vnde colligimus optimos quoſque hic à Deo miſeriis & aduerſitatibus exerceri, ſignumque eſſe in eos diuinæ dilectionis, ſcriptura dicente, Prouer. 3. & Heb. 12. Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.

Bonorum ſors in hoc mundo.

Deinde hic colligimus, neminem ſine triſtitia & tribulatione, poſſe ad veram lætitiam æterni gaudij peruenire: veluti claret de omnibus prophetis, patriarchis, Apoſtolis, & martyribus. Actor. 14. 2. Timot. 3. id quod ipſe Chriſtus non modò monuit. Matth. 7. ſed & in ſe exemplo arguit, quem non aliter niſi per paſsionem in gloriam ſuam intrare oportuit. Luc. 24. nobis vtique relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. 1. Pet. 2.

Nemo poteſt ſine tribulatione ad gaudiũ cæleſte pertingere.

Præterea colligimus fieri non poſſe, vt quis hic & alibi ſit fœlix, quandoquidem lux & tenebræ ſimul eſſe non poſſunt: ſed poſt tenebras ſperatur lux, & poſt lucem tenebræ: ſic poſt mala huius mundi, bona: & ediuerſo, hoc clarè patet in epulone & Lazaro. Nunc hic conſolatur, ille verò cruciatur. Omne itaque gaudium exiſtimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis, ſcientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur, &c.

Fœlix hic & alibi nemo eſſe poteſt.
Luc. 16.
Iac. 1.

Chriſtus hic proponit diſcipulis quæſtionem, quam ipſis animis verſabant, ſed ſtatim illam ſoluit: atque ita, vt nec dubitationis aut perplexæ intelligentiæ, vel veſtigium ipſius reliquerit. Diſcant igitur concionatores nullam quæſtionem ventilandam aut diſcutiendam proponere populo, cuius mox dilucidam ac perſpicuam ſolutionem non ſubiiciant. Nam aliter concionari, eſt graue detrimentum adferre his, qui ſuæ ſalutis

Quæſtio ſine ſolutione perſpicua populo non proponenda.

N 5 pro-

procreandę ſubſidium ab ipſis concionatoribus exſpectabant.

Elicitur etiam ex hoc Euangelio doctrina Chriſtianis opportuniſsima, ſcilicet mundum, vitam inquam præſentem, triſtitiæ atque luctus eſſe patriam, lachrymarum vallem: futuram vero, gaudij, exultationis, aut lætitiæ inenarrabilis. Neque alij æterna illa gaudia ſe conſecuturos ſperent, niſi qui lugent: dicente Dauid: Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos, Pſal. 125. Et Paulus Roman. 8. Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in vobis. Et Dominus non aliis, quàm lugentibus & triſtantibus promittit diuinas ſuas cõſolationes, cùm ait: Beati qui lugẽt, quoniam ipſi conſolabuntur. Gaudeant igitur triſtes, bene ſibi de bono Domino polliceantur, ſi ſua triſtitia eſt ſecundum Deum. Nam pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Timeant qui rident, qui lætantur quum male fecerint, & exultant in rebus peſsimis. De primis fuerunt Chriſtus, Apoſtoli, virgo ſanctiſsima, reliqui diſcipuli, & matronæ. Hi enim fleuerunt modicum in paſsione, exultant autem modo, & gaudio lætantur æterno. De ſecundis fuerunt Pilatus, Sacerdotes, Phariſæi, Seniores, Iudæi Chriſti crucifixores, qui pauliſper lætabantur, ſed iam in æternum cruciantur. Videant in tempore Chriſtiani, vtrorum ſors ipſis magis arrideat. Diſcant hic cum Chriſto, cum Apoſtolis, cum virgine ſacratiſsima pauliſper flere, vt in æternum lætentur. Amen.

Doctrina Chriſtianis oportuniſsima.

Matth. 5.

2. Cor. 7.

Prouerb. 2.

Eſt hic repræhendendus Caluinus, qui dum nimium ſapere ſtudet, verba illa Chriſti: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum*, non de viſione illa diſcipulis in corpore glorificato poſt reſurrectionem à Chriſto exhibita, ſed de Spiritus ſancti miſsione intelligenda affirmat, ſed perperam, ſicut in pleriſque aliis, nam in illo colloquio, non de alia viſione agebat cum diſcipulis, quàm de illa, quam glorioſe reſurgens illis oſtendendam pollicebatur. Nulla alia enim ratione illis ſuæ mortis dolorem adimere, vel mitigare poterat, quàm promiſsione reſurrectionis, & viſionis ipſis exhibendæ. In qua apparitione impletum eſt quod Chriſtus ipſis prædixerat: Item videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. &c. Vnde cum reſurgens ipſis apparuiſſet, dicit Ioannes 20. capite, quod gauiſi ſunt diſcipuli viſo domino: & reſurrectionis gaudium nemo ipſis eripere vnquam poterit.

Error Caluini refutatur.

SVMMA.

1 *Temporis, quod erat ante reſurrectionem & poſt, meminit. & exponit quid ſit modicum non videre, & rurſus videre.*

Solli-

2 *Sollicitudo Chriſti pro nobis, qui hæſitantibus occurrit, & antequam interrogemus reſpondet.* *Sollicitudo Chriſti pro nobis.*

3 *Prædicit afflictiones, & unde expectanda conſolatio, exemplo parturientis, vt deponentes omne pondus & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum: qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet: Recogitate enim eum, &c. Hebr. 12.* *Conſolatio unde expectanda.*

DOMINICA TERTIÀ POST OCTAVAS PASCHAE, QVAE EST CANTATE.

EPISTOLA.

Chariſſimi, Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. Scitis fratres mei dilectiſſimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram: Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur. Propter quod abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras. *Iac. 1.*

IN HAC Epiſtola D. Iacobus facit tria.

1 Primò aſſerit omne bonum corporis atque animi à Deo proficiſci: etiam nouam regenerationem, hoc eſt, baptiſmum, quo per diuinam veritatem filij Dei reddimur, cùm ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt*: quaſi dicat, Quicquid in nobis bonum relucet, ſiue corporalium ſiue ſpiritualium rerum, à Deo conſecuti ſumus. Sunt enim corporalia bona, ſeu dona, ſanitas, robur, fortitudo, pulchritudo, diuitiæ, opes, amici, pax, vicini boni, vxor honeſta, filiíque obſequentes: ſpiritualia bona ſeu dona ſunt, fides, charitas, ſpes, iuſtitia, gratia, longanimitas, verbum Dei, eccleſia, ſacramenta, ſana doctrina. *Omne bonum à Deo.*

Hæ ſunt donationes Dei, quæ nobis nullis purè humanis operibus ac meritis impetrãtur: ſed per diuinã gratiã ſuppeditãtur. Quid enim boni ante gratiã promereri poſſumus, qui natura ſumus mali? Luc. 11. & arbores ſteriles, vitioſiſsimũ fructũ proferẽtes: iuxta illud Mat. 7. Arbor mala malos fructus facit. Si quid ergo valemus, ſi aliquid boni cogitamus, ſi aliquod verbũ ſalutare, aut ſapiens loquimur, ſi deniq; aliquod opus bonũ fuerit in nobis; ac prorſus aliquid in nobis eſt, quod æterna vita ſit dignum: id Deus, qui omnis bonitatis eſt fons & auctor, pater omnis ſapientiæ, dominus ſalutis, auctor fidei, & charitatis in nobis producit. *Dona Dei nõ noſtris meritis ſed per diuinã gratiam data.*

Habuerunt Gentiles quamplurima dona, pulchra, & præclara: qualia ſunt ingenij acumen, mens, ſapientia locupletata: quo- *Dona gentiliũ non peccata, ſed laudabilia opera.*

quorum adminiculo ſe honeſtis & pulcherrimis moribus exornabant, rempublicam in pace & tranquillitate gubernabant, liberales artes ſingulari quadam ingenij ſolertia indagatas in ordinem redigebant, & alia complura beneficia proximis præſtabant, quæ peccata fuiſſe affirmare nō auſim: ſed laudabilia opera: iuxta Auguſtinum.

Tranſmutatio nulla apud Deum. Subdit, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt trāſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio. Quaſi dicat: Apud Deum non ſunt tenebræ, nulla tranſmutatio, nullaq; adumbratio: ſed mera lux atque claritas æterna. Nec eſt apud illum inſtabilis mutatio, mutabilitas ac leuitas, ſed firma conſtantia. Num. 23. Non eſt Deus quaſi homo vt mētiatur, neq; vt filius hominis, vt mutetur, dixit Balaam ad Balac.

Viciſsitudo rerum apud homines. Noſtri dies ſæpe obſcurantur per tenebras noctis: noſtræ mentes ſæpe obcæcantur per falſitatem iudicij: noſter intellectus ſæpe allucinatur per vitiorum nubem, & noſtra ſapientia ſæpe errat per præſumptionem, ac deprauationem iudicij. Pſal. 115. Ego dixi in exceſſu meo omnis homo mendax. Itē 143. Homo vanitati ſimilis factus eſt. Ibidem, Quorum os locutum eſt vanitatem, &c. Sed apud Deum coruſcat conſtantiſsimè æterna veritas. Si quid ergo lucis, aut diuini ſplendoris fuerit in hominibus, id totum debent acceptum ferre Deo, qui eſt lux vera.

Bonum animi ſeu noua regeneratio etiam à Deo per Chriſtum. Deinde aſſerit bonum animi, puta baptiſmum, quem vocat nouam regenerationem à Deo proficiſci, cùm ait: Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. His verbis indicat diuus Iacobus, quòd Deus voluntariè, ac deſtinata volūtate, nō caſu, nos progenuerit, & in filios adoptauerit, in verbo veritatis, id eſt, in Chriſto, cuius ſanguine mundati ſumus, atque eius filij effecti, & iuſtificati: vt eſſemus primitiæ quædam creaturarum eius, hoc eſt, vt eſſemus primi, & principium eorum, quos Chriſtus redemit, & filios Dei fecit.

Origo prima noſtræ natiuitatis vitioſa. Hinc colligimus tria. Primò, originem primam noſtræ natiuitatis eſſe malam, vitioſam, peccatis obnoxiā, & maledictioni ſubiectam: nos autem à Deo per regenerationem in gratiam eſſe receptos.

Secundò, indicat Iacobus, quomodo huiuſmodi regeneratio contingat: nempe verbo veritatis, hoc eſt, virtute verborum Chriſti, qui ſanctificamur in baptiſmo. Conſeruat hanc dignitatem filij Dei qui audit in eccleſia catholica verbum Dei, &

Luc. 11 cuſtodit illud.

1. Pet. 2. Tertiò, adfert cauſam, cur Deus nos regenuerit: vt eſſemus

Forma docendi & audiendi Dei verbum. ſeparati ab aliis idololatris populis, Iudæis & hæreticis.

2 Secundò D. Iacobus præſcribit hic formam & modum,

quo

quo Dei verbum audire, atque alios docere debeamus, cùm ait: Scitis fratres mei dilectiſsimi. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum.* Nam multo minus eſt periculum in audiendo, quàm in docendo. vult dicere: Illa ſit primaria cura Chriſtiani, vt ardenti ſpiritu, ac ſummo ſtudio doctrinam Chriſti audiat: & vt hoc tantum beneficium conſequi poſsit, ſit velox, diligens, ſolicitus, ac circumſpectus in audienda doctrina ſacra, non prophana: ſpirituali, non carnali: honeſta, non impura & turpi: catholica, non hæretica, non impia, non Iudaica, non Gentili. Euadet hac ratione certus, quæ doctrina ſit vera, catholica, ſana, ſancta, verboque Dei conformis: ſi illam audiat, quam Romana (quæ eſt catholica) docet Eccleſia. Quando audiuerit aliquem concionatorem aliquid docentem contra doctrinam huius Eccleſiæ Romanæ, & ſi angelus videatur concionator, fugiat tanquam peſtem. *Galat. 1.*

Sit proinde omnis homo tardus ad loquendum. Nam tempus eſt loquendi, tempus item audiendi. vult dicere: Chriſtiani auditores audita vna aut altera concione, non continuò geſtiant in publicum proſilire, docere, arguere veluti gentium doctores: ſed multo conſultius fecerint, ſi paratiores fuerint ad audiendum, quàm ad dicendum. *Homo ſit ad loquendum tardus.*

Sit quoque omnis homo *tardus ad iram.* Nam impedit ira animum, ne poſsit cernere verum. Vult etiam dicere, Si propter intempeſtiuas conciones, vel ob aliam cauſam fueritis aliquando reprehenſi: debetis eam redargutionem animo moderato ferre, non ſtatim animo ringi, ſed emendari, melioreſq; reddi. Nihil enim boni ita operatur, quæ procreat contentiones, diſsidia, & omne malorum genus. Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur. Prouerb. 25. Vir iracundus prouocat rixas. *Tardus ad irã.*

3 Tertiò, oſtendit D. Iacobus, quales ex audito Dei verbo fructus promanare ſoleant, cùm ait: *Propter quod abiicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* Quaſi dicat, Si volueritis vt ſemen diuini verbi in vobis radices agat, adoleſcat, & fructum multum ferat, neque ſcelerum atque flagitiorum ſordibus enectum aut ſuffocatum pereat, deponite omnem malitiam, & cordis immunditiam. Nam illud ſemen requirit bonũ agrum, pura corda, fideleſque mentes, non autem petricoſos ac ſpinoſos animos. Proinde oportebit vos extirpare omnia zizania, eradicare lolium, tribulos, ſentes, atque omne genus herbarum inutilium excindere, veterem hominem cum ſuis concupiſcentiis exuere, & liberos eſſe ab omni ſuperbia, auaritia, luxuria, ira, immodeſtia, odio, fraude, dolo, & impoſtura erga proximum. Qui enim huiuſmodi ſunt, & his laborant vitiis, abiiciant immundicias ſuas, ac abundantiam malitiæ, *Fructus ex verbo Dei audito quales.*

malitiæ, ament manſuetudinem, ſuſcipiát inſitum ſermonem, Matth. 5. ſint miſericordes, & ipſi Deum videbunt.

EPILOGVS.

1. *A patre luminum eſt quicquid boni in nobis eſt. Igitur qui gloriatur, in Domino glorietur. 2. Corin. 10. Hiere. 9.*

2 *Primitiæ ſumus creaturarum Dei, hoc eſt, excellentiſſimæ creaturæ, quare non temerè nobis loquendum, vel iræ indulgendum. Epheſiorum quarto. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nam omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Matth. 5.*

3 *Exhortatio ad manſuetudinem, & abnegationem ſui.*

DOMINICA CANTATE,

EVANGELIVM.

Ioan. 16. *IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De iuſtitia verò, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

Cauſa aſcēſionis Chriſti ad patrem per mortem.

CHRISTVS hoc Euangelio tria proponit.

1 Primò, cauſam aſcenſionis ſuæ, nempe ſe miſſurū diſcipulis Spiritum ſanctum, dicens: *Vado ad eum qui miſit me*: ſcilicet, per crucem, & mortem, nouum & ſpiritualem regnum auſpicaturus. Verba hæc ſpem nobis ingerunt, ſimul & timorem. Spem, quia Chriſtus ad patrem vadit, inde miſſurus Spiritum ſanctum. Ioan. 14. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, imò interpellaturus pro nobis. Timorem, quia hac nobis via, velimus, nolimus, eundum, per mortem ſcilicet: ſed an ad patrē, quis nouit? Eccleſ. 9. Sunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta. O quàm fœlix, qui in hora mortis, cùm oculi, quos modò voluptas claudit, aperientur, dicere poſſet confidenter: Vado ad eum, qui miſit me. Nam ob id creati ſumus, iuxta illud Eccleſ. 12. Reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

Heb. 9.
Rom. 8.

Et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Adeò turbantur diſcipuli

puli audita morte Chriſti, vt nihil interrogent. Caro enim non intelligit crucem eſſe viam ad patrem. Videtur itaque eos hoc verbo reprehendere: quaſi dicat, Supra multa interrogaſtis, nunc autem cùm ſemel de veſtra perſecutione dixi, adeò conſternati eſtis, vt nihil amplius interrogetis, cùm nunc vel maximè neceſſarium eſſet interrogare, quonam modo futura mala, quę formidatis, euadere poſſetis. Sic plerunque homines, quò maior crux imminet, eò minus prouidēt ſibi ac orant. Vnde in Ezechiele. 13. Dominus conqueritur: Non (inquit) eſt inuentus, qui ſe opponeret murum iræ meæ.

Caro non intelligit crucem eſſe viam ad patrem.

Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum. Videtis vos carituros externis illis bonis, quæ in regno meo, quod mundanum putabatis, ſperaſtis vos accepturos, ideo triſtitia impleuit cor veſtrum.

Ratio triſtitiæ Apoſtolorum.

Sed ego veritatem dico vobis, veſtra opinio de meo regno eſt falſa. Ego veritatem dicam vobis, cur mihi abeundum ſit, & vt intelligatis quale ſit regnum meum, & quid in eo expectandū: *Expedit vobis vt ego vadam.* Omnia quæ ego facio, in veſtram vtilitatem facio. Verus amicus non iucunda, ſed vtilia loquitur, & præſtat ei, quē diligit: Iucunda enim vt plurimum obſunt. Hinc ſapiens ait, Eccleſ. 7. Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum ore laudari. Et, Meliora ſunt vulnera amātis, quàm oſcula odientis. Prouer. 27. Sic Chriſtus, etſi ſciret Apoſtolos non libenter ferre ſuum abſceſſum, nec libenter audire de ſua ipſorum paſsione; non tamen omittit ea, malens eis vtilia, quàm iucunda & dicere & facere. Hoc exemplum & nos imitemur, erga noſipſos, & erga proximos, & vtilia præponamus iucundis.

Opinio Apoſtolorum de regno Chriſti falſa.

Verus amicus non iucunda, ſed vtilia loquitur.

Obſerua etiam hic, quam ob cauſam Deus ſuis non nunquam ſubtrahat, quod amant, vel in quo confidūt, vt ſunt filij, amici, diuitię, ſanitas, &c. nimirum, quia ipſis expedit, vt ea auferantur, vt diſcant in ſolo Deo ſperare: alioqui forſan his rebus abuterentur ad malum. Nemo igitur fidelis ægrè ferat, ſi Deus ei ſubtrahit quod amat. in commodum enim eius fit: exemplum eſt Iob, Dominus mihi dedit, itidē mihi abſtulit: Sit nomē Dñi benedictū. *Si enim non abiero, Paracletus ille non veniet ad vos.* qui conſeruet & cōſoletur vos in cōſcientiis, in afflictionibus, in perſecutionibus, &c. in hoc mundo. Quod ſic accipi nō debet, quaſi corporalis Chriſti præſentia Spiritum ſanctum impedierit, quam ipſe Spiritus ſanctus ex virgine ſe legit in formatione corporis eius, cùm nec Apoſtoli etiam caruerint Spiritu ſancto, Chriſto corporaliter præſente, alioqui non eis dixiſſet, Ioan. 15. Iā vos mundi eſtis. Non tamen abs re Spiritus ſancti aduentū manifeſtum diſtulit, vſq; poſt mortem ſuā. Primò, quia diſcipuli Chriſtū aliquo modo ſenſualiter diligebant.

Deus cur aliquando ſubtrahat quod homines amant.

Spiritus S. aduentus cur protractus ſit vſque poſt mortem Chriſti.

Quan-

Quantum autem affectio hominis habet de carnalitate, tantum impedit à Spiritus ſancti receptione. Niſi enim ſpirituales efficiamur, Spiritus ſancti capaces non ſumus. Deinde, Spiritus ſancti plenitudo danda non fuit, niſi reconciliatis per Chriſti paſsionem. Inſuper, membra tanta gratia adornanda non erant, niſi ipſo capite glorificato. Ideo ſupra dictum erat: Spiritus ſanctus nondum erat datus, quia nondum Ieſus erat glorificatus.

Matth.9. *Ioan.7.*

Spiritus S. non acquiritur viribus humanis. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Non enim acquiritur viribus humanis, ſed liberali benignitate à patre cæleſti datur atque mittitur, impetrante eum nobis Chriſto, per ſuam paſsionem. Summatim docemur ex hoc verbo, ſubtractionem temporalium eſſe initium ſpiritualium. Qui igitur ſpiritualia deſiderat, terrena deſpiciat cum Paulo Philip.3.

Temporalium ſubtractio, initium ſpiritualium.

Vult vtique Chriſtus ex his omnibus dicere: Prophetæ prædixerunt me Chriſtum oportere pati, mori, & reſurgere à mortuis, ad cælos aſcendere, ibique parare nouum regnum, in quo viuant homines in æternum: nunc igitur inſtat tempus ea perficiendi, & ego ſum ille de quo hæc ſcripta ſunt, & vaticinata. Si ergo per crucem & mortem non abiero, manebunt omnia in primo ſtatu, Iudæi in ſua hypocriſi, gentes in idolatriis, mundus totus ſub captiuitate diaboli, cælum clauſum, ira Dei ſuper omnes homines: nemo ſaluari poterit, neque voſipſi. Expedit igitur vobis, vt ego vadam, patiar, moriar, reſurgam, & tandem ad patrem aſcendam. Nam ſi abiero, veniet Spiritus ſanctus, qui corda veſtra illuminabit, & alacres vos reddet ad mundum conuertendum, Iudaiſmum tollendum, idololatriam extirpandam, & veritatem vniuerſum mundum docendum.

Chriſti abitus quàm neceſſarius.

2 Secundò, proponit quid Spiritus ſanctus facturus ſit cum venerit: dicens: *Arguet mundum de peccato, quia non credunt in me.* hoc eſt: Spiritus ſanctus conuincet populum Iudaicum, & reliquos omnes, qui me reiecerunt, nec vt verum Meſsiam, receperunt, malè feciſſe. Arguet mundum peccaſſe grauiter, qui me (quem pater miſit, ac tam manifeſtis ſignis illuſtrauit, adeò vt angeli, dæmones, homines, elementa, teſtimonium de me perhibuerint) non, vt verum Meſsiam, redemptorem, & verum filium Dei cognouerunt, ſed repudiarunt, quia volentes peccarunt. Ideo Spiritus ſanctus arguet eos de peccato, & conuincet, tanquam omnium maximo. Quia ſicut fides origo virtutum, ita ſolidamentum vitiorũ in incredulitate perſiſtere, ſicut domino terribiliter atteſtante, cognoſcimus. Ioannis.3. Qui non credit, iam iudicatus eſt. At contra, Iuſtus ex fide viuit.

Spiritus S. opus eſt arguere mundum. *De peccato infidelitatis.* *Abac.2.*

De iuſtitia. Arguet mundum *de iuſtitia, quia vado ad patrem, & iam non videbitis me.* hoc eſt: Spiritus ſanctus arguet mundum de iuſtitia Chriſti, id eſt, probabit mundo illum verum eſſe Chriſtum, vere-

vereque iuſtum, quamuis Iudæi conuitiantes ipſi aliquot obiecerint peccata, ſed falsò, & quæ nullo pacto vnquam probare potuerunt. Quod autē ego ſim iuſtus, ita probo, quia vado ad patrē, & iā non videbitis me. Vos fatemini iniuſtitiam Deo improbari, & puniri, neque vllum iniuſtum ad eū admitti. Sed ego vado ad patrem, & pater me recipiet: ergo ſum iuſtus, & veram iuſtitiam habeo in verbis & factis, quam quia mundus noluit cognoſcere, Spiritus cùm venerit, arguet mundum. Et de hac mea iuſtitia argumentum ſumet eos condemnandi & arguendi. *Iſa.51, & 62. Ioan.8. Apoc.21. & 22.*

Arguet præterea mundum *de iudicio, quia princeps huius mundi iā iudicatus eſt*: hoc eſt, Spiritus ſanctus arguet mundum de iudicio à me in cauſa animarum facto. Congreſſus ſum cum diabolo, præliatus ſum, vici eum, condemnaui, abſtuli illi arma, ſpolia, prædam, eieci extra mundum ipſum diabolum. Non tamen voluit mundus credere illam condemnationem diaboli, & meā victoriam. *De iudicio. Luc.11. Ioan.12.*

Arguet igitur Spiritus, cùm venerit, mundum: & ex hoc iudicio de diabolo à me facto, occaſionem ſumet, cōuincendi ipſum atque condemnandi, vt ingratum, peruicacem & rebellē. Meritò ergo damnantur illi, qui damnatum illum ac victum ſequi maluerūt in mortem æternam, quàm ipſum Chriſtum, quem Deus velut in regni ſui conſortium ſubuexerit, omnibus innocentiæ, vitæque auctorem. Sic enim deuictus & eiectus eſt diuiſis ſpoliis, vt nullum vincere poſsit, niſi volentē & permittentem. Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis. *Meritò dānandi qui damnato diabolo adhærent. Iacob.4.*

Meritò ergo arguuntur, qui terribili Dei iudicio in primo angelo non terrentur: ſed vel per infidelitatem ſub eius remanent imperio, vel denuò ipſi per peccatum ſe ſubiiciunt. Quāuis enim eum videant debilitatum, nec ſic tamen ei reſiſtunt aut fugiunt. Item quamuis ſciant eum perpetuis ignibus deputatum, adhuc tamen ei adhærent, Iob.21. Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. O magna cæcitas, & digniſsima quæ reprehentur. Cæterum, quod dicit principem mundi iam iudicatum eſſe, terret eos, qui etiamnum diabolo adhærent. Si enim princeps & caput damnatum eſt, iudicabuntur & membra eius. *Matth.25.*

3 Tertiò, proponit hic Chriſtus imbecillitatem diſcipulorum, dicens: *Multa habeo vobis dicere*, ſcilicet de Eccleſia militante, quam inſtitui, & per veſtrum miniſterium perficere volo. Sunt & alia, quæ & vobis & aliis neceſſaria ſunt, quæ vobis poteram dicere, ſed non eſt huius temporis ea promere: nec vos adhuc capaces eſtis, ob imbecillitatem, nec adhuc peractam huius meæ legationis functionem. Ea ſpiritui venturo reſeruo. *Diſcipulorum imbecillitas.*

O Sed

Sed non poteſtis portare modo, propter infirmitatem veſtram, & propter temporis conditionem, cuius eſt mihi habenda ratio. Paſsiones enim vehementes impediunt vſum rationis. Anima enim ſedendo fit prudens.

Error hæreticorum docētium laicos aptos myſteriis omnibus diuinis percipiendis.
Quibus admittenda eſt ſacrarum literarum lectio, & quibus non.

Hæretici docent, Laicos tam eſſe aptos myſteriis omnibus diuinis percipiendis, vt non dubitent promiſcuè plebeis & quibuſcumque gregariis hominibus, fœminis, pueris, ſacra biblia legenda proponere: dicunt eſſe indignum, vt filiis interdicamus lectionem paterni teſtamenti. Ignorant, vel ignorare volunt, nos id non docere, ſed dicere non omnes eſſe aptos, neque idoneos legendis, intelligendiſque diuinis illis myſteriis. Idoneis verò permittimus & conſulimus. Sed ſunt pueri teſte Paulo. 1. Corinth. 3. quibus non omnis conuenit cibus, niſi lac humilioris doctrinæ, ac de ſeipſo idem ait Paulus. 1. Cor. 13. Cùm eram paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, &c. Hæretici noſtri tēporis ſe viros perfectos, & ab iis, quę ſunt paruulorum vacuos iactant. Negant ſe videre per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem. Faxit Deus, ne & ipſi & ſui ſequaces faciem diaboli aliquando videant: quam proculdubiò viſuri ſunt, niſi ad catholicam, vnde egreſsi ſunt, redeant Eccleſiam.

Prædicatoris eſt attendere quid dicat, quibus & quo tēpore, quidque loquatur.

Monentur quoque hoc Chriſti verbo prædicatores vt non tantum attendant, quid dicant; ſed & quibus, & quo tempore quæque loquantur, vbi non eſt auditus, ne effundas ſermonem. Eccleſ. 32. Et eſt tempus loquendi, & tempus tacendi. Eccleſ. 3. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis*, iuxta meam promiſsionem, *docebit vos omnem veritatem*. id eſt, docebit vos ſucceſſu temporis, creſcente Eccleſia, & numero Chriſtianorum, alia quam plurima, quæ ad ſalutem animarum, & ad decorem domus Dei, multum commodi, plurimum ornamenti adferent. Docebit, inquit, non externo ſtrepitu verborum, ſed interna inſpiratione, iuxta illud, Iob. 4. Quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurrij eius. Docebit autem veritatem abolitis figuris: item quę nunc obſcura & dubia ſunt, explicabit. Omnem autem veritatem docebit, non ſicut ſeductores, qui vnam aut alteram veritatem inculcant, reliquis, quæ non minus neceſſariæ ſunt, prætermiſsis. Omnem autem veritatem edoctus eſt, qui ſcit quid credendum, quid agendum, quid ſperandum, quid timendum.

Spiritus S. docet omnem veritatē non partem vt ſeductores.

Omnem veritatem edoctus quis.

Eccleſiæ catholica veritas probatur.
Spiritus S. docuit, docet, & docturus eſt in Eccleſia.

Probatur etiam hinc in Eccleſia catholica, ſanctorum doctorum veritas. 1. Ioan. 2. Vnctio eius docebit vos de omnibus, inquit, ideóque Eccleſia quæ ſpiritu hoc regitur, columna dicitur, & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3.

Nec tantum vos is Spiritus docebit, ſed omnes veſtros ſucceſſores, quatenus Eccleſiæ capiti, Petro ſcilicet à me conſtituto

& eius

& eius ſucceſſoribus, adhæſerint. Hæc docuit Spiritus ſanctus in conciliis, in decretis Pontificiis, in traditionibus, quas Eccleſia Romana ab ipſis Apoſtolis acceptas, vſq; ad nos cõſeruatas retinuit. Doceant igitur populum prædicatores traditiones diuinas, quas Eccleſia retinet Spiritus ſancti eſſe doctrinas, qui docet ex promiſsione Chriſti, & docuit à principio Eccleſiam catholicam omnem veritatem. Dei igitur verbum contemnit, qui diuinas traditiones, humanas eſſe affirmat, & vt tales reiicit. *1.Theſ.4.*

Et ne quis putaret ſpiritum ſanctum nouam aliquam fidem allaturum, addit: *Non enim loquetur à ſemetipſo*, probans ipſum eſſe Spiritum veritatis. Qui enim à ſeipſo loquitur, non eſt Spiritus veritatis, ſed mendacij, qui omnes prophetas mendaces facit, vt prophetarent de corde ſuo quod Dominus non eſt locutus, & confingant eſſe quod non eſt, vel malum eſſe, quod bonum, & è contra. *Spiritus S. veritatis ſpiritus probatur.* *Iere 27. Iſa. 5.*

Sed quæcunque audiet, loquetur. hoc eſt: Ea quæ pater vult nobis reuelari, reuelabit: vel, omnia quæ audiet, hoc eſt que verè ſunt, verè exiſtunt, & auctoritatem in ſcripturis habent, nihil confingens, nihil peruertens, iudicans quid in Eccleſia docendum ſit: ne audiamus, illud Ierem. 23. Non loquebar, & ipſi prophetabant.

Et quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis. Nõ ſolum vos faciet prophetarum auditores, ſed etiam prophetas vos faciet. Docebit quid in Eccleſia futurum ſit, quemadmodum in Apocalypſi videtur, &c. vel ventura annunciabit, hoc eſt, futura præmia, &c. Conſtat etiam Spiritum ſanctum eſſe Deum, qui futura præſcit, & annunciat, quod ſolius Dei eſt. *Spirtius S. facit Apoſtolos prophetas.*

Ille me glorificabit, hoc eſt: Ipſe Spiritus paracletus illuſtrabit meam doctrinam, clariorem ipſam reddens. Non docebit aliquid meæ doctrinæ contrarium. Hoc ſummum & potiſsimũ opus eſt Spiritus ſancti, ad quod omnia alia diriguntur, vt ſcilicet Chriſtus glorificetur, & agnoſcatur ab omnibus verus ſaluator: & quod non ſit aliud nomen ſub cælo, in quo nos oporteat ſaluos fieri, &c. Clarificabit in cordibus fidelium, vt eum talem agnoſcant. Clarificabit me per prædicationem veſtrã, ac in toto mundo per vos annuntiabit glorioſam meã victoriam, ſuper peccatum, mortẽ, diabolum, & mundum. Clarificabit me miraculis, per inuocationem nominis mei fiendis, vnde omnes agnoſcent mihi datam eſſe poteſtatem in cælo & in terra. Matth. 28. Multum enim refert, imò omnis noſtra ſalus in hoc dependet, vt magna de Chriſto ſentiamus, & ab ipſo omnia expectemus. *Quia de meo accipiet*, id eſt, de me accipiet, non quaſi de ſuperiore, ſed de pari: de eo, qui eiuſdem eſt ſubſtantiæ. Chriſtus Ioan. 8, dixit: Ego à meipſo non loquor, *SpiritusS. ſummum & potiſſimum opus.* *Act. 4.* *Salus noſtra magna de Chriſto ſentire & omnia ab ipſo expectare.*

ſed quæ audiui à patre meo. His verbis confirmat myſterium trinitatis, trinitatem perſonarum diſtinguit, & earum vnitatē in eſſentia docet.

Spiritus S. anctiquis patribus, gratiam infudit, qua ſcripturas explicarunt.

Spiritus ſanctus reddidit doctrinam clariorem, quia Auguſtino, Hieronymo, Baſilio, Chryſoſtomo, Ambroſio, & reliquis patribus gratiam infudit, qua ſacras ſcripturas perlucidas & peruias nobis facerent: ſoluentes nodos, determinantes dubia, elucidantes ea, que obſcura videbantur.

EPILOGVS.

Vtilitas abitus Chriſti.

1 *Vtilitas abitus Chriſti ad patrem, qui aſcendens in altum, captiuam ducet captiuitatem, dabit dona hominibus, implebit omnia, dabit Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, Doctores in ædificationem corporis Chriſti, Ephe. 4.*

Euangelij ſolida prædicatio ſi vitia arguantur.

2 *Euangelij ſolida prædicatio non erit, niſi & ſermo cohortationis vitia arguat. Arguit enim ſpiritus veritatis mundum de pecato, de iuſtitia, de iudicio. Et Paulus Timotheum ſuum hortatur: Argue, obſecra, increpa, cum omni lenitate & doctrina, 2. Tim. 4.*

Tituli egregij tribuuntur ſpiritui, ſancto vt agnoſcatur.

3 *Vbique Chriſtus egregios titulos Spiritui ſancto tribuit, & tales, vnde agnoſci poteſt, quod ſit Deus. (ſolus enim Deus perfectè conſolari poteſt, & docere veritatem) vt & nos diſcamus magni æſtimare Spiritum ſanctum, ac ſciamus eum ſummè nobis neceſſarium: vtpote, qui ducat nos in omnem veritatem, contra ſpiritus erroneos & impoſtores. Tituli Spiritus ſancti ſunt, paracletus ſpiritus veritatis. Ioan. 15. & 16. Apud Eſaiam 11. Spiritus fortitudinis, & ſcientiæ, &c. Apud Zachariam 12. Spiritus gratiæ, & precum: nimirùm, quia tales effectus operatur in iis, quos inhabitat.*

DOMINICA QVARTA POST OCTAVAS PASCHAE, QVAE DICITVR, VOCEM IVCVNDITATIS.

EPISTOLA.

Iac. 1.

CHariſſimi, Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes voſmetipſos: quia ſi quis auditor eſt verbi & non factor, hic cōparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſiderauit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Qui autem perſpexerit in lege perfecta libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit. Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, nō refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.

IN hac Epiſtola diuus Iacobus facit tria:

1 Primò, admonet Chriſtianos, vt non auditores tantum, ſed factores diuini verbi eſſe ſtudeant, quum ait: *Eſtote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos*. Vocat autem factores verbi, qui factis exprimunt Legem & Euangelium, & eos Iacobus beatos vocat, quum ait: *Qui perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea*, id eſt, perfecerit eam, *non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit*. vult vtique dicere: Factor verbi Dei in lege contenti, beatus eſt, Matth. 7.

Chriſtiani non auditores tantū ſed factores verbi diuini eſſe debent. Factores verbi qui. Rom. 2.

Vocat autem auditores verbi, qui auribus tantum audiunt legem & Euangelium: Eosque Iacobus comparat viro conſideranti faciem ſuam in ſpeculo, quum ait: Qui audita non perficit, *hic comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo.* Vultque dicere: Auditor tantum verbi Dei in lege contenti, vanus eſt. Matth. 7.

Auditores verbi Dei, qui. Vani auditores comparantur viro conſideranti ſe in ſpeculo.

Debent enim Chriſtiani non fide tantum contenti eſſe, ſed operibus etiam ſedulò exequendis intendere, vt quæ ad ſalutem adeò ſint neceſſaria, vt definiente Iacobo, vana ſit prorſus tota religionis catholicæ profeſſio niſi opera ſequantur.

Chriſtiani non debent eſſe tantum contenti fide.

2 Secundò, hortatur fideles, vt ſibi caueant à vana garrulitate, vaniſque colloquiis: cùm ea cultum Dei ab homine præſtitum corrumpant, & ad nihilum redigant, cùm ait: *Si quis putat ſe religioſum eſſe non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum: huius vana eſt religio.*

Fideles caueāt ſibi à vana garrulitate.

Eſt autem lingua optimus hominis theſaurus: ſed quo pretioſior, tanto peior atque nocentior, ſi quis abutatur: quemadmodum Iacobus ait, ca. 3. Si equis fræna in ora mittimus, ad conſentiendum nobis, etiam omne corpus illorum circumferimus. Et ecce naues cum magnæ ſint, & à ventis validis minentur: circumferuntur à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit. Ecce quantus ignis quàm magnam ſyluam incendit! Sic lingua cùm ſit modicum membrum & parua ſcintilla reſpectu corporis, totum corpus maculat & inflammat. Nihil enim eſt quod æquè corrumpit religionem, & rempub. quàm lingua mala. Quid enim in republica, & conuentu hominum perículoſius, quàm indomitæ linguæ garrulitas? Hæc hominum famam lacerat, obtrectat, mentitur, decipit, calūniatur, blaſphemat, maledicit, rixatur, excitat turbas, omniū denique malorum eſt cauſa. Quid etiā in Eccleſia nocentius, quàm venenata falſi concionatoris lingua? qui oris virulentia ſimplices homines ſeducit, inficit, & in fauces ſatanæ præcipitat? Exemplo ſunt, tumultus, ſeditiones, ſimultates, diſſenſiones, hæreſes, ſectę, factiones rebelliones, quas olim Arrius, Ebion, Manichæus, Pelagius, Iulianus, Heluidius, Neſtorius, & alij hæretici,

Lingua optimus hominis theſaurus, ſed nihil eo peius ſi quis abutatur.

Eccleſiæ nihil nocentius quā falſi concionatoris venenata lingua.

retici, excitarunt in Eccleſia, & in noſtro ſeculo, Lutherus, Melanchthon, Spangenbergus, Bucerus, Zuinglius, Brentius, Caluinus, & alij complures.

Garrulitas quid. Eſt autem garrulitas, omne colloquium ad rem nihil faciens, & nullam vtilitatem adferens. De quo Chriſtus: Dico vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Et Paulus, Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem. *Matth. 12. Ephef. 4.*

3 Tertiò, Diuus Iacobus oſtendit verum cultum Dei, veramque religionem, & eius ſubſtantiam, cùm ait: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.*

Religio munda & immaculata quæ. Eſt autem religio munda & immaculata, verus Dei timor, veraque charitas in proximum, quæ religio non loco & tempore comprehenditur, non diuitiis & honoribus ornatur, non denique potentia & dominio ſecularium rerum mancipatur: ſed quæ in verbo Domini, & in bonæ vitæ officiis ſolidatur, nempe, Deo credere, & in ipſum confidere, Deum ſuper omnia timere, & amare: proximum ſicut ſemetipſum amare, eique in omnibus neceſsitatibus inſeruire, auxiliari, & conſolari, & manus porrigere: pauperes & egenos, orphanos, & viduas in afflictionibus conſolari: eſurientes paſcere: potare ſitibundos: nudos veſtire, deſperatos in bonam ſpem erigere: omnibus hominibus benefacere: & quod iuſtum eſt præſtare: ſeipſum in rebus omnibus immaculatum ſeruare.

Verũ Deo cultum præſtare eſt vitam iuxta Dei legem inſtituere. Qui nunc voluerit verum Deo cultum præſtare, eum oportebit verbum Dei mordicus tenere, legemque ita ſeruare, vt ipſa ſit amuſsis, ad quam vitam noſtram inſtituamus, vt ſcilicet Chriſtianus conformis ſit Chriſto Dei filio, ſeipſum humiliter & abneget, vt ſatanæ atque mundo renuntiet, carnem cum concupiſcẽtiis mortificet, vt ieiuniis, eleemoſynis, orationibus, aliisq; ſanctis ſtudiis carnem ſpiritui ſubiiciat.

Sunt hæc omnia officia Chriſtianis omnino exequenda, vt quæ Dei cultum contineant. Placatur enim Deus eleemoſynis, ieiuniis, & orationibus, Ionæ 3.

EPILOGVS.

1 *Non ſatis eſt verbotenus tenere profeſsionem Euangelij, niſi & factis exprimamus.*

Euangelij profeſsio factis exprimenda. 2 *Similitudo intuentis ſe in ſpeculo & abeuntis declarat, quam hoc inane ſit. Chriſtus ſimilitudine ædificantis ſuper petram, & ædificantis ſuper arenam hoc idem exprimit, Matth. 7.*

3 Sum-

3 *Summa veræ religionis & pietatis mira breuitate expreſſa: immacula tum ſe à mundo ſeruare: proximum egentem miſericorditer ſubleuare.* *Summa veræ religionis.*

DOMINICA, VOCEM IVCVNDITATIS, EVANGELIVM.

IN illo tempore, Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vſq; modò non petiſtis quidquam in nomine meo: petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Hæc in prouerbiis locutus ſum vobis. Venit hora cum iam non in prouerbiis loquar vobis, ſed palàm de patre meo annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis quia ego rogabo patrem de vobis. Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo exiui. Exiui à patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Dicunt ei diſcipuli eius: Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non eſt opus tibi vt quis te interroget. In hoc credimus quia à Deo exiſti. *Ioan. 16.*

CHRISTVS hoc Euangelio complectitur doctrinam orandi: qua docentur tria. Primò, docetur quomodo petendum ſit & orandũ, & oratio noſtra à Deo exaudiatur: nempe, *Quomodo orãdũ, & quomodo oratio noſtra exaudiatur.*
1 In fide. Ideò ait Beatus Iacobus Apoſtolus cap. 1. Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo. Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. Quod dicit de ſapientia, idem de cæteris virtutibus, quæ ad vitam pietatemq́ue pertinent, intelligi vult. Saluator etiam in orantibus & petentibus fidem exigit, Matth. 9. & 21. Marc. 9. & 11. Oratio ex fide facta poteſt non eſſe inefficax. Iac. 5. Oratio fidei alleuiabit infirmum. *In fide orandum.* *Oratio ex fide non poteſt non eſſe efficax.*
2 In humilitate. Ideo ait Eccleſiaſticus 35. Oratio humilian tis ſe penetrat nubes, Et Iſaias capite 66. Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & trementem ſermones meos? Dauid etiam Pſalm. 50. Cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet. Oratio humilis faciet ne auertatur humilis factus confuſus. Pſal. 73. Faciet quoque, vt in humilitate noſtra Deus memor ſit noſtri. Humilitas autem duplex eſt, corporalis & ſpiritualis. Vtraque eſt neceſſaria: illa quidem, vt genibus flexis & aliis geſtibus nos ſine ſuperſtitione exemplo Chriſti, Matth. 26. humiliemus: ſpiritualis autem, vt de noſtra iuſtitia nihil prorſus in oratione præſumamus, ſicut Phariſæus fecit, ſed Publicanum imitemur. *In humilitate orandum.* *Humilitas duplex eſt.* *Luc. 18.*
3 In veritate. Ideo ait Dauid Pſal. 144. Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Aug. tom. 8. in enarratione eiuſdem Pſal. docet quid ſit inuocare Deum in veritate, ita enim, inquit: Tunc eris rectus, cum in omnibus bonis, quæ facit Deus, tibi placet: in omnibus malis, quæ pateris, Deus tibi non diſplicet, hoc eſt Deum inuocare in veritate. Qui ſic inuocant Deum, exaudiet eos, modò ad ſuam gloriam & orantis vtilitatem oratio dirigatur. *In veritate orandum.* *Quid ſit inuocare Deum in veritate.*

Cum perſeuerãtia orandum. 4 Cum perſeuerantia. Ideo ait Chriſtus, Luc. 18. ſuis Apoſtolis: Oportet ſemper orare, & non deficere. Iudex quidam, &c. Et Ieſus Sirach in Eccleſiaſt. cap. 18. Non impediaris orare ſemper. Et Paulus. Sine intermiſsione orate. *1. Theſſal. 5.* Idem etiam Chriſtus Luc. 21. ait docens diſcipulos ſuos: Vigilate itaque, omni tempore orantes, &c. Perſeuerantia vtiq; orationis fecit, vt Chananea exaudita diſcederet, Mat. 15. Vidua illa Luc. 18. importuna & perſeueranti petitione obtinuit à malo iudice quod volebat. Amicus ille, de quo Chriſtus Luc. 11. tres panes ab amico extorſit nocte intempeſta: quia perſeuerauit ad eius oſtium pulſans.

In nomine Ieſu orandum. 5 In nomine Ieſu. Ideo Chriſtus dicit Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* & apud eundem 14. Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, Ibidem: Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam, Petrus Act. 4. Non eſt aliud nomen datũ ſub cælo hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, niſi in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Virtus nominis Ieſu facit vt miſericordiam conſequamur.* Virtus nominis Ieſu faciet, vt miſericordiam cõſequamur. Nam Ioel. 2. cap. ait: Omnis autem, quicunque inuocauerit nomẽ Domini, ſaluus erit. Et Dauid Pſal. 24. Propter nomẽ tuũ Domine, propitiaberis peccato meo, multum enim eſt. Ideoq; Eccleſia ex Apoſtolorum inſtituto, in fine orationum publicè & ſecretò dicit: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Nomen Chriſti quã efficax ſit. Docemur hoc verbo quãtę efficacię ſit nomen Chriſti, quod ſolummodo inuocatũ omnia præſtat. *Nomen Chriſti quæ cõcludat.* Nomẽ Chriſti eſt ipſius incarnatio, paſsio, meritum, &c. Quicquid in hoc nomine petimus, accipimus. Vnde addit in fine, *Dabit vobis.* vbi promittit exauditionem. *Iuramentum quare præmiſerit Chriſtus.* de qua ne quis dubitet, præmiſit iuramentum, vt hæredibus gratiæ abundantius oſtenderet conſilij ſui immobilitatem. *Tob. 3.* Et quanquam exauditio non ſemper ſtatim ſentiatur, non dubitemus tamen nos exauditos, & ſuo tempore accepturos. Sic oratio Tobiæ exaudita dicitur, & tamen diu poſtea primum fuit reuelata, effectumq́ue ſortita.

Nomen Chriſti ianua & ſcala per quas orationes noſtræ cælum aſcendunt & penetrant. Chriſti itaque nomen eſt illa ianua de qua ait Ioan. 10. Ego ſum oſtium: eſt via & veritas & ipſa vita, Ioan. 14. eſt ſcala illa ſpiritus ſanguinis & aquæ corporis Chriſti, cui Iacob vidit Deum innitentem, & qua angelos vidit deſcendere & aſcendere, hoc eſt, qua aſcendunt & deſcendunt aromata precum fidelium Deo deferentium, nec eſt in alio aliquo ſalus, Act. 4.

Vſque modò non petiſtis quicquam in nomine meo. Non dicit ſimpliciter, Hactenus nihil oraſtis, aut petiſtis. Quomodo enim Apoſtoli tam ſtupidi eſſe potuiſſent, vt non orarent, cùm viderẽt Chriſtum etiam totas noctes orantem? Imò apertè ex Euangelio colligitur eos oraſſe, alioqui non dixiſſent: Doce nos orare, Luc. 11. Sed ait, *Nihil petiſtis in nomine meo*, quia nondum ſciebãt

per

per Chriſtum omnia nobis dari, præterea adhuc toti pendebant à corporali Chriſti præſentia, & ſi quid deeſſet, ab ipſo petebant, vt cum dicerent, Domine ſalua nos, perimus. Item: Domine adauge nobis fidem. Mat. 8. Luc. 17. Ablata autem præſentia Chriſti, cogebantur oculos ad cælum leuare.

Idcircò igitur non petierant in nomine eius, quia nondum miſſus erat Spiritus ſanctus, clamans, Abba pater, necdum reuelatum erat Euangelium, quo docemur, Deum nobis per Chriſtum factum eſſe patrem, & omnium precum exauditorem. Lex enim peccata oſtendens, & iram Dei declarans, deterret nos ab oratione, nec admittit vt ingrediamur ad Deum. Euangelium verò gratiam nobis oſtendens, rurſus inuitat nos ad orandum, & per Chriſtum nos ad Deum patrem ducit, Vnde Pſal. 9. hortatur, Sperent in te omnes, qui nouerunt nomen tuum.

Rom. 8.

Deus per Christũ factus eſt pater & precũ exauditor.

2 Secundò docetur, an in orationibus locum habeant humana merita? Reſpondet ſcriptura, Deum exauditionem pollicitum, non ſuperbis, non impœnitentibus, non obſtinatis, occultantibus peccata aut defendentibus, non illis qui petunt in falſitate cordis: ſed humilibus, pœnitentibus, confitentibus peccata ſua, obſeruatoribusq́ue mandatorum Dei. Sunt ſcripturæ quamplurimæ quæ hoc conuincunt. Dauid orans dicebat, Cuſtodi animam meam, quia ſanctus ſum. Ezechias. 4. Reg. 20. Recordare Domine quomodo ambulauerim coram te in veritate, &c. feciq́ue in oculis tuis bonum: Rurſum: Habemus fiduciam nos impetraturos quidquid petierimus, ſi mandata eius cuſtodierimus. Si Deus non exaudit ſuperbos, neque impœnitentes, neque peruerſos, ſunt igitur neceſſaria ad orationis effectum, humilitas, lachrymæ, peccatorum confeſſio, cordis contritio: adeò, vt ſi abſint, nihil prorſus ſimus impetraturi. Sitne autem his tanquam meritis dignis oranti nitendum, prudenter conſiderandum eſt. Nam libenter audio quòd in petitionibus noſtris obtinendis nullum locum merita noſtra habeant, neque conſiderandum eſſe noſtram dignitatem, ſed meritum & dignitatem Chriſti. Dummodo hoc (quod negare non poterit niſi indoctus aut obſtinatus) mihi detur eas virtutes quas ſuperius ex ſcripturis attulit, ita eſſe nobis neceſſarias, vt ſine illis, etſi maxima ſit fides, nihil vnquam orantes ſint conſequuturi. Nam eadem ſcriptura quæ dixit per prophetas, Danielem cap. 9. Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuã, ſed in miſerationibus tuis multis, &c. Iſaiam capite 65. Eritq́ue antequam clament, ego exaudiam, &c. & Ieremiam. 14. cap. Si iniquitates noſtræ reſpõderint nobis, Domine fac propter nomen tuum. Etiam per alios dixit, nempe, Baruch ca. 2. Anima triſtis & deſolata.

Merita humana an in orationibus locum habeant.

Pſal. 85.

1. Ioan. 3.

Quæ neceſſaria ad orationis effectum.

 ſolata.

ſolata dat tibi gloriã, Domine ſecundũ bonitatẽ tuam promiſiſti pœnitentibus remiſsionem peccatorum, &c. Manaſſes ita orauit: Dauid, Prope eſt dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Pſal. 144. Quæritis me, & inuenietis cùm quæſieritis me in toto corde veſtro,

Ierem. 29.

Quid petendum.

3 Tertiò docetur hic, Quid ſit petendum: nempe gaudium, non externum corporis aut huius mundi, quod momentaneum eſt, ſed internum atque ſpirituale, quod naſcitur ex obedientia, quã diuinis mandatis præſtamus. De iſto gaudio ait Paulus Philip. 4. Gaudete in domino ſemper, iterum dico gaudete: & Rom. 14. regnum Dei eſt pax & gaudium in Spiritu ſancto.

In cœlo plenũ gaudiũ, at non in mundo.

Incipit hic gaudium noſtrum cùm pacem conſcientiæ acquirimus, perficietur autem & plenum erit in futura vita, cùm Deus videbitur ſicuti eſt, iuxta illud Pſal. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Ea igitur petere nos vult, quę vel ad pacem conſcientiæ, vel ad conſequendam viſionem Dei pertinent. Subindicat etiam hoc loco nullum gaudium mundanum plenum eſſe, ſed illud ſolum, quod à Deo per Chriſtum datur. O quàm felix qui audire merebitur illud Matth. 25. Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Nam hoc ſolũ plenum eſt & æternum, vbi, nemine flente, cum ſolis datur gaudere gaudentibus.

Reprehenduntur hic, qui non petunt aliquid in nomine Ieſu Chriſti, præ negligentia, vbi de dantis miſericordia non dubitatur. Nihil quippe aliud in cauſa eſt, quominus omnia bona Dei in nos deriuentur, quàm quòd non petimus. Poſſet quidem Deus citra orationem noſtram dare omnia, quibus opus habemus, ſicut & pleraque etiam non rogatus dat: vult tamen etiam à nobis rogari, vt vel ſic teſtemur ipſum eſſe omnis boni fontem, ac omnia nos ab ipſo habere, non ex nobis: orationes noſtras exigit, ſicut & opera noſtra. Qui enim creauit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. Ideo, inquit Chriſtus, *Vſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo, petite vt gaudium veſtrum ſit plenum.*

Deus à nobis rogari vult, vt teſtemur ipſum omnis boni fontẽ eſſe.

Gaudiũ fidelium quando plenum.

Nam perfectum & maximum gaudium fidelium eſt, vt fiant quæ iuſsit Chriſtus in oratione Dominica, vt ſcilicet, ſanctificetur nomen Dei, Adueniat regnum Dei, Fiat voluntas Dei in terris, ſicut in cælo, Donetur animæ, & corpori panis quotidianus, remittantur nobis debita, id eſt peccata noſtra, non inducamur in tentationem, ſed vt liberemur à malo.

Triſtitia fidelium quando maxima.

Sic maxima triſtitia fidelium eſt, quando hæc quæ Chriſtus in oratione dominica præcepit, non fiunt: ſed magis fit voluntas diaboli, quàm Dei. nomen Dei blaſphematur, regnum Dei vaſtatur, voluntas patris violatur, verbum Dei non prædicatur, remiſsio peccatorum in ſacramentis, in indulgentiis con-

contemnitur, catholici ab impiis infidelibus, Turcis, & hæreticis, maledictis proſcinduntur & conculcantur.

Conſtat ex his omnibus ſcripturis dogma noſtræ fidei, ſcilicet ad orationem non tantum requiri Dei præceptum & ipſius promiſsionem, verùm ex parte noſtra requiri alia quamplurima: quæ ſi abſint, orationibus noſtris nihil efficimus, quin erũt vanæ, inutiles & præſumptuoſæ. Eſt neceſſariũ vt oraturus in omni petitione duo conſideret, ſcilicet quòd dominus iuſſerit nos orare: alterum, quòd polliceatur exauditionem. Atque hoc eſt ex parte Dei, vt fiduciam inde cõcipiamus nos exaudiendos in noſtris petitionibus. Ex parte noſtra ſunt neceſſaria oraturo, fides, humilitas, vera contritio cordis, ieiunium, lachrymæ, peccatorum confeſsio, bonum propoſitum, obedientia mandatorum Dei: quibus ſi orantes deſtituamur, nihil tandem impetrabimus, etſi ex præcepto Dei intuentes promiſsiones diuinas, oremus. Nam publicanus Luc. 18. ita oraſſe legitur, & niſi habuiſſet humilitatem, contritionem & confeſsionem, nunquam fuiſſet iuſtificatus. Phariſæus orauit ex præcepto Dei, & intuens diuinas promiſsiones: non tamen conſecutus eſt quod petebat: ergo iſta duo non ſufficiunt ad conſequendum quod petimus.

Orature duo neceſſaria ex parte Dei.

Oraturo neceſſaria ex parte noſtra quæ.

Anna amaro animo ita orauit. 1. Reg. 1. & cõſecuta eſt quod petiit. Tobias ingemuit, & cum lachrymis orauit. cap. 3. & 12. Daniel tribus vicibus in die flectebat genua, & orabat voce lachrymabili. cap. 6. Daniel confitebatur ſua peccata & orabat. cap. 9. Ezechias orauit fletu magno. Iſai. 38. 4. Reg. 20. Dauid orans lachrymas cum fletu miſcebat. Pſal. 6. Iudith ſtetit ante lectum orans cum lachrymis cap. 13. & 8. Chriſtus cum clamore valido & lachrymis orauit. Hebr. 5. hæ virtutes fiduciam noſtram adaugent.

Sancti quomodo orauerint.

Hæc in prouerbiis locutus ſum vobis, hoc eſt, obſcurius, & velut per ænigma locutus ſum vobis, nondum quid dicam plenè intelligentibus. Ad literam autem Chriſtus plures parabolas & ſimilitudines dixit, deinde nedum parabolæ Chriſti obſcuræ erant, ſed & alia eius verba, imò omnia Chriſti verba nondum ſpiritu donatis ſunt quaſi parabola, vel ænigma. Hinc Paulus dicit Euangelium eſſe myſterium ab oculis mundi abſconditũ, Epheſ. 3. Si enim mundus intelligeret quantus bonorum theſaurus in Euangelio ſitus eſſet, non tam inſanus eſſet, vt ipſum perſequeretur, iuxta illud: Si cognouiſſent, nunquam dominũ gloriæ crucifixiſſent. 1. Cor. 2.

Verba Chriſti nondũ ſpiritu donatis parabola ſunt & ænigmata.

Vult etiã Chriſtus per hæc verba dicere: Hactenus nihil niſi vmbras, & figuras habuiſtis, nunc tẽpus eſt, vt ſuccedat veritas & manifeſtentur, quæ hactenus latuerunt figuris. In huius ſignum in morte Chriſti velum tẽpli ſciſſum eſt, hinc ſequitur. *Matth. 27.*

Venit

Venit hora cum iam non in prouerbiis loquar vobis; ſed palam de patre meo annunciabo vobis. Intelligitur hoc ſecundũ Chryſoſt. de tempore reſurrectionis, quando per dies 40. apparens eis, locutus eſt de regno Dei. Act. 1. quando aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas. Luc. 24.

Per Chriſti Euangelium agnoſcimus patrem et omnia bona ab eo expectamus.

Commodè quoque refertur ad diem Pentecoſtes, quo miſit ſpiritum ſanctum omnem veritatem docentem, qui manifeſtat Euangelium, quo per Chriſtũ agnoſcimus Deum patrem noſtrum eſſe factum, & nos filios Dei. Itemque, quòd à Deo omnia bona expectare debeamus & poſſimus, hoc eſt, palam annunciare de patre, quod etiam nunc fit vſque ad finem mundi.

In nomine Chriſti petendum in tẽpore acceptabili.

In illo die in nomine meo petetis. In illo die ſcilicet reuelatæ gratiæ, die ſalutis & acceptabili tempore, quando ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, in nomine meo petetis. Tunc enim cognoſcetis verè, quòd ego in patre, & pater in me eſt. Rom. 8. Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Hinc legimus Apoſtolos poſt acceptum ſpiritum ſanctũ crebrò orationi inuigilaſſe. Act. 3.

Non dico vobis quia ego rogabo patrem de vobis. Non vult hic excludere ſuam interpellationem, ſed admittit Apoſtolos, & nos in ſuam communionem, vt ſimus nos ipſius fratres, cohæredes, & membra, & in ipſo ſimus reges & ſacerdotes, vnde Paulus ait: Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed ciues ſanctorum & domeſtici Dei, &c. Epheſ. 2.

Pſal. 117. & 145.

Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo exiui. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus. Quid maius nobis cõtingere potuiſſet? Magnũ videtur amari à principibus: verùm Dauid ait, Nolite confidere in principibus, in filiis hominũ, in quibus non eſt ſalus: felix autem eſt quem Deus amat.

Cauſa amoris patris in nos eſt noſter amor in Chriſtum et fides.

Vnica autem cauſa huius amoris eſt, quòd Chriſtum amamus, & in eum credimus. Indicat igitur hic locus gratiſſimum cultum Deo patri eſſe, ſi filium eius amamus, & in eum credimus. Cæterum, ſi propter hoc ſolum nos amat Deus, conſequitur, quòd qui Chriſtum non amant, nec in eum credunt, eos nec Deus amat.

Duas vias Chriſtus ambulauit.

Exiui à patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. Duas vias tranſiit Chriſtus, vnam è cælo in mũdum, vt nos in cælum eueheret, in qua cõſpicitur eius immenſa charitas Baruch 3. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Alteram è mũdo per crucem ad patrem: in qua conſpicitur perfectiſſima eius obedientia. Ephe. 4. Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos.

Vtrãque viam & nos tranſire oportet.

Vtramque viam & nos tranſire oportet. Primò ad proximum per dilectionem. Secundò ad Deum per obedientiam.

Cæte-

Cæterum, ſicut Chriſtus non ita exiuit à patre, vt ipſum relinqueret: nuſquam enim ab eo ſeparatur, vnde etiam in terra poſitus dixit, ſe eſſe in cælo & in ſinu patris. Ioan. 3. ſic non ita reliquit mundum, vt prorſus iam non ſit in mundo, vt ſacramentarij fingunt, cuius virtute, prouidentia, & cura adminiſtrantur omnia. Sic igitur verbum hoc intelligitur: Exiui à patre formam ſerui accipiens, & veni ſaluare mundũ, cuſtodiendo vias duras propter verba labiorũ eius, iterum relinquo mundum deponens ſeruitij iugum, & vado ad patrem, propter paſſionem mortis accepturus gloriam & honorem. Hebr. 2.

Non ita mundum reliquit Chriſtus vt prorſus iã non ſit in mũdo, vt ſacramentarij fingunt.

Dixerunt ei diſcipuli: Ecce nunc palam loqueris & prouerbium nullũ dicis: nunc ſcimus, quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, vt quis te interroget. Per hoc vtique quod ſcis omnia, *credimus quia à Deo exiſti.* Tria dixerat dominus, quibus plurimum cõſolati fuerunt: quòd pater eos amaret, & quòd à Deo erat, & quia ad patrem ibat. Hoc autem maximè inter alia reſpirare fecit, quòd erãt amici patris. Vnde apertè oſtendunt, quia loquens dominus ad eos, de his maximè diſputabat, quæ illos delectabat audire, & quæ interrogare volebant. Vnde meritò illum ſcire omnia quaſi Deum, & quaſi Dei filium à Deo veniſſe cõfitentur. Apertum namque diuinitatis iudiciũ cogitationum noſſe ſecreta. 3. Reg. 8. Hier. 11. Quare non tranſeunter hæc commemorãda ſunt, ſed ſolerter inuigilandum eſt, vt non verba tantum & opera, ſed & ipſa cordium ſecreta diuinis digna reddamus aſpectibus. Petamus ergo ſupernam clementiam, quod eſt verè in nomine ſaluatoris petere, vt & cordis munditiam, & boni operis præſtet efficaciam, & citius venire optemus ad illam cæleſtem patriam in qua facie ad faciem clarè videre mereamur. 1. Ioan. 3. Chariſsimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus, ſcimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.

Diuinitatis apertum iudicium cogitationum noſſe ſecreta.

EPILOGVS.

1 *Promiſſio de ſacerdotio & interceſſione Chriſti, qua conſcientias reddit quamcertiſſimas exaudiri in orationibus. Hebr. 7. Ipſe quòd maneat in æternum, perpetuum habet ſacerdotium. vnde & ſaluos facere ad plenum poteſt, qui per ipſum adeunt Deum: ſemper viuens ad hoc, vt interpellet pro nobis, iterum 9. cap. Non enim manufacta ſancta ingreſſus eſt, exemplaria verorum, ſed in ipſum cælum, vt appareat nunc in conſpectu Dei pro nobis. Et hæc eſt fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos. Et ſcimus quia audit nos quicquid petierimus. 1. Ioan. 5. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur. Hebr. 4.*

Promiſſio de interceſſione Chriſti.

2 *Euangeliũ non eſt parabolicum & prouerbiale quemadmodũ lex. Palam enim de patre annunciat nobis, veráſque dat promiſſiones, teſte Chriſto.*

Euangeliũ non eſt prouerbiale vt lex.

Chriſtia-

Dignitas Chriſtianorum ſine timore interpellare patrẽ.

3 *Chriſtianorum dignitas ſecurum acceſſum habentium ad Deum, & ſine timore potentium interpellare patrem, & clamare, abba pater. Ipſe pater amat vos, dicit mediator Chriſtus.*

IN DIEBVS ROGATIONVM, QVAS, LITANIAS, VOCAMVS, EVANGELIVM.

Luc.11.

ET factum eſt: cùm eſſet in quodam loco orans, vt ceſſauit, dixit vnus ex diſcipulis eius ad eum, Domine, doce nos orare, ſicut docuit Ioannes diſcipulos ſuos. Et ait illis, Cùm oratis dicite, Pater, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & nos dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. Et ait ad illos, Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, Amice commoda mihi tres panes, Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum. Et ille deintus reſpondens dicat: Noli mihi moleſtus eſſe; iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili: non poſſum ſurgere & dare tibi. Et ſi ille perſeuerauerit pulſans: dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens eo quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios. Et ego dico vobis, Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piſcem: nunquid pro piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ouum, nunquid porriget illi ſcorpionem? Si ergo vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quantò magis Pater veſter cæleſtis de cælo dabit Spiritum bonum petentibus ſe?

Orandi forma.

IN HOC Euangelio Chriſtus tria docet.

1 Primò formam orandi, cum ait: Cum oratis, dicite, Pater noſter, qui es in cælis, &c. Hæc oratio tres partes habet.

Oratio dominica tres partes habet. Præfatio. Pater verbum eſt fidei.

Prima præfationem, quæ eſt, *Pater*, quod eſt verbum fidei. Nihil tam auget fiduciam, inflammat affectum, lætificat humilem animam, quàm Deum verum velle à fidelibus vocari, pater: hinc, Mat. 23. Vnus eſt pater veſter, qui eſt in cælis. Ideóque Apoſtolus ait: Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, abba pater.

Rom.8.

Noſter, verbũ eſt charitatis.

Noſter, intulit, non meus. eſtque hoc verbum charitatis, vt omnes quaſi fratres vnius patris habeamus. Matth. 23. Omnes vos fratres eſtis. Et ideo orare debemus pro inuicem, vt ſaluemur. Iaco. 5.

In cælis, verbũ potentiæ diuinæ.

In cælis, addit, quod eſt verbum potentiæ diuinæ. vnde nobis omnia bona expectanda ſunt hic in terris. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum, deſcendens à patre luminum. Iaco. 1.

Petitiones ſeptem.

Secunda pars habet ſeptem petitiones, quæ ſunt. *Sanctificetur nomen tuum.* Vult, vt dicamus: Pater noſter qui es in cælis, nos autem

autem filij tui in terris, patrem neſcimus niſi te: ex te vno pendemus, à quo nobis petenda ſunt omnia quibus opus eſt ad veram vitam. fiat ergo, vt per nos tuo beneficio puros & integros, tua potentia, tua ſapientia, tua bonitas magis ac magis innoteſcat hominibus, & ſic per noſtrã doctrinam ac vitam, inter homines fiat inclytum & glorioſum nomen tuum, & intelligãt omnem gloriã tibi deberi: non enim eſt noſtra gloria, cùm tui muneris ſit, quicquid à nobis rectè geritur. Facito ergo nos ſanctos, vt & tu per noſtræ conuerſationis ornatum glorificeris, iuxta illud: Dominum exercituum ſanctificate. *Nomẽ Dei per noſtram vitã ſit inter homines glorioſum.* *Iſai. 8.*

Adueniat regnum tuum. Hactenus toto orbe regnauit ſatanas per peccatum, cui ſeruierunt homines illecti cupiditatibus impiis: tu fac, vt ſublatis peccatis, aboleatur tyrannis ſatanæ, nec regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Roma. 6. vt indies magis ac magis inualeſcat regnum tuum: quod non opibus aut ſatellitio, ſed modeſtia, pudicitia, lenitate, tolerantia, fide, charitate cõſtat, vt profligatis vitiis vnà cum malis cupiditatibus, vim ſuam exerant inter homines tuæ virtutes cæleſtes, ac ſic regnes tu ſolus in nobis, citòque militantis eccleſiæ regnum conſummetur, ac citò veniat, vt transferamur de via ad patriam triumphantem. *Regnum Chriſti non opibus aut ſatellitio, ſed variis conſtat virtutibus.*

Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra. Fiat tandem per gratiam tuam, vt quemadmodum in cælis, vnde præcipitatus eſt Lucifer cum ſuis coniuratis, parata ſunt omnia, & nulla aduerſus tuam voluntatem rebellio: ita inter Dei filios ſucceſſuros in locum angelorũ, ſublatis peccatis, & effuſo tuo in eo ſpiritu, tuæ voluntati pareant omnes: cunctis (quantum patitur imbecillitas humanæ naturæ) iam hoc meditantibus, quod perfectè continget in futura vita. Hæ tres petitiones ad Dei gloriam pertinent. *Hæ tres petitiones ad Dei gloriam pertinent.*

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Ale pater, quos genuiſti: proſpice nobis, ne deficiat panis ille tuus præcipuus gratiæ ac doctrinæ, de quo Eccleſ. 15. fit mentio: necnon ſuperſubſtantialis ille panis filius tuus, qui ait, Ioan. 6. Ego ſum panis verus, qui de cælo deſcendi, vt eo quotidie ſumpto, confirmemur, & adoleſcamus, vegetique reddamur ad tua iuſſa perficienda.

Iubet non pro diuitiis & delitiis, non pro pretioſæ veſtis ornatu, ſed pro cibo tantùm quotidiano orandum. Prouerb. 30. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tãtum victui meo neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicã: Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus, furer, & periurem nomen Dei mei. *Orandum non pro diuitiis & delitiis, ſed cibo quotidiano.*

Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Præſta nequando noſtris delictis offenſus, alienes animum tuum à nobis, ſed pro tua clementia ignoſce nobis delicta,

quæ

quæ per infirmitatem vitæ committimus, vt tecum pacem habeamus, quemadmodum & nos inuicem condonantes, ſi quid alius in alium deliquit, mutuam alimus concordiã, habet enim nos Deus vt exemplaria, & quod facimus aliis, facit & nobis.

Habet nos Deus vt exemplaria: quod facimus aliis, fit nobis.

Ne nos inducas in tentationem. Communi omnium hoſti quæſumus ne tradas nos tentandos, ſi fieri poteſt. Nouimus enim illius malitiam, nouimus improbitatem & verſutiam: quòd ſi patieris nos incidere in tentationem, vt explores animi noſtri conſtantiam, oramus, vt in ea des nobis conſtantiam, de alia verò, quæ à malo per carnem & mũdum fit, petimus victoriam, ne in ipſam inducamur, quamuis ipſa inducatur in nos per impugnationem.

Sed libera nos à malo. Tu pater optime libera nos à malo illo & peſſimo, cuius eſt tentare, ne ei ſuccumbamus, hoc eſt, dæmone, qui per ſe & ſuos impugnare non ceſſat. 1. Pet. 5. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.

Libera nos quoque a malo æternæ damnationis, in quos ſecum præcipites trahere conatur. Mors enim peccatorum peſſima. Pſal. 33.

Hæ quatuor petitiones ad homines pertinent.

Et hæ quatuor petitiones ad nos homines & proximos pertinent.

Concluſio orationis dominicæ. Amen.

Tertia pars habet concluſionem, *Amen.* Hoc eſt, Hæc vota, tua bonitas rata velit eſſe. Crebrò Dominus hac dictione in Euangelio vſus eſt, ſed hic non ſine cauſa. Eſt enim orationis ſignaculum fructuoſum, & animi recollectiuum. Nam dicendo, Amen, affectus ſummatim fertur ad omnia præinducta, & renouatur affectio impetrandi: ſicque oratio cum feruore finita pleniorem ſortitur effectum.

Maximè eſt conſiderandum, id quod Eccleſia Romana in ſolennioribus ſacris ſemper canit, ſcilicet, quòd ſacerdos dominicam orationẽ dicturus, non temerè, neque ex abrupto incipit, Pater noſter, &c. ſed primò exorſurus ait: Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati audemus dicere, Pater noſter. Ex illa præfatione rapimur in conſiderationem magnæ illius dignitatis Dei & Chriſti Ieſu, per quem tantam gratiam conſecuti ſumus, vt filij Dei nominemur & ſimus: per quem etiam in eam dignitatem euecti ſumus, vt Deum omnipotentem, patrem vocare poſsimus & audeamus. Quæ conſideratio magis animos noſtros in eiuſdem Chriſti amorem, timorem, atque reuerentiam, & omnem pietatem accenderit, ſi duo digniſsima (quæ ab omnibus Chriſtianis conſiderentur) animo verſemus.

Conſideratio dignationis Dei & Chriſti accendet nos in amorẽ & pietatem, ſi duo conſideremus.

Primum, quòd nos tantum Deum patrem vocare poſsimus, & nobis tãtum liceat: idque ex benigna Chriſti permiſsione, &

ſanctiſ-

anctiſsima eius doctrina, quod ſanè Turcis, Gentilibus, hæreticis minimè licet: quia eos Chriſtus hoc non docuit, nec ipſos habet fratres. Auguſt. ſermone 29. de verbis Apoſt. refert, quod nec catechumenis liceat Deum patrem vocare.

Quod Deum patrem vocamus eſt ex benigna Chriſti permiſsione.

Secundum, quod incredibilem animabus noſtris lætitiam parit, eſt, quòd quamplurimi Patriarchæ, prophetæ, & reges non ſunt auſi hanc vocem ſibi vendicare, nec dicere: Pater noſter &c. Iſaiam cap. 63. legimus dixiſſe: Tu domine pater noſter, & redemptor, &c. Sed in templo orantes, non dicebant, Pater noſter. Publicanus dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori, &c. Phariſæus: Domine, gratias ago tibi, &c. ita Salomon, ita prius Dauid, ita Manaſſes & Ezechias. Nos verò audemus, & non temerè, eum, quem reges, quem prophetæ dominum Deum vocabant, patrem vocare. Quod ſanè admirabilem doctrinam continet, quam docto concionatori eruendam relinquo. Gloriabuntur Iudæi ſe habere patrem Abrahamum: quid nos faciemus, qui Chriſtum patrem & fratrem habemus, ac dicimus?

Eſt etiam notandum, eccleſiam ex vetuſta traditione patrum, eccleſiæque vniuerſalis conſenſu, hanc conſuetudinem fidelibus inuexiſſe, vt orantes Deum, qui velit ipſis opem ſuam ferre, litaniam Sanctorum cantandam, legendamque abhiberent, vt Sanctis pro ipſis intercedentibus, facilius Chriſti gratiam ſibi conciliarent. Vnde confirmatur dogma de interceſſione Sanctorũ, antiquitate, & cõmuni totius eccleſiæ conſenſu & vſu. Videant hæretici qua fronte negare hoc præſumant.

Eccleſia quare cõſuetudinem inuexit vt orantes Deum litaniam ſanctorũ canerẽt.

2 Secundò, docet hic Chriſtus, perſeuerantiam in oratione, cum ait: *Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, &c.* Hic notabitis amicum venientem de via, & diuertentem ad nos media nocte, eſſe varias tentationes & calamitates, quæ ex improuiſo nobis eueniunt: Solemus enim cùm affligimur etiam dentis dolore, dicere: O quàm malus hoſpes hic mihi eſt, qui me dies noctesque excruciat?

Amicus de via, quis.

Dormientem hic amicum notabitis eſſe Dominum Deum noſtrum, qui nobis in tribulatione & anguſtia clamantibus dormire videtur, quando preces noſtras non tam citò exaudit. Orationis igitur malleo, ad paterni cordis ianuam pulſamus, & petimus tres panes, hoc eſt, auxilium atque ſalutem à Deo patre, & filio, & ſpiritu ſancto.

Dormiẽs amicus, quis.

Tres panes, qui.

Vult innuere petitionem noſtram debere eſſe vtilem. Nam filij Iſraël in malum ſuum petierunt carnes, Nume. 11. Conſeſſum regni petentes filij Zebedæi, reprehenſi audierunt: Neſcitis quid petatis, Matt. 20. Et Iaco. 4. Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis.

Petitio debet eſſe vtilis.

Tria ſunt genera bonorum. Tria ergo ſunt genera bonorum, teſte Auguſtino, Infima, quæ ſunt temporalia, & hæc ſub conditione & moderamine petenda. Quum à Deo, inquit, petis temporalia, cum modo pete & timore: illi committe, vt ſi proſint, det: ſi ſciat obeſſe, non det. Quid enim proſit vel obſit, nouit medicus, non ægrotus.

Media ſunt ſpiritualia, vt virtutes & dona Spiritus ſancti.

Bonum temporale petendum in ſubſidiũ: ſpirituale in meritum. Cæleſte in præmium. Suprema, æterna ſunt, hæc abſque conditione petenda. Bonum ergo temporale petendum in ſubſidium, ſpirituale, in meritum, cæleſte, in præmium. Hinc etiam monet Chryſoſtomus, dicens: Illa pete à Deo, quæ tibi magis expediunt, & Deum magis decet præſtare, & te accipere: Si autem ſemper petis terrena, aut difficilè impetras, aut fortè non impetras. Quomodo enim illa præſtabit libenter, quæ ſi habes, admonet vt contemnas? *Quales panes petendi.* Panes ergo petere oportet non corporales, quibus corpus: ſed ſpirituales, quibus paſcitur anima. Intelligentiam puta Trinitatis, qua præſentis vitæ conſolantur labores, vel fidem, qua intellectus: ſpem, qua irraſcibile: charitatem, qua concupiſcibile paſcitur, vt intelligamus, diligamus & faciamus: hoc cibo reficitur corpus, anima, & ſpiritus, ne pereant.

Deus quomodo ſe exhibet erga nos. Matth. 14. Marc. 6. Sed quomodo Deus ſe exhibet erga nos? Ab initio tacet, quaſi dormiat, nec audiat nos pulſantes: Ita legimus Mat. 8. Chriſtum naufragantibus diſcipulis, dormiuiſſe. Item Luc. 8. & Marc. 4. Legimus etiam alias, mari ſæuiente Chriſtum ita apparuiſſe, vt phantaſma videretur.

Deinde, licet excitatus reſpondeat, tamen mox non conſolatur: quin aliquando verbo aſpero petita negat. ſicuti Chananææ, Matth. 15. ſicut hic homo euangelicus, qui amico reſpondit: Noli mihi moleſtus eſſe. *Deus quare nonnunquam difficulter exaudit.* Difficulter quippe exaudit Deus, vel quia minus ſumus idonei. Thre. 3. Nos iniquè egimus, propterea inexorabilis factus es. Vel differt dare, vt amplius deſideremus dilatum, nec vileſcat cito datum.

Tandem ſubiungit conſolationem, dum ait Chriſtus: *Propter improbitatem ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.* Quod amicus ergo egens faceret apud amicum hominem, hoc multo magis vnusquiſque audeat facere apud benignum Deum patrem: cui grata eſt talis importunitas, & qui dando exhauriri non poteſt. *Improbitas ſeu importunitas perſeuerantia non eſt Deo ingrata.* Eccleſ. 18. Non impediaris orare ſemper, & ne verearis vſque ad mortem, quoniam merces Dei manet in æternum: Nam ſi homo improbus ita exauditur, quid de Deo non ſperabitis? *Et ego dico vobis: Petite & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis.* Huc pertinet parabola, de iniquo iudice. Lucæ. 18. & de Syrophæniſſa. Matthæi 15. Auguſt. Petite fide, quærite ſpe, pulſate charitate.

Argumentum à minori. 3 Tertiò, hic docet Chriſtus bonitatē patris cæleſtis, cùm ait: *Quis ex vobis pater, à quo ſi filius petierit panem, nunquid lapidem dabit illi?*

li? &c. Si ergo quis à patre cæleſti petierit panem charitatis, piſcem perfectæ fidei, ouum ſpei, dabit ei non cōtraria, ſed remouebit ab eo lapidem obdurationis, ſerpentem infidelitatis, & ſcorpionem deſperationis. Si enim pater carnalis non dat malum, petenti bonum, multò minus pater cæleſtis, qui eſſentialiter bonus eſt, & à quo omne bonum, Iaco. 1. Et quia ſummè bonus, ideò ſummè communicatiuus: & quia pater, habet ad filios beneuolentiam; quia veſter, habet de vobis diligentiam: quia in cælis, habet in dando ſufficientiam. *Si pater carnalis non dat malum petēti bonū, multò minus pater caleſtis qui ſummè bonus eſt, &c.*

Spiritum vtique bonum petentibus dandum à patre pollicetur, quia ſiue fidem, ſpem, charitatem, ſiue quælibet bona cæleſtia deſideramus adipiſci, non aliter nobis hæc, quàm per Spiritus ſancti donum, tribuuntur. Hinc Pſal. 50. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Quia ſi non interiora ſpiritus Domini rectus impleuerit, cor in nobis mundum vnde eſt non habebit.

Petunt verò panem, & conſequuntur lapidem, qui venientes ad templum orant Deum: Deus in adiutorium meum intende, Pſal. 60. Domine in nomine tuo ſaluum me fac. Pſal. 53. Legem pone mihi Domine. Pſal. 118. & non orant ex corde, neque in humilitate, neque ſeruantes mādata Dei, neque propter Deum, ſed tantum propter quæſtum panis. Item qui dicūt, Pater noſter. Aue Maria. Credo, &c. non facientes quæ dicunt, ſed præuaricantes Dei mandata; hi & ſi panem petunt, lapidem, id eſt cor durum, inuenient. *Petētes panem & accipientes lapidem qui.*

Petunt piſcem & conſequuntur ſerpentem, qui gaudēt ſummum Pontificem, Cardinales, Epiſcopos, Monachos, clericos, & proximos calumniari, & falsò apud populum grauare, omnium inuidiam & odium ipſis conflantes, hi pro piſce charitatis, recipient ſerpentes virulentia plenos, qui ipſos in æternum cruciabunt. *Petētes piſcem & conſequētes ſerpentem qui.*

Petunt ouum & conſequuntur ſcorpionē, qui petunt à Deo ſolam fidem, charitatem & alias virtutes iuſtitiæ operatrices, tanquam ad hoc opus inefficaces, reiicientes, ac retrahentes populum à vero cultu Dei, ac vera obedientia eccleſiæ, hi non ouum, ſed ſcorpiones infernales accipiunt. *Petētes ouum & accipientes ſcorpionē qui.*

Hæc tria genera hominum, quamuis diu multumque petant, quærant & pulſent, non exaudientur, neque ſpiritum bonum, quem Deus filiis ſuis promiſit, obtinebunt, quia ſpiritum malum in cordibus ſuis habent, qui ipſos ad omnia flagitiorum genera impellet, & in infernum præcipitabit, tam catholicos, quàm hæreticos, niſi vtrique reſipiſcant: illi à peccatis, & hi ab iiſdem & aliis criminibus. *Hæc tria hominū genera cum petant & pulſent, quare nō exaudiuntur.*

Doceant igitur cōcionatores ſuos auditores, nunquā melius oraturos, quā cum pectore vacuo malitiis, cacodæmonibus, &

aliis paſsionibus, rogauerint Deum, vt ipſorum pectora gratia & virtute ſancti ſui ſpiritus impleat.

In publica calamitate ad orationes, ieiunia, eleemoſynas, tanquam ad ſacram ancho ram confugien dum.

Habet ex Apoſtolorum traditione Eccleſia, vt quando populus publica aliqua punitur calamitate, orationes, ieiunia, eleemoſynas fidelibus iniungat: quibus & Deum placari ſolitũ legimus, Ionæ 3. Ioël. 2. 1. Reg. 7. & 31. 2. Eſdræ 9. Actor. 13. ieiunat Eccleſia in ordinatione Pauli & Barnabę, Act. 14. Cõſtituuntur presbyteri per ſingulas eccleſias non ſine orationibus & ieiunio, &c. Conditiones legitimi ieiunij habet Iſaias cap. 58. Ioël. 2.

EPILOGVS.

Formam præſcripſit Chriſtus, quomodo et quid petendum.

1 *Poſtquam multis verbis Dominus docuiſſet ſuos Chriſtianorum precationem, nec oportere ad oſtentationem paratam eſſe, nec de rebus quibuſlibet, præſcripſit formam, quomodo & quid petendum ſit oſtendens.*

Pulchra ſimilitudine docet quomodo oportet ſemper orare.

2 *Pulchra ſimilitudine ſtabilitatem & perſeuerantiam in orando docet. Luc. 18. Oportet ſemper orare, & nunquam deficere. Plurimum enim valet improbæ preces apud altiſsimum, & aſsiduæ. Patet in Helia. Luc. 4. Iaco. 5. 3. Reg. 17.*

Orandum quid perſeueranter.

3 *Docet quid conſtanter nos petere oporteat, nempe, ſpiritum bonũ. Sapi. 7. Inuocaui & venit in me ſpiritus ſapientiæ. Petamus ergo Deum patrem, vt ſpiritus ſui gratia nos in viam rectæ fidei, quæ per dilectionem operatur, inducat: & vt optata mereamur percipere, taliter viuere ſtudeamus, ne tanto patre ſimus indigni. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Pſal. 142.*

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI,

EVANGELIVM.

Marc. 16.

IN illo tempore, Recumbentibus vndecim diſcipulis, apparuit illis Ieſus, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum reſurrexiſſe à mortuis, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundũ vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

IN HOC Euangelio Chriſtus facit quatuor.

1 Primò, exprobrat diſcipulis ſuis incredulitatem illorum & duritiam cordis, quia his qui eum reſurrexiſſe viderãt, non crediderunt. Hoc factum eſt Ieroſolymis ipſo die reſurrectionis veſperi, recumbẽtibus diſcipulis, abſente Thoma. Et cauſa huius exprobrationis fuit, quòd Chriſtus apparuerit Mariæ Magdalenæ,

Cauſa exprobationis Diſcipulorum.

dalenæ, Matth. 28. aliis matronis, Ibidem. Petro, Luc. 24. Duobus diſcipulis euntibus in Emaus, Ibidem: & vndecim diſcipulis veſperi, Marc. 16. & tamen non crediderant. Hiero. Increpat incredulitatem, vt ſuccedat credulitas, exprobrat duritiam cordis lapidei, vt ſuccedat cor carneum, charitate plenum, de quo Ezech. 36. Nam cor durum malè habebit in nouiſsimo. Cauſa increpationis fuit, quia teſtibus omni fide digniſsimis non crediderunt. Sic & meritò in Eccleſia increpandi ſunt quidam obſtinati, qui potius attendunt ſpiritibus impoſtoribus ac doctrinis dæmoniorum, à veritate auditum auertentes, & ad fabulas conuerſi, quàm Eccleſiæ catholicæ fide digniſsimæ: quæ iuxta Paulum columna eſt, & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3. Hinc alio loco monet, Doctrinis variis ac peregrinis ne circumferamini. bonũ eſt enim gratia ſtabilire cor. Ibidem 3. cap. Videte fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis, &c. *Eccle. 3.* *Qui in Eccleſia digni ſunt increpatione.* *Hebr. 13.*

2 Secundò, mittit diſcipulos ſuos in vniuerſum mundũ prædicare Euangelium omni creaturæ, docere, & baptizare omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Hoc factum eſt in Galilæa, in monte Thabor, inter tempus reſurrectionis & aſcenſionis. Ait autem: Ite, quaſi boni paſtores, tales vos cõſtituo. Poteſtatem eam quam ego à patre ſuper animas credentium accepi, vobis communico. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Ite igitur ad oues veſtras, eas curate, inſtruite & viſitate. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui, vt eatis & fructum mihi afferatis. *Vbi Chriſtus miſit diſcipulos.* *Ioan. 20.* *Ioan. 15.*

In vniuerſum orbem, in omnes angulos terrarum. Totum mundum creaui, totum redemi, omnibus mortuus ſum, omnibus reſurrexi. Ideóque totum mundum doceri & vocari volo, non ſolùm Iſraëliticas oues, ſed & alias, quæ non ſunt de hoc ouili oportet adduci, vt fiat vnũ ouile & vnus paſtor. Ioan. 10. Act. 1. Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.

Prædicate Euangelium: non veſtras inuẽtiones, aut nugas, quod iniqui faciunt. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua Pſal. 118. Propheta, qui habet ſomnium, ſcilicet vanum, narret ſomnium, id eſt, referat tãquam ſomnium & non præmittat. Hæc dicit Dominus, & qui habet ſermonem meum, tanquam verus propheta, loquatur ſermonem meum verè, ſcilicet præmittendo. Hæc dicit Dominus. Hierem. 23. Sic Apoſtolus: Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, &c. *Euangelium prædicandum.* *2. Tim. 4.*

Omni creaturæ: tam clarè, tam euidenter, tam diligenter, vt per vos non ſtet quo minus omnis creatura audiat & intelligat

Homo virtualiter non formaliter omnis creatura. bonum hoc nuncium. Homo enim virtualiter, non formaliter omnis creatura eſt, habens quid commune cum omni creatura, quia omnes differentiæ rerum, ſeu coniuncta genera entium in ipſo concurrunt. Vult ergò ſine perſonarum acceptione omnibus oblatam euangelicam gratiam. Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Rom. 10. Euangelium omni creaturæ prædicandum, quia regnum Dei eſt cœna magna, qua nemo excluditur. Hic diues & pauper, dominus & ſeruus, puer & ſenex conueniunt: hìc leó & ouis ſimul comedunt. Iſai. 11. Homines & iumenta ſaluantur hic, Pſal. 35. Lex verò anguſta, paucis denunciata, Notus in Iudæa Deus, &c. Euangeliũ omnibus prædicatur. Vnum hoc reſtat, vt Euangelio nos conformemus.

Euangeliũ omnibus offertur ſine perſonarum acceptione. Pſal. 75.

Quæ gentibus docenda. Docete omnes gentes omnia quæ præcepta ſunt vobis, non ſolam fidem, vt falsò hæretici docent: ſed præcepta. Nam Chriſtus dixit Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Hæretici contra, Si vis ad vitam ingredi, nihil efficiunt mandata, ſed habe ſolam fidem. Auguſt. lib. de fide & operibus, cap. 6. 7. 8. & 14.

Quatuor in baptiſmo cõſideranda. Primum, materia. 2. forma. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Materia, aqua erit elementaris. Hæc verò erit forma, in nomine: quo deſignat eſſentiæ vnitatem: Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: quo indicat diſtinctionem, & trinitatem, in perſonis.

In primitiua Eccleſia baptizabatur in nomine Chriſti Ieſu. Act. 10. In primitiua quidem Eccleſia baptizabant in nomine Chriſti Ieſu. Act. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti: quia virtualiter includebatur Pater vngens, Filius vnctus, & Spiritus ſanctus vnctio. Poſtea tamen, nomine Ieſu diuulgato & honorificato, rediit Eccleſia ad formam inſtitutam à Chriſto. Exigitur ergo verbum & elementum. Ephe. 5. Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam aut rugam; aut aliquid huiuſmodi, vt ſit ſancta & immaculata.

3. miniſter baptiſmi quis. Tertium, miniſter ad hoc ordinatus, ſed quilibet in neceſsitatis articulo. Ideoque per nullũ miniſtrum vitiatur, quia ipſi miniſterium tantum exhibet. Quid eſt Apollo? Quid verò Paulus? niſi miniſtri eius, qui crediderunt. 1. Cor. 3.

4. effectus, baptiſmi quis. Quartum, effectus, qui eſt peccatorum remiſsio, & gratiæ collatio. Auguſt. A paruulo recenter nato, vſque ad decrepitum ſenem, ſicut nullus prohibitus à baptiſmo: ita nullus eſt, qui in baptiſmo non moriatur peccator. Rom. 6. An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per

baptiſmum in mortem , vt quomodo Chriſtus reſurrexit per
gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Sic par-
uuli ab originali purgantur culpa, & dantur gratiæ & virtutes
in habitu, ſiue in munere, ſiue in vſu.

Alter effectus baptiſmi eſt facere filios Dei. Omnes enim in *Alter effectus*
ortu ſumus filij iræ, Epheſ. 2. ſed per baptiſmum efficimur filij *baptiſmi quis.*
Dei, quia membra Chriſti, Gala. 3. Quicunque in Chriſto ba-
ptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Si autem filij, & hæredes, hæ-
redes quidem Dei, cohęredes autem Chriſti. In huius rei ſignũ,
cæli aperti ſunt Chriſto baptizato, patriſque vox audita: Hic *Matth. 3.*
eſt filius meus dilectus, &c. Non enim ipſi tunc primũ patuere *Marc. 1.*
cæleſtia, quæ nunquam reliquit. Ioan. 3. Filius hominis qui
eſt in cælo: ſed nobis patere demõſtrauit. Sicut enim filij Iſraël
per mare rubrum tranſeuntes, in deſerto manna cæleſti cibati,
& aqua de petra potati in terram venerunt promiſsionis: ſic nos
per baptiſmum mundati, corpore Chriſti vegetati & aqua ſa-
pientiæ ſalutaris potati, in hæreditatẽ cæleſtem introducimur.
1. Corint. 10. Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri
omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, &c. Et
Ioan. 6. Non Moſes dedit vobis panem de cælo, ſed pater meus
dat vobis panem de cælo verum, &c. Ego ſum panis viuus, qui
de cælo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in
æternum.

Tertius effectus eſt, quòd dat Spiritum ſanctum inhabita- *3. effectus*
torem. In cuius ſignum Ioannes vidit ſpiritum deſcendentem, *quis.*
ſicut columbam, in ipſum. Ioan. 1. Et Tit. 3. Secundum miſeri-
cordiam ſuam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis &
renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per
Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrũ, vt iuſtificati gratia ipſius
hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Item Epheſ. 1. In
quo credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt
pignus hæreditatis noſtræ.

Cæterùm, ne quis ſatis eſſe putet ad ſalutem, ſemel eſſe tin- *Baptizati quo*
ctum, ac profeſſum euangelicam fidem, rurſus docendi ſunt, *modo inſtituen-*
quibus modis tueri poſsint innocentiã, quibus rationibus pro- *di.*
gredi queant ad perfectionem euãgelicæ pietatis, Eph. 2. Ipſius
enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis,
quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Fides ſine operi-
bus mortua eſt in ſemetipſa. Iaco. 2. *Docentes*, inquit, *eos ſeruare* *Ioan. 14.*
omnia, &c. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, is eſt qui dili- *Ecclеſ. 9.*
git me. Qui autem in vno peccauerit, multa bona perdet.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Hæc erit vtilitas: *Vtilitas cre-*
ſaluus erit in præſenti per gratiam. Rom. 8. Spe ſalui facti ſu- *dentium.*
mus, In futuro per gloriam. Præcedit ergo prædicatio, prædi-
cationem ſubſequitur fides: fidem regeneratio, quę eſt quædam

Dei (vt ita dicam) filiatio: quam qui cuſtodit, proculdubio ſaluabitur. In Chriſto Ieſu neque circuncіſio aliquid valet, neque *Galat. 5.* præputium: ſed fides, quæ per charitatem operatur.

Qui non crediderit, condemnabitur. Hæc erit pœna. Salus ergo filiorum Dei, gaudium deſignat æternum, condemnatio infidelium, perenne ſupplicium. Ioan. 3. Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. O verbum obſtupeſcendum! Ira Dei manet ſuper eum. Heb. 10. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.

Pœna incredulorum.

Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Hæc eſt ampliſsima illa promiſsio, qua Chriſtus ſuam opem Petro & eius vicariis Romanis, & reliquis Apoſtolis, aciplorum ſucceſſoribus, atque vniuerſæ Eccleſiæ adfuturã vſque ad conſummationem ſeculi pollicitus eſt. Ioã. 17. Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui crediturі ſunt per verbum eorum in me.

Promiſſio ampliſſima qua Chriſtus vniuerſæ Eccleſiæ ſuã opem pollicitus eſt.

Chriſtus ſuam præſentiam, ac, ne cauſari poſsint ſupra vires eſſe quod iniungitur, aſsiſtentiam ſuis diſcipulis, eorumque ſucceſſoribus promiſit. Habet ergo Spiritum ſanctum Eccleſia Romana, quam à Petro Apoſtolo fundatã conſtat: non autem Lutherana, neque Vvittembergica, quæ à diabolo per Lutherum erecta, modò per Brentium ſuſtentatur.

Eccleſia Romana Spiritũ S. habet.

3 Tertiò, ne prædicatio fide careat, addit & miraculorũ vim, ſi modò adſit Euãgelica fiducia, & res ipſa miraculum poſcat: vt probentur, quæ humanam excedunt rationem. Datque illis poteſtatem ſuper omnia dæmonia, ſerpentes, dracones, baſiliſcos, & omnes ægritudines, cùm ait: *Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eiicient. Linguis loquentur nouis: ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Exitus acta probaſſe ſatis diffusè claret ex Actis Apoſtolorum. Huiuſmodi vtique ſigna, quoniam ad cõfirmationem erant doctrinæ fidei, ideo hoc donum miraculorum nonnunquam & malis concedebatur, quia non faciebat ſanctum, vt patet in Iuda. Vide quid dicetur, Matth. 7.

Miracula quare in primitiua Eccleſia Apoſtolis conceſſa.

Poſt tot verò edita ſigna, qui iam ſignum petit, ipſe verum (quod S. Auguſtinus ait) portentum habendum. Quare Gregorius monet: Nolite, inquit, fratres amare ſigna, quæ poſſunt cum reprobis haberi cõmunia, ſed charitatis & pietatis miracula amate: quæ tanto ſecuriora ſunt, quanto & occulta: & de quibus apud dominum eo maior fiet retributio, quo apud homines minor eſt gloria. Vide homil. eiuſdem, & reperies qualia debeant eſſe ſigna Chriſtianorũ. Item Bernardum in ſerm. 1. de Aſcenſ. domini.

Signa Chriſtianorũ qualia debẽt eſſe.

Hæc dona acceperunt Apoſtoli, duplici de cauſa.

1 Vt inde credentes omnes venientes ad fidem, in eius fide confirmarentur: cuius tantam eſſe videbant virtutem & potentiam, vt omnia ei ſubiicerentur: nec de eius omnipotentia vnquam dubitarent, ſicuti dubitabant alij, qui in falſos deos credebant, ſcilicet Gentiles. *Duplici de cauſa donum miraculorum acceperunt Apoſtoli.*

2 Vt inde magnam conſolationem credentes capiant, cùm videant, quòd per fidem in Chriſtum ſint quaſi domini omnium creaturarum viſibilium, & inuiſibilium: Nam, inquit Chriſtus, Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: Trãſi hinc illuc, & tranſibit, &c. Matt. 17. Et hæc eſt victoria, quæ vincit mundum: fides noſtra. 1. Ioan. 5. *Apoſtoli quales per fidem in Chriſtum.*

4 Quartò, aſcendit in cælum, ſedetque ad dexteram patris. Hoc factum eſt in Bethania, teſte Luca 24. cap. in monte oliueti. quod prædictum fuit per Zachariam cap. 14. Et ſtabunt pedes eius in die illa ſuper montem Oliuarum, qui eſt contra Ieruſalem ad orientem: & ſcindetur mons Oliuarum ex media parte ſui ad orientẽ & ad occidentẽ, prærupt⁀u grandi valde: & ſeparabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad meridiem, &c. *Quo in loco Chriſtus aſcenderit.*

Aſcendit eleuatis manibus, ſicut aquila prouocans ad volandum pullos, & ſuper eos volitans, Deut. 32. Vt ipſum ſequi affectibus ſtuderent, theſaurum in cælo quærerent, eoque cor ſubleuarent, dicentes illud Cant. 1. Trahe me poſt te. Quòd Chriſtus eleuatis manibus aſcendit, hæreticus, vt inutilem & ſuperſtitioſam cæremoniam reiicit. *Quomodo aſcenderit Chriſtus.*

Benedixit eis: In hoc patriarcharum ac Moſi referens exemplum. Gen. 46. Deut. 33. Nec tantum Apoſtolis, ſed & eorum ſucceſſoribus benedixit: ſicut oſtenſum eſt ex Zacharia. *Ad exemplũ patriarcharũ ſuis benedixit Chriſtus.*

Videntibus illis aſſumptus eſt, vt aſcenſionis teſtimonium tanquam oculares teſtes, referrent mundo. 1. Ioan. 1. Act. 1. ſicut virtute magna reddebant teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti, Acto. 4.

Cum gaudio aſcendit: Aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ, Pſal. 46. Gauiſi ſunt angeli, quibus gaudium ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, Luc. 15. oue errante iã reportata & inuenta, gauiſi ſunt iuſti. Si Abraham exultauit, vt videret diem Domini, Ioan. 8. quãtum hodie cum omnibus lætatus eſt ſanctis? Nam aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Epheſ. 4. Gaudio repleti diſcipuli, oculis illum, quoad licuit, proſequentes. Cumq; intuerentur in cælum euntem illũ, ecce duo viri, &c. Act. 1. Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Ieruſalem cum gaudio magno: & erant ſemper in templo laudãtes & benedicentes Deum, Luc. 24. Iam enim certa fides *Aſcendit Chriſtus cum gaudio. Matth. 18.*

excuſſerat omnem mœrorem, & certa ſpes promiſſorum addebat alacritatem.

Act.1. Nubes ſuſcepit illum ab oculis eorum, non quia indigebat ſubſidio nubis: ſed voluit eius vti ſeruitio. Virtus enim eius in nubibus. Pſal.67. Sic enim prædictum erat: Qui ponis nubem aſcenſum tuum, 103.

Quo aſcendit Chriſtus. Aſcendit ad cælos. Non manſit in ſepulchro, nec in aëre, nec in inferno. Obſerua Chriſtum in ſcriptura nunc aſcendiſſe, nũc aſſumptum eſſe, dici ſimili phraſi & ratione, qua & dicitur reſurrexiſſe, & excitatus eſſe. Illud ergo deitatis habet expreſſionem, hoc humanitatis. De aſcenſione Chriſti Pſal. 68. loquitur, quẽ locum Apoſtolus exponit de eiuſdẽ aſcenſione, Ephe. 4. Cùm aſcendiſſet in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Cæterũ illud, aſcendit, quid eſt, niſi quòd etiam deſcenderat prius in infimas partes terræ? Qui deſcendit, idem ille eſt, qui etiam aſcendit ſupra omnes cælos, vt impleret omnia. O profundi ſenſus verba, magis contemplationi, quàm explicationi conuenientia!

Primò, credimus Chriſtum in cælum aſcẽdiſſe verum Deũ, & aſſumptum verum hominem. Cælum enim Dei ſedes. Iſa. 66. Humanitati quoque cælum competebat, quia qui ſe humiliat, exaltabitur, Luc. 14. Phil. 2. Per paſsionem & contumeliam in ſuam ingreſſus eſt gloriam. Luc. 24.

Quare Chriſtus aſcendit. Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. Quod de locali ſitu non intelligamus, qui in cælis non eſt: ſed de æqualitate, quam per omnia cum patre habet parem. In cælo apud patrem agit noſtrum aduocatum. Inde Spiritum ſanctum mittit, Ioã. 16. Ibi nos gubernat: Ibi vineæ ſuæ proſpicit, Iſa. 5. Matth. 20.

1. Ioan. 2. *Heb. 7. & Rom. 8.* Ibi glorificationem noſtram parat: qui eſt in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitę æternæ heredes efficeremur, profectus in cælum, ſubiectis ſibi angelis, & poteſtatibus & virtutibus.

1 Pet. 3. Breuiter, in cælo eſt noſtrum caput, per quod omnis beatitudo corpori prouenit. Deriuatio iſtæc gratiæ typicè deſignatur in vnguento Aaronis, è capite & barba in ipſum totum corpus veſteſq; manante. Pſa. 133. Huc reſpicit, ipſum aſcendit & deſcendit. Nihil enim nobis proderit Chriſti (aſcendere) niſi per ipſum nobis omnis gratia deſcendat. Adeo omnis noſtra ſpes eſt in cælo, apud ſponſum noſtrum.

Deriuatio gratia in nos deſignatur per vnguentum Aaronis.

Aſcendit itaque Chriſtus in cælum, non aſſumptus à nube, vt Henoch. Geneſis. 5. non in curru igneo, vt Elias. 4. Regum 2. ſed aſcendit propria virtute: ipſe quoque præſtabit virtutem aſcendendi ſuis fidelibus. Parauit nobis viam: nam prædones animarum è medio ſuſtulit, ſcilicet mortem, diabolum,

Heb. 10. infernum, peccatum, vt ſecurum ac tutum ad patrem haberemus aditum.

Vltima

Vltima pars huius Euangelij. (*Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* Admonet nos, vt in vocatione Chriſti mandato obediamus, & conſolatur nos, quòd Dominus ſit benedicturus operibus manuum noſtrarum, ſi modò conſtantes in fide, eius mandata obſeruauerimus. Quia Apoſtoli fecerunt quod Ieſus præcepit, Chriſtus viciſſim fecit quod illis promiſerat.

Tangitur hic quoque Apoſtolica executio, & promiſſionis Chriſti veritas: Iuſsit prædicare, promiſit ſe energiam illis daturum. Vtrumque hîc vides verum. Accepta Spiritus ſancti gratia, profecti illi prædicauerunt. Ipſe ſermonem eorum approbauit ratumq́ue fecit. Illi linguas & vocem operi diuino adhibuerunt, ipſe Chriſtus ſpiritum & virtutem operi addidit, atque per omnigenas virtutes ſermonem illorum confirmauit, hoc eſt, quod Apoſtolus ait: Miniſtri ſumus, per quos credidiſtis. Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit: neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui vegetat Deus. Sic & agricola nequicquam ſementem ſuam fecerit, niſi Deus ipſam irrigans vegetarit.

Apoſtolica executio et promiſſionis Chriſti veritas.

1. Cor. 3.

Virtute iſta etiamnum creſcit verbi ſemen, quando nimirũ Spiritus ſanctus illud arrhabone ſuæ gratiæ in cordibus noſtris obſignat. Miracula plura Eccleſia non requirit. Noui Euangeliſtæ, qui Eccleſiaſticæ traducis non ſunt, Clementem, Dionyſium, Ignatium, Ambroſium, Auguſtinum, &c. non habentes in ſuo corpore, opus habent ſignis & miraculis. Cùm itaq; taſia facta ſint in teſtimonium veritatis doctrinæ, & Deus teſtis non poſsit falſitatis eſſe, ſicq́; comprobata ſit veritas Euangelicæ doctrinæ coram regibus & principibus mundi: propterea abundantius oportet nos obſeruare, ea quæ audiuimus, &c. Heb. 2. Vide ibi ad longum.

Eccleſia non requirit amplius miracula.

EPILOGVS.

1 *Confirmatur in hoc Euangelio veritas illius articuli: Chriſtus aſcendit in cælum, ſedetq́ue ad dexteram Dei patris omnipotentis.*

2 *Indubitatam certitudinem glorificationis corporis noſtri hîc habemus, quòd mortale corpus noſtrum induet immortalitatem, ac corruptibile incorruptionem, 1. Corinth. 15. Docemurq́ue, quemadmodum Chriſtus aſcendit in cælum in corpore & anima, poſtquam voluntatem patris ſui fecit, ita & nos ſi perſeuerantes in fide æterni patris voluntatem fecerimus, nos aſſumendos in vitam æternam, quam noſtris operibus retribuet Deus iuſtus iudex. 2. Timoth. 4.. Non aſcendet in cælum cum Chriſto quiſquam per ſolam fidem, ſed per charitatem: quæ verè dignos nos facit cæleſti illa aſſumptione. Dauid, Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Innocens manibus & mundo corde: qui non accepit in*

Articulus reſurrectionis cõfirmatur.

Heb. 11.

Non aſcendendum cum Chriſto per ſolam fidem, ſed per charitatem.

in vanum animam ſuam, Pſal. 23. Idem: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam, Pſal. 14.

Confirmatio Euangelij per ſigna. 3 *Commiſſio docendi Euangelij in toto mundo, cuius promittitur confirmatio per ſequentia ſigna, & miraculorum vis, ſi res miraculum poſcat.*

DOMINICA INFRA OCTAVAS ASCENSIONIS, QVAE DICITVR (EXAVDI)

EPISTOLA.

1. Pet. 4. *Chariſſimi, Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus. Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hoſpitales inuicem, ſine murmuratione. Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, tanquam ſermones Dei: Si quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum.*

IN HAC Epiſtola D. Petrus hortatur ad tria.

1 Primò, ad ſobrietatem, & vigilãtiam ad orandum, cùm ait: *Eſtote prudentes* (vel ſobrij) *& vigilate in orationibus.* Eſt aûtem ſobrietas omnium virtutum mater & origo: ebrietas verò, omnium vitiorum mater eſt & origo. Homo enim ſobrius & tẽperans, ad omnia bona ſemper aptus eſt, ac idoneus ad ſeruiendum Deo & hominibus: homo autem ebrius & intemperans, nihil boni facere poteſt. Cùm enim cibo potúque obrutus fuerit, ratio iacet ſuffocata, ſenſus eripiuntur, totum corpus veterno torpet, omnia membra ad peccandum ſunt inflammata. Hiero. Vbicunque ſaturitas atque ebrietas fuerit, ibi libido dominatur: ventremq́ue diſtentum cibo, & vino, & potionibus irrigatum, voluptas genitalium ſequitur. Eccleſ. 31. Vinum multum potatum irritationem & iram, & ruinas multas facit. vult dicere: Ne ſitis efferi, & Epicuri de grege porci: ſed prudentes, modeſti, & temperantes. Nihil enim eſt, quod magis impediat fidelium orationes & feruorem, quàm ebrietas, & intemperantia. Nam vbi quotidiana eſt ebrietas, ibi ſequuntur hæc vicia, ſocordia, luxuria, acedia, ſcurrilitas, multiloquium, temeritas, præſumptio, & audacia. Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicunque in his delectatur, non erit ſapiens. Vnde ait Ouidius de ebrietate:

Sobrietas virtutum mater & origo.

Ebrietas omnium vitiorũ.

Nihil ita impedit fidelium orationes vt intemperãtia.

Prou. 20.

Lib. 2. de remed. amoris.

Vina parant animos Veneri, niſi plurima ſumas,
Et ſtupeant multo corda ſepulta mero.
Nutritur vento, vento reſtinguitur ignis:
Lenis alit flammas, grandior aura necat.

Prou. 10.

Cauſa quare inter nos habẽda charitas.

2 Secundò hortatur ad charitatem mutuam, & hoſpitalitatem, cùm ait: *Ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes*, Hìc Petrus adfert cauſam, quare inter nos haben-

habenda ſit charitas, quia, inquit, *operit multitudinem peccatorum.* quaſi diceret: Vbicunque fuerint peccata, & ſi grauiſsima ſint ac deteſtanda, ita vt in deſperationem adigant, ſi adeſt charitas, ipſa ſua virtute ita iuſtificabit peccatores, vt omnia peccata tollat, & euellat: adeò, vt qui charitatis virtutem in ſacramentis diuino beneficio ſuſceperint, nihil damnationis in eis ſit futurum. Rom. 8. Neq; hoc ſolum præſtat, verùm & voluntatem ita immutat, ac perficit, vt vbicunque eſt ira, odium, & inuidia, ibi, iuxta prouerbium, lis litem ſerit, & noxa noxam parit. homo enim, qui odium habet in corde, non deſinit iraſci, ringi, nec ceſſat camarinam mouere, donec inimicum læſerit: homo verò, qui diligit ex animo proximum, non conſiderat, nec aggrauat, nec criminatur, nec aſpicit delicta proximorum: ſed animi dotes atque virtutes, has laudat, extollit, atq; imitatur. *Prouerbia.*

Deinde hortatur ad hoſpitalitatem, cùm ait: *Hoſpitales inuicem ſine murmuratione.* Quo dicto Petrus indicat beneficia in proximum conferenda eſſe, non ex moleſtia, & neceſsitate. Nemo quoque nimium reputare debet, quod propter Deum in pauperes & egenos, orphanos & viduas, erogat. Quæcunque enim, ſiue ea ſunt corporalia, ſiue ſpiritualia dona Dei, non debemus pro noſtra voluntate aut ratione diſtribuere: ſed iuxta Dei voluntatem, vt boni œconomi ac diſpenſatores, in pauperes Chriſtianos erogare. Quod beneficium tam erit Deo gratum & acceptum, perinde ac ſi ipſi collatum fuiſſet. Maximi facit Deus beneficia, quæ in pauperes, propter Chriſtum, contulerimus. Qui enim, inquit, ſuſcipit vnum in nomine meo, me ſuſcipit. Hoc videlicet Paulus dixit ad Heb. 13. Hoſpitalitatis nolite obliuiſci. Per hanc quidam exceperunt angelos, neſcientes, quod contigit Abrahæ, qui homines hoſpitio ſe excepiſſe arbitratus, exceperat angelos. Gen. 18. Idē contigit Loth. Gen. 19. Ob idque Paulus ad Rom. 12. & hic Petrus ad hoſpitalitatis ſtudium Chriſtianos hortantur. *Beneficia in proximum conferenda quomodo.* *Matth. 25.* *Matt. 18.*

3 Tertiò, hortatur, vt quiſque in ſua vocatione ſedulò faciat officium ſuum, cùm ait: *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes: ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* vult dicere: Quemadmodum in magna, & bene inſtituta domo, plurimi ſunt famuli & adminiſtratores, varia habentes officia: ſic in Chriſti regno multi ſunt miniſtri, quibus diuerſa bona corporalia ac ſpiritualia à Deo ſunt commiſſa. Rom. 12. *Quiſque in vocatione ſua officium ſuum faciat.*

Enumerat autem peculiariter officia Epiſcoporum, Prælatorum, atque eccleſiæ miniſtrorum, & ait: Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei, hoc eſt: Si quis habet gratiam docendi, ac nouit ſcripturas, populum fideliter inſtituat, nihilque tradat, quod à verbo Dei ſit alienum, vel indignum. Ne concionetur *Loqui ſermones Dei quid.*

ſua

ſua ſomnia aut commenta, ſed doceat ſcripturam ſacram, doctrinam conciliorum, ſanctorum patrum, nempe Auguſtini, Hilarij, Hieronymi, &c. qui loquuti ſunt ſermones Dei.

Si quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quā adminiſtrat Deus. hoc eſt: Si quis habet officium, is pro ſui capitis opinione nihil faciat: ſed doceat ea, quæ certò nouerit verbo Dei eſſe fundata.

Falſa Lutheranorū doctrina. Falsò docent Lutherani ex iſto loco, & ex altero. Iſa. 6. bonum concionatorem non poſſe aliquid adferre, quod ſumptū non ſit de altari, id eſt, vt ipſi dicunt, ex ſacra ſcriptura, quare nihil volunt ex conciliis, aut patribus, Hieronymo, Auguſtino, &c. è ſuggeſto doceri poſſe. Sed huius erroris falſitas eſt apertiſsima, cùm Paulus Eccleſiis propoſuerit præcepta ſeniorum ſeruanda: & ſubinde in medium adducat teſtimonia Gentilium, Arati ſcilicet, Menandri, & Epimenidis. Ergo ſi Paulus hoc fecit ex Gentilibus, multò magis nobis licebit aliquid adferre ex conciliis aut patribus. Act. 17. 1. Cor. 15. Tit. 1.

Paulus teſtimonia trium gentilium in ſuis cum Epiſtolis tum concionibus adducit.

EPILOGVS.

1 *Sobrietas, vigilia, oratio, charitas, hoſpitalitas Chriſtianos decent.*

2 *Nihil alienum à doctrina Dei loquamur, ne falſi teſtes Dei, & ſacrilegi inueniamur.*

Gloria Dei et publica vtilitas ſcopus Chriſtianorum. 3 *Gloria Dei, vt in omnibus glorificetur Deus per Chriſtum, publica vtilitas, publica honeſtas, ſit ſcopus omnium Chriſtianorum: cum primis eorum, qui præſunt verbo.*

DOMINICA (EXAVDI,)

EVANGELIVM.

Ioan. 15. & 16. IN *illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre Spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimoniū perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis. Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Abſque Synagogis facient vos. Sed venit hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo: & hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me: ſed hæc locutus ſum vobis, vt quum venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.*

Officium Spiritus S. quod. CHRISTVS hoc Euangelio indicat tria. Primò, officium Spiritus ſancti, quem Chriſtus vocat paracletum, hoc eſt, conſolatorem, & aduocatum, contra ſpiritus terroris, timoris, & triſtitiæ. Quia Apoſtoli erant eiiciendi extra ſynagogas, anathematizandi, occidēdi, variisq; ſuppliciis afficiendi à tyrannis & incredulis: ideò ipſis promittit ſanctum ſpiritum, qui conſoletur eorum corda, quiq; ipſos alacres & promptos reddat, vt gaudentes diſcedant à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Act. 5.

Spiritus ſanctus paracletus.

Officium prædicatoris eſt, docere Chriſtianos promiſsio-

nem hanc non tantum Apoſtolis, ſed & omnibus fidelibus factam, vt in ſuis anguſtiis, afflictionibus, perſecutionibus, ſperent ſe habituros ſpiritum ſanctum paracletum, id eſt, conſolatorem: ſi modo paſsiones & afflictiones ſint pro Chriſto. 2. Cor. 1. Sicut abundant paſsiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Quemadmodum enim Deus fidelibus ſuis nimis læta temperat triſtibus, ne inſoleſcant: ſic & nimis triſtia temperat lætis, ne deſperent. Natura noſtra neutrum ferre poteſt, nec nimis læta, nec nimis triſtia. Lætis extollitur, triſtibus deiicitur. Hinc Tob. 3. Poſt lachrymationem & fletum exultationem infundis, &c. Pſal. 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.

Officium prædicatoris eſt docere.

Spiritus S. promiſsionẽ nõ tantum Apoſtolis ſed et omnibus fidelibus factã.

Natura noſtra nec læta nec triſtia ferre poteſt

Vocat proinde Chriſtus ſpiritum, hoc eſt, prædicatorem veritatis, contra ſpiritus mendaciorum & falſitatis, quia ſpiritus ſanctus eum quem poſsidet, facit veritatis amatorem, oſorem mendaciorũ, errorum, & ſectarũ falſarum: quales ſunt Lutheri & aliorum hæreticorum. De huiuſmodi dono ſibi collato agit gratias Ieſus Sirach. Eccl. 51. Confiteor nomini tuo, Domine rex, & collaudo te Deum ſaluatorem meum, quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberaſti cor meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantium mendacium, &c.

Spiritus S. ſpiritus veritatis.

Concionatoris officium hic erit, docere Chriſtianos, vt ſtudeant bonis operibus ſpiritum ſanctum prouocare, qui ipſorum corda illuſtret, & repleat ſua gratia, vt omnem veritatem videamus. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Pſal. 50. Item, Spiritu principali confirma me, Ibidem.

Concionatoris item officium.

Præterea, vocat Chriſtus ſpiritum perhibentem teſtimonium de Chriſto, contra ſpiritus hæreticos negantes diuinitatem Chriſti: & contra gentes, quæ verum Deum negant, quia teſtatur omnibus fidelibus venientibus ad fidem eccleſiæ catholicæ Chriſtum Dei viuentis eſſe vnicum & verum filium, vnicum mediatorem, redemptorem, & ſaluatorem. Eccleſia catholica Romana hunc ſpiritum habet magiſtrum: ipſe teſtimonium perhibet huic Eccleſiæ de Chriſto, de ipſius doctrina, & de omni veritate. Ingens planè teſtificatio eſt fidei noſtræ, quòd filius hominis, in quem credimus, tam multa, tamque inſignia teſtimonia habet: ſiquidem tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, verbum, & ſpiritus ſanctus: Pater, per opera: Filius per verba: Spiritus ſanctus, per collationem gratiarum. Securè igitur glorietur fides noſtra, erigatur ſpes, exultet charitas. Ea ipſa autem tam inſignia Chriſti teſtimonia omnem incredulis excuſationem auferunt.

Spiritus S. teſtimonium reddẽs de Chriſto.

1. Ioan. 5.

Offi-

Officium quoque prædicatoris erit hîc docere Chriſtianos, quòd ſpiritus ſanctus illis teſtimonium perhibet de Chriſto, & de eius doctrina: quando manent in obedientia ſponſæ ipſius, quæ eſt Eccleſia Romana.

Perſona Spiritus S. deſcribitur.

Vide ergo, quàm ſapienter loquatur ſapientia Dei. Primò enim antequam de teſtimonio ſpiritus ſancti loquatur, prius enim eius perſonam deſcribit, ne quis leue putet eſſe teſtimonium ſpiritus ſancti. quaſi dicat; Si perſonam attendis, à Deo procedit. & Deus eſt: ſi certitudinem requiris, ſpiritus veritatis eſt, & ipſa veritas mentiri & fallere non poteſt, ſi virtutem teſtimonij eius quæris & effectum, paracletus eſt: Non in aurem loquitur, ſed in cor; nõ in ſermone eſt eius teſtimonium, ſed in virtute. Eſt & hoc diuinæ ſapientiæ ſignum, quòd quaſi ſingulis verbis, futuras hæreſes proſternit. Primò enim, cùm dicit: Quem ego mittam: clarè oſtendit, quòd nõn à ſolo patre, ſed etiam à filio procedit ſpiritus ſanctus, contra errorem Græcorum. Deinde quod addit: Mittam à patre: clarè oſtendit ſe vnius cum patre ſubſtantiæ eſſe, quandoquidem vnum ſpiritum habent pater & filius, contra Arrium: Præterea quòd addit: Qui à patre procedit: oſtendit Spiritum ſanctum non creaturam eſſe, ſed Deum, contra eundem Arrium. Quod enim ex Deo procedit, Deus eſt. Creaturæ autem non ex ſubſtantia Dei, ſed ex nihilo factæ ſunt, &c.

Hæreſes Græcorum & Arrij refelluntur.

Officium Apoſtolorum, teſtimonium conſtans reddere de veritate doctrina & virtute incontaminata vita Chriſti.

Indicat etiam Chriſtus hoc primo articulo, officium Apoſtolorum, cùm dicit: *Et vos teſtimonium perhibebitis, &c.* Hos vocat Chriſtus teſtes oculatos ſuæ vitæ atque doctrinæ: quos ipſe vocauit, elegit, & ab initio aſſumpſit, vt teſtes illi eſſent in Ieruſalem, in Samaria, & in omni Iudæa & in omni loco, vſque ad vltimum terræ: iuxta doctrinam Lucæ, Act. ca. 1. & in narratione euangelica ca. 24. Inſtruit illos modo quid ſit ipſorum officij, nempe, teſtimonium verum, firmum, & conſtans reddere de Chriſto, de excellentia & veritate doctrinæ eius, quam ipſos docuit, de ſingulari & excellentiſsima virtute incontaminatę vitæ eiuſdem. quaſi dicat: Veſtrum eſt annunciare mundo, me verum eſſe filium Dei: quia hoc audiſtis in monte Thabor. Matth. 17. & idem audiſtis omnes in templo Ieroſolymitano, quando vox illa fuit è cælo delapſa, per quam mihi petenti à patre, vt me glorificaret, pater cæleſtis reſpondit: Et clarificaui, & clarificabo. Vos qui vidiſtis me curantem ægros, iuuantem miſeros, reſuſcitantem mortuos; vos, inquam, qui omnia mea facta explorata habetis, teſtimonium perhibebitis de me apud omnes. Cùm audieritis Iudæos dicentes, me fuiſſe voracem, potatorem, amantem publicanorum & peccatorum, & facientem mirabilia in virtute Beelzebub, teſtatam facietis vniuerſis hominibus meam puritatem, veritatem, innocentiam &

Ioan. 12.

& diuinitatem. Non ſilebitis, ſed prædicabitis mundo me eſſe Chriſtum verum mundi ſaluatorem, filium Dei: qui veni ſaluare, & non perdere: idq́ue tanta conſtantia facietis, vt ſi in conſeſsione & defenſione meæ doctrinæ & innocentiæ neceſſum ſit ſanguinem vitamq́ue profundere, non dubitetis prompto atque præſenti animo omnia tormentorum genera perferre: idq́ue, vt de me teſtimonium perhibeatis.

De Apoſtolorum teſtificatione dicitur, Act. 4. Spiritus ſancti vehementia afflati, & igni diuinæ fortitudinis accenſi, virtute magna reddebant teſtimonium reſurrectionis domini noſtri Ieſu Chriſti, dicentes: Non enim poſſumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui.

2 Secundò, indicat hic Chriſtus, quomodo mundus tractaturus ſit apoſtolos agentes ſuum officium. Ait enim: *Abſque ſynagogis facient vos.* Tribulationes immittuntur ad probationem. 1. Pet. 4. hoc eſt, A ſuis ſynagogis vos expellent, aqua & igni interdicent, & indignos reputabũt, qui ſuis poſsitis intereſſe ſodalitiis, conuentibus, aut ſacris. Hoc factũ eſt viuente adhuc Chriſto. Nam Ioan. 9. refert Iudæos lege cauiſſe, ne aliquis Ieſum Chriſtum confiteretur: exturbareturq́ue extra ſynagogam, qui ſecus faceret. 1. Co. 4. Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus omnium peripſema, vſque adhuc. *Tribulationes quare immittuntur.*

Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Hoc geſta Pauli, cum adhuc Saulus eſſet, teſtantur. Nam de illo legimus, Act. 8. Saulus autem deuaſtabat Eccleſiam, per ſingulas domos intrans, & trahens viros & mulieres tradebat in cuſtodiam. Ibid. 9. Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Chriſti, &c. Idem Paulus Galatis teſtificatur cap. 1. ſe ſupra modum perſecutum eccleſiam Dei, & expugnaſſe eam, &c. Stephanum hac de cauſa lapidatum legimus Act. 7. Ibidem. 23. iurarunt nonnulli, ſe non manducaturos panem, priuſquam Paulum occiderent: ſed quia non habuerunt ſcientiam rectam, nec cauſam iuſtam, ideo zelus eorum non bonus, æmulationem quidem Dei habet, ſed non ſecundum ſcientiam. Vnde Apoſtolus dicit: Ego quidem æſtimaueram me aduerſus nomen Ieſu Nazareni debere multa contraria agere, quod & feci Hieroſolymis, &c. *Zelus mundi non bonus.* *Act. 26.*

Et hac facient vobis, quia non nouerunt patrem neque me. Hoc eſt, Vos patiemini, ſed non ob aliquam culpam veſtram: non quia latrones, nec homicidæ, nec idololatræ: ſed quia me confitemini filium Dei, verum Chriſtum, quem Iudæi non nouerunt, neque noſſe voluerunt. Eſt tamen ſciendum Deum non eſſe iniuſtum, ſi martyres ob hanc confeſsionem patiatur mori, nam omnia, quæcumque nobis facit, vero iudicio facit.

Duplex crux electorum. Crux ea quam hic Dominus electis inſtare adumbrat, duplex eſt, pœnæ ſcilicet, & calumniæ, ne ſupplicium ſine ſcandalo comite veniat. Pœna in temporalium bonorum confiſcatione, in exilio, & in ſuppliciorum illatione, denique in vitæ ſiue animæ ereptione ſita eſt. Et certè hæc pœnæ ſpecies poſterior haudquaquam res eſt parui momenti: hoc quod ipſi tentatori ſatis perſpectum eſt. Iob. 1. dicens: pellem pro pelle, & omnia quæ habet homo, dabit pro anima ſua. *Acerbiſſima crux piorum calumnia.* Altera pars crucis etiã ipſa morte eſt acerbior. Eſt calumnia, qua etiam huius ſeculi homines, tyranni & hypocritæ bonum nomen electorum conantur denigrare. Impius eſt qui famam negligit, &, Nomẽ *Prouerb. 22.* bonum melius eſt vnguentis pretioſis. Et poëta ait: Omnia ſi perdas, famam ſeruare memento. Huius itaque crucis partis, tanquam grauiſsimæ omnium, Dominus cum primis meminit, dicens, *Abſque Synagogis facient vos.* Non eſt parua excommunicationis ſententia iuſtè irrogata, puta cum magna maturitate, non ex odio aut auaritia, ſed ob ſalutem animæ, in pertinaciter inobedientes, Mat. 18.2. Theſ. 3. perversè docentes, Gal. 1.2. Ioan. 1. periculosè viuentes, 1. Cor. 5. Satius eſſet homini *Excommunicationis ſententia iuſtè irrogata, non parua.* mille mortis genera ſubire, quàm ſuapte culpa in excommunicationis pœnam incidere, quia ſeparat à corpore eccleſiæ, ideoque priuat influxu gratiæ à capite. Ioan. 15. priuat ſacramentis & meritis eccleſiæ, Mat. 18. Pſal. 118. ſeparat à communione fidelium. 1. Cor. 5. & ingreſſu cæleſtium. Mat. 18. Verum *At iniuſtè irrogata, meritoria.* ſi ab iniquo iniquè fuerit illata iudice, nihil eſt illa magis meritorium. Terribile eſt è populo Dei deiici, ſed ſummè conſolatorium, non ex eccleſia ſanctorum, ſed è ſynagoga diaboli & Iudæorum nec non hæreticorum depelli. Eccleſiæ quidem & ſanctorum communionem ac Dei gratiam mundus nobis auferre non poteſt: quòd autem ſuam nobis interdicit amicitiam, nihil obeſt, imò plurimum prodeſt. Quò enim longius à mundi conſortio recedimus, & impiorum amicitia, eò propius Deo accedimus.

Mũdi malitia & cæcitas. Arguit ergo Christus his verbis mundi malitiam & cæcitatem. Malitiam, quòd pios pati non poteſt, ſed eijcit & perſequitur iniuſtè. Cæcitatem, quòd eos eiicit, quorum beneficio *Propter pios parcitur mundo.* viuit. Quod autem Deus non ſtatim animaduertit in impios, ideo fit, ne ſimul eradicetur & triticum. Propter pios, qui in mundo ſunt, mundo parcitur. Poſtquam autem à malis ſeparati fuerint, ſtatim iudiciũ Dei irruet in impios. Id quod videm⁹ *Gen. 7. Gen. 14. Exod. 14.* in Noe, Loth, & Aegyptiis. Quã primũ enim Noë ſe ſeparauit ab impiis, Loth à Sodomis, Iſraëlitæ ab Aegyptiis, impii perierunt horrendo iudicio. Non igitur eiiciamus bonos: ſed hoc agamus, vt & nos boni fiamus.

Non eſt triſtãdum ſi peruerſi fugiant noſtra conſortia. Docebit hîc quoque populum pius prædicator, non mirandum

dum nec triſtandum, ſi mali & peruerſi fugiant noſtra conſortia, vitent noſtra colloquia: imò lætandum illis eſſe, qui hoc ferunt. Sed eſt aduertenda regula Petri, ſeruanda in afflictionibus, ſcilicet: Nemo veſtrum patiatur vt fur, vt maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem Chriſtianus glorificet Deum in iſto nomine, &c. 1. Pet. 4.

Proponat etiam populo, quantum poſsit malitia carnis, & in quæ mala nos impellat ſatanas, ſi gratia deſtituamur. Hæretici noſtri temporis exemplo ſint, qui obſequium ſe Deo præſtare falsò & malitiosè arbitrantur, ſi Romanum Pontificem, Cardinales, Epiſcopos ac reliquos vniuerſos ordinis eccleſiaſtici viros ſuis ſedibus exturbauerint. Caueant igitur perdere gratiam. Hæc mala & alia longè grauiſsima incurrit, qui Deũ & filium eius Ieſum Chriſtum non cognoſcit, ſicut eccleſia Romana ipſum confitetur & cognoſcit.

Multum poſſit malitia carnis & ſatanæ ſi gratia deſtituamur.

3 Tertiò, conſolatur Chriſtus ſuos diſcipulos, dicens: *Hæc locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* Scire mala quæ nos ſint ſubſequutura, non parum animos confirmat. Nam quamuis memoria illa nihil iuuare poſſit cùm mala feruent: hoc tamen commodi Apoſtolis & vniuerſis fidelibus, quibus omnibus Chriſtus loquebatur, adfert, vt ſcilicet in mediis tormentis, atque in ipſis afflictionibus, ſubeat animos afflictorum memoria eius, cuius cauſa illa tormenta vel illam mortem patiuntur. Recordabuntur eſſe Chriſtum qui illis prædixit, qui liberauit Petrum in mari. Matth. 14. imperauit ventis: qui liberauit adulteram. Ioan. 8. qui reſuſcitauit Lazarum, qui cùm mortuus eſſet, propria virtute ſurrexit: qui denique alia quamplurima admiranda ſua ipſius poteſtate fecit: qui ſi vellet, & è re afflictorum foret, poſſet illos tormentis eximere, calamitatibus & anguſtiis liberare. Sed quia ita expedit ad ſuam gloriam promouendam, & animarum fidelium electorum vtilitatem, ideò prædicit, Apoſtolos, martyres, virgines, & pleroſque alios fideles variis afflictionibus & calamitatibus concutiendos & exercendos. Quod cùm Apoſtoli ſciret, dicebant, vt Paulus teſtatur alacri corde: Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Magna erat conſolatio omnibus afflictis, ſi animo attento conſideret, quod habet Iacobus: Omne gaudiũ exiſtimate, cùm in varias tentationes incideritis. Iac. 1. docet Paulus quòd tribulatio patientiam operatur: eſt donum Dei tribulationes pati.

Tela præuiſa minus feriunt: hinc Apoſtolis futura mala prædicta.

Ioan. 11.

Rom. 8.

Rom. 5. Philip. 1.

Hæretici ex hoc Euangelio rapiunt ſuam defenſionẽ: dicũt ſe exules, clamant ſe, ſuaſq; fortunas proſcribi, dicunt ſe focis priuari: idq; propter Chriſtum. Sciant ſe diaboli eſſe martyres; non enim patiuntur propter Chriſtum, ſed vt maledici, vt matricidæ, vt patricidæ ſpirituales, vt ſeditioſi, vt publicæ pacis tur-

Defenſio hæreticorum falſa.

turbatores, vt zizaniorum ſeminatores. Intelligant ſe ea moliri quæ digna ſunt punitione externa, imò etiam æterna.

EPILOGVS.

Paracletus quid operaturus in Apoſtolis.

1 *Dominus hic diſcipulis ſuis Spiritum ſanctum paracletum promittit, & ſimul exprimit, quidnam in ipſis ſit flatus ille ſacer operaturus. Nam ante aduentum Spiritus ſancti, nec capaces myſteriorum, nec fortes ad tolerandа aduerſa fuerunt: accepto autem ſpiritu, facti prorſus alij.*

Triſtia manet ſanctos in hoc ſeculo.

2 *Triſtia fata, quæ amatores Dei, atque adeo opus hoc Spiritus ſancti in hoc peßimo ſeculo maneant, retexit. Spiritus enim immundus, pater mendacij, archihomicida, princeps huius ſeculi, opus Spiritus ſancti iuſtitiam, & veritatem à mundi exordio expugnare ſtudet: Obſtinatus in malitia ab inſtituto huiuſcemodi nunquam ceſſabit.*

Nulla re deterreri oportet à veritatis profeßione.

3 *Nullis periculis, nec morte ipſa, oportet deterreri à profeßione veritatis euangelicæ: Repoſita eſt enim corona iuſtitiæ, quam reddet dominus in illa die. 2. Timoth. 4. Semper in memoria habere verbum Dei, ad hoc plurimum conducit. Confirmat enim fidem, immobilitat cor in dictis, & facit, vt etiam mala minus lædant. Hinc Moſes, Deut. 8. Caue ne obliuiſcaris Domini, & negligas mandata eius. Et Dauid: Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum.*

IN FESTO PENTECOSTES

EPISTOLA.

Act. 2.

IN diebus illis, Dum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco. Et factus eſt repente de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes. Et apparuerunt illis diſpartitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt. Facta autem hac voce, conuenit multitudo & mente confuſa eſt, quoniam audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Stupebant autem omnes & mirabantur, ad inuicem dicentes: Nonne, ecce, omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt? Et quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram in qua nati ſumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Aſiam, & Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenem, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Proſelyti, Cretes & Arabes, audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.

Spiritus S. quãdo venerit.
Exod. 12. 19. & 24.
Paſcha & Pentecoſte figuris præſignata.

IN HAC Epiſtola diuus Lucas oſtendit octo.

1 Quando venerit Spiritus ſanctus. In die, ſcilicet, Pentecoſtes, qui erat quinquageſimus dies à feſto Paſchę. Queadmodũ enim tempore paſchalis agni, Iſraëliticus populus ex Aegypto per mare rubrum, in deſertum concedebat, & quinquageſimo die in monte Sina legem accipiebat: ſic Apoſtoli, atque diſcipuli Chriſti, die quinquageſimo, poſtquã verus agnus Paſchalis

lis reſurrexerat à mortuis, acceperunt Spiritum ſanctum Hieroſolymis in monte Sion. *Leuit.25.*

Et quemadmodum quinquageſimus annus apud Iudæos iubilæus fuit, in quo omnes ſerui, & mancipia manumitterentur, & omnes res emptæ ad legitimos hæredes contingerent: ſic apud Chriſtianos quinquageſimo poſt reſurrectionē die, datus eſt Spiritus ſanctus: qui corda & conſcientias credentium à peccatis liberas redditas, ad verum Dominum Ieſum Chriſtum reducit. *Annus quinquageſimus apud Iudæos iubilæus, apud Chriſtianos, annus gratiæ.*

Eſt igitur Pentecoſte nihil aliud, quàm promulgatio legis ad montem Sinai, & Euangelij ad montem Sion. *Pẽtecoſte quid ſignificet.*

2 Oſtendit vbi venerit Spiritus ſanctus, nempe Hieroſolymis in cœnaculo: vbi vnanimiter omnes Apoſtoli & diſcipuli erant congregati, numero 120. Act. 2. *Spiritus S. vbi venerit.*

3 Oſtendit quomodo venerit Spiritus ſanctus, nempe cum impetu venientis flatus vehementis quidem, ſed tamen ſuauis atque iucundi. vt oſtenderet, concionem Euangelij longè dulciorem & gratiorem futuram, quàm legis: cuius annunciatio terribilis erat. Fuit autem ventus ille, non naturalis, non à natura excitatus: alias totam Hieroſolymam & Iudæam perflaſſet: ſed erat turbo, qui quaſi prænuncius & præcurſor Spiritus ſancti eſſe debebat. Sicut enim reges & principes, tubarum clangoribus aduentum ſuum prænuntiant: ſic rex regum voluit aduentum Spiritus ſancti ſignis præpotentibus notificare. Et ſicut lex data fuit in monte Sinai per tonitrua, fulgura & buccinæ clangores: ſic Hieroſolymis ad montem Sion datus fuit Spiritus ſanctus, facto repente cælitus ſonitu tanquam impetu venientis flatus vehementis, vt oſtenderetur potentia legis & Euangelij. *Spiritus S. quomodo venerit.* *Similitudo.* *Exod.19.*

4 Oſtendit, vnde venerit Spiritus ſanctus. Nempe de cælo, non clanculum, ſed propalam, impetu venientis flatus vehementis. Quemadmodum enim ad tempus nymbus ſeſe continet ac hæret in aëre; mox liberum curſum adeptus, potenter decidit, veluti ſubmerſurus omnia, replet valles, foueas & foſſas, vt exundent vniuerſa: ſic veniens Spiritus ſanctus tantam exuberantiæ plenitudinem ſecum adfert, vt omnia humiliata corda ſuis donis ita referciat, vt intra ſeſe non poſsint contineri, ſed effuſius erumpant in mirabilium operum Dei prædicationem. *Spiritus S. vnde venerit.* *Similitudo.*

5 Oſtendit, qua ſpecie venerit Spiritus ſanctus, nempe, Viſæ ſunt illis diſſectæ linguæ velut ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum. Sed cur linguæ? Quia lingua membrum eſt accommodum & idoneum ad obſequia Spiritus ſancti. Lingua enim prædicatur verbum Dei, & Euangelium per linguam transfunditur in corda hominum. Exempli gratia: Duo diſcipuli euntes *Spiritus S. qua ſpecie venerit.* *Cur linguæ?*

in Emaus hunc Spiritus ſancti ignem ſenſerunt. Dixerunt enim inter ſe, Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis? Et ſurgentes eadem hora, &c.

Luc. 24.

Cur linguæ diſſectæ? *Gen. 11.* Sed cur linguæ diſſectæ? Quia diſſectio linguarum oſtendit Euangelium in toto mundo prædicandum. Sicut enim ædificatores turris Babel, per linguarum diuerſitatem fuere diſperſi, ſic Spiritus ſanctus architectos Eccleſiæ contraxit in vnitatem fidei. Exempli gratia: Petrus, qui antea ancillam Cayphæ metuebat; ita, vt Chriſtum negaret, iam Spiritu ſancto plenus, Chriſtum coram Pontificibus, Phariſæis, Scribis, & toto mundo confitetur.

Cur linguæ igneæ? Sed cur linguæ igneæ? Quia præcipuum opus Spiritus ſancti eſt, corda hominum accendere, & inflammare ad verbum Dei audiendum & prædicandum. Exempli gratia: Laurentius & Tiburtius diuino igne accenſi ardentes prunas, veluti recentes roſas, atque florentia germina habebant. Matthæus & Zachæus Spiritu ſancto accenſi, poſthabitis omnibus huius ſeculi deliciis, ſecuti ſunt Chriſtum.

Matth. 9. *Luc. 19.*

Spiritus S. ad quos venerit. 6 Oſtendit ad quos venerit Spiritus ſanctus, nempe, ad Apoſtolos & diſcipulos Chriſti. Acceperunt quidem Spiritum ſanctum Apoſtoli, cum in eos ſufflaſſet Chriſtus, dicens: Accipite Spiritum ſanctum. Ioan. 20. Sed hic Spiritus ſancti gratiam, dona, & virtutes acceperunt. Erant autem hæc dona quod variis linguis loquebantur, Iudæis iudaicè, Græcis græcè, &c. Deinde quòd præcones Dei facti; magnalia Dei gentibus promulgabant. Præterea, quòd qui priùs erant indocti piſcatores, iam potenter concionantur in Ieruſalem.

Populus quomodo ſe geſſit in Spiritus S. aduentu. 7 Oſtendit, quomodo populus ſeſe geſſerit in aduentu Spiritus ſancti. Stupebant enim, ac mirabantur inter ſe, dicentes: Quidnã vult hoc eſſe? Alij irridẽtes dicebant, Muſto pleni ſunt.

Quid faciendũ vt Spiritũ S. cõſequamur. 8 Oſtendit, quid nos oporteat facere, vt Spiritum ſanctum conſequamur. Nimirum, oportet nos primò Galilæos eſſe, Apoſtolorum ſimiles: nempe, agere pœnitentiam, veterem hominem exuere cum ſuis concupiſcentiis; & induere nouum hominem.

Deinde oportet nos diſcipulos Chriſti eſſe, eius doctrinam & viam ſequi: quod ipſe docuit credere, & quod præcepit operibus exercere. Iuxta illud: Cœpit Ieſus facere & docere.

Concordia & humilitate Spiritus S. mentis ſedes præparatur. Præterea oportet nos vnanimes eſſe in domo: hoc eſt, in Eccleſia catholica eſſe pacificos, quietos, concordes, diſtractos ab omnibus curis. Quemadmodum enim in aquis homo faciem ſuam non poteſt contemplari, niſi placidæ ſtent: ita Spiritus ſanctus non poteſt operari in cordibus hominum qui adhuc inconſtantes fluctuant.

Iſa. 66. *Similitudo.* Poſtremò, oportet nos ſemper orare, nec defatigari. Deus

enim

enim vult adorari, & tales requirit, qui adorent eum in ſpiritu & veritate. Et Luc. 11. ait Chriſtus, Dabit pater ſpiritum bonum petentibus ſe, &c. Breuiter oportet nos à malis recedere, Deo firmiter adhærere: quietam conſcientiam habere, dilectionem fraternam ſeruare, & aſsiduam orationem ad Deum facere. Si hæc fecerimus, certò aderit nobis pater cæleſtis, & per filium infundet nobis Spiritum ſanctum, ſimulque omnia eius dona: vtpote fidei conſtantiam, in cruce patientiam, fœlicem exitum, & tandem vitam æternam. Amen. *Orandum & à malis recedendum, & tunc Spiritus dona non deerunt.*

EPILOGVS.

1 *Vnanimiter congregatis, & in deprecatione & obſecratione perſeuerantibus, venit Spiritus ſanctus.*

2 *Venit autem in linguis veluti igneis, vt efficacia ſpiritus commonſtretur, qui ardentes facit & loquentes.*

3 *Indicat hic locus quàm neceſſaria ſit Apoſtolicis viris linguarum cognitio. De qua re Auguſtinus lib. de doctr. Chriſt. 2. cap. 11. & 12.* *Apoſtolicis viris neceſſaria linguarum cognitio.*

IN DIE PENTECOSTES,

EVANGELIVM.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si quis diligit me, ſermonem meũ ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui nõ diligit me, ſermones meos non ſeruat: Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me patris: Hæc locutus ſum vobis apud vos manens. Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Audiſtis, quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem, quia pater maior me eſt. Et nunc dixi vobis priuſquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiſcum. Venit enim Princeps mundi huius & in me non habet quidquam. Sed vt cognoſcat mundus, quia ego diligo patrem: & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio. Ioan. 16.

IN HOC Euangelio Chriſtus facit ſex. Primò, hortatur ad dilectionem & auditionem verbi ſui, cùm ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* q. d. Qui diligunt Deum, mãdata eius faciunt. 1. Ioan. 2. 4. 5. Hoc verbo oſtendit nemini præcludi viã ſalutis, niſi volenti. Simile quid dixit Ioan. 7. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Subnotauit hoc Petrus Act. 10. d. In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet Deum, & facit iuſtitiam, acceptus eſt illi. *Via ſalutis nemini præcluſa.*

Doceat prædicator hic Chriſtum velle, vt ipſum omnes Chriſtiani diligamus, & ſuper omnia amemus, vt cui nos noſtrumq; amorem, & omnia noſtra ob creationẽ, & redemptio- *Super omnia diligendus Chriſtus.*

nem, & ob alia quamplurima beneficia, debemus. Diligamus ergo Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos, 1. Ioan. 4. Eſt etiam diligendus Deus à ſuis creaturis, quia in eius amore tota beatitudo noſtra & iuſtitia conſiſtit. Nam ſi habeamus fidem tantam vt etiam montes nobis obediant, nil proderit.

1. Cor. 13.

Officium & amoris effectus.

Oſtendit deinde officium & effectum noſtri amoris erga Deum, cùm ait: *Sermonem meum ſeruabit.* Veriſsima ſententia eſt: Signum dilectionis exhibitio eſt operis. Nemo verbum Dei obſeruat & curat, niſi diligat. Neque alia cauſa eſt, quòd diabolus tam facilè è quorundam cordibus verbum Dei auditum, aufert. Item, quòd pleriq; ob modicam tentationem deficiũt, alij autem ſolicitudine ſeculi verbum ſuffocant. Luc. 8. quàm quòd non perfectè diligunt. Qui diligit Chriſtum, approbat quæ Chriſtus approbat: odit, quæ Chriſtus odit: facit, quæ Chriſto placent: vitat, quod ipſi diſplicet. Sic Dauid, In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccẽ tibi. Pſal. 118. Qui diligit nõ reſponſat, nõ differt, nõ cauſatur, cur præcipiatur quod libet, cum gaudio exequitur præceptum, interdum etiam quæ quodammodo impoſsibilia videntur, aggreditur. Fortis eſt, vt mors, dilectio. Igitur qui ex Dei dilectione accenſus fuerit, vt redamet Chriſtum, is ſermonem Chriſti ſeruat.

Cant. 8.

Sermones Dei ſeruare quid.

Doceat hic etiam prædicator officium noſtri amoris eſſe, ſermones Dei ſeruare. Sermones Dei ſeruare eſt ei ſeruire ex toto corde, eiuſque mandatis obedire. Ioan. 14. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Seruatur primò ſermo Dei, fide cordis: cùm ſcilicet ipſum verbum magni æſtimamus, & credimus. Fides enim eſt fideliſsimus verbi cuſtos. Neq; hoc ſatis eſt ratione aut memoria ſeruare, ſeruatur deinde etiam opere, cùm ſcilicet verbo & voluntati Dei voluntatem operaq; noſtra conformamus. Vtranque obſeruationem Moyſes vno verbo comprehendit Deut. 6. Erunt, inquit, verba mea in corde tuo: narrabis ea filiis tuis, erũtq; quaſi ſignum in manu tua. Et Sapiẽs: Ligabis ea in corde tuo, & circunda gutturi, & cùm ambulaueris, gradientur tecum.

Fides verbi fideliſsimus cuſtos.

Prou. 6.

Credens, verbumq; Chriſti obſeruans, templum Patris, Filij & Spiritus ſancti.

Oſtendit præterea effectum illius amoris, quo Deus nos diligit, nempe, quod quilibet credens, verbumque Chriſti obſeruans, verbum Dei Patris & Filij & Spiritus ſancti, fiat templũ, ſicut olim prædixit, Inhabitabo in eis, & inambulabo, &c. Leuit. 26. Hoc quoque Paulus frequenter & magnificis verbis, commemorat. 1. Cor. 6. Domus illa in qua Deus habitat, tuta eſt omni tempore. Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit. Prouerb. 12.

Merces obſeruantiæ mandatorum vita æterna.

Doceat prædicator hoc loco, obſeruãtiæ mandatorum Dei pollicitum eſſe Deum in mercedem, vitamque æternam. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Matth. 19. Hoc fac, & viues,

Luc. 10. Qui fecerit hęc, viuet in illis. Leuit. 18.

Oſtendit conſequenter præmium, quod dat Deus dilectoribus ſuis, ſuique verbi obſeruatoribus, cùm ait: *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Tanta autem eſt hæc promiſsio, vt vel ſola nos incitare poſſet ad amorem verbi Dei. Quid enim maius homini contingere poſſet? Quis tanta vel ſperare auſus eſſet? Dauid tantum orauit: Ne auertas faciem tuam à me, nec declines in ira à ſeruo tuo, non auſus maiora petere. Ob eandem cauſam & Latro nihil aliud petiit, quàm vt Chriſtus eius memor eſſet. Domine, inquit, memento mei. &c. Luc. 23. Et vere magnum eſt, eſſe in memoria Dei: ſed multo maius eſt, diligi à Deo. Quem enim Deus diligit, huic & bona vult & bona facit: Quem Deus diligit, quid iam ei nocere poteſt: vel homo malus, vel etiam ſatan? Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Præmium dilectionis. *Pſal. 26.* *Rom. 8.*

Sequitur alia promiſsio priori maior. *Et ad eum veniemus*, inquit, in plurali, vt oſtendat totam Trinitatem ei homini bene velle, qui Chriſtum diligit. Veniemus non viſibiliter, ſed ſpirituali quadam viſitatione, videlicet per internam conſolationem, per gratiæ augmentationem, per dilectionis incrementum, per omnium bonorum ſpiritualium multiplicationem. Qui ergo Deum habet, omnia ab ipſo petere licebit. Si cui deeſt ſapientia, diuitiæ, iuſtitia, auxilium, conſolatio, hæc omnia in Deo inueniet: veniunt nobis omnia bona pariter cum illo.

Trinitas quomodo ad hominem pium venit. *Sap. 7.*

Et manſionē apud eum faciemus. Mira Dei bonitas, qua non eſt contentus ad nos venire: ſed inſuper in nobis vult manere. Fœlix homo, qui hunc hoſpitem recipere meretur. Eſt enim Deus hoſpes ſatis magnificus, non venit vacuis manibus, nec abit inſalutato hoſpite. Nec mirū, Abraham ſuſceptis tantum angelis, ingenti dono donatus eſt, filio, ſcilicet, quem diu concupierat. Gen. 8. Loth iiſdem angelis ſuſceptis, è ſubuerſione Sodomæ, liberatus eſt. Gen. 19. Obededom tantum arcam Dei, in domum ſuam receperat, & ad breue tempus, & benedictionem meruit omnium quę habebat. 2. Reg. 6. Maria ingreſſa domum Zachariæ, & ipſe, & Elizabeth, imò & Ioannes nondum natus, impleti ſunt Spiritu ſancto. Lucæ. 1. Quid igitur deeſſe poterit ei, apud quem tota trinitas manſionem habet? Vides igitur quàm facilè ingentia bona, imò Deum ipſum omnium bonorum fontem acquirere poſsimus? Hinc non ineptè Paulus de credentibus ait: Nihil habentes, & omnia poſsidentes.

Mira Dei bonitas. *Deus hoſpes magnificus.* *2. Cor. 6.*

Hic docebit quoque prædicator Ioannem Apoſtolum in ſua Cano. 1. cap. 4. hunc locum: Si *quis diligit me*, interpretari nō quaſi nos dilexerimus Deum: ſed quia ipſe prior dilexit nos, Deuteron. 4. habemus, Deum prius dilexiſſe patres, hoc docuit Deus Iſraëlem: Auguſt. lib. de gratia, & lib. arbit. ca. 18. pul-

cherrimè docet de hoc amore Dei, quo nos præuenit, & præamauit, & ſui dilectores facit. Idem de prædeſtinat. ſanct. *Cap. 17. & 19* *Poſtremò oſtendit*, quomodo cognoſcantur, qui non diligunt Deum, cùm ait: *Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat*. Et hæc ſentētia veriſsima eſt. Apud eos enim, qui dilectione Dei vacui ſunt, nihil contemptius eſt verbo Dei, non mouentur promiſsis, non terrentur comminationibus, non obediunt præceptis: Proieciſti, inquit, ſermones meos retrorſum: ſi videbas furem currebas cum eo, &c. *Pſal. 49.*

Iam quamuis hoc loco non exprimat Chriſtus pœnam eorum, qui verbum ſuum non retinent aut curant: ſatis tamen ex ſuperioribus patet, qua pœna puniantur: nempe, quòd Deus eos odio habet, nec dignatur ſua præſentia & inhabitatione: Nec mirum. In maleuolam enim animam non intrabit ſapientia, &c. Nam ſi nemo hominum in ſordida & impura domo habitare dignatur, quid mirum, quòd Deus, qui ſumma puritas eſt, abominetur impios? Quæ enim conuentio iuſtitiæ ad iniquitatem, &c. *Qui me*, inquit, *non diligit*, id eſt, qui charitatem non habet, *mandata mea non ſeruat*: Nam teſte Ioan. cap. 14. dilectione in Chriſtum mandata implentur. Qui Deum non diligunt, nec eius mandata cuſtodiunt, hoſpitia ſunt ſatanæ, qui in æterna tormenta ipſos rapiet.

Pœna cōtemnentiū verbū Chriſti, eſt odium Dei.
Sap. 1.

2 Conciliat doctrinæ ſuæ authoritatem, cùm dicit: *Et ſermo quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me patris.* His verbis docet eandem doctrinā quam docuit, Ioan. 7. cùm dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me, Et Ioan. 8. Ego quæ audiui à Patre meo, hæc loquor mūdo. His verbis conciliat authoritatem ſuæ doctrinæ, ne Apoſtoli putarent id quod Iudæi, ſcilicet verba Chriſti, puri tantum hominis eſſe, & non Dei: quod grauiſsimum eſſet peccatum. Ideo ait: Et ſermonē, quem audiſtis, non eſt meus: id eſt, Non putetis eſſe verba hominis alicuius priuati, ſunt verba mei patris æterni, cuius ego cōſubſtantialis ſum filius, quamuis homo tantum vobis videar. Qui igitur crediderit meis ſermonibus, & ſeruauerit, verbis Dei credit, & mādata Dei cuſtodit. Qui verò contempſerit, verbo Dei iniuriam irrogat, & contumeliam facit, Luc. 10. Qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit. Summa: Vult innuere, non leue peccatum eſſe, verbum Chriſti ſpernere, de quo teſtimonium perhibuit pater, dicens: Matth. 17. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite. Qui verò audire contempſerit, ego vltor exiſtam. Deut. 18.

Sermo Chriſti doctrina Dei eſt.

Non leue peccatum Chriſti verbum ſpernere.

3 Prædicit ſe diſceſſurum, dicens: *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens*: id eſt, Dum vobiſcum vitam ago, manifeſta voce hæc vobis declaro, non alia altiora, quibus intelligendis non eſtis idonei.

Polli-

4 Pollicetur ſe miſſurum Spiritum ſanctum, qui erit paracletus, id eſt cõſolator in omni tribulatione & anguſtia, & in cunctis afflictionibus: ita vt eorum corda ad conſiderationem diuinæ potentiæ & immenſæ bonitatis Dei erigat, quam reſpicientes confident ſe non obliuioni traditos, nec neglectos, ſed Deum ipſorum habere rationem & curam. Ex qua conſideratione, magna emerget conſolatio. *Spiritus S. paracletus.*

Pluribus nominibus Spiritum ſanctum deſcribit, vt agnoſci & ab aliis diſcerni poſſit, ne nobis imponat fallax aliquis ſpiritus, quemadmodum Achab deceptus eſt per ſpiritum mẽdacem ex ore prophetarũ ſuorum. 3. Reg. vlt. cap. Iterum ergo nominat eum paracletum, vt oſtendat, nullam poſſe eſſe perfectã conſolationẽ ſine Spiritu ſancto. Igitur ſi Spiritus ſancti opus eſt conſolari, cõſequitur eos alieno ſpiritu loqui, qui hoc ſolum agunt, vt conſcientias illaqueent, & in deſperationem adigant. Deinde quem ſupra Spiritum veritatis nominauit, hunc hoc loco nominat Spiritum ſanctum: idque cõgruentiſsimè. Nedum enim in ſe ſanctus eſt, ſed & omnes quos inhabitat, ſanctificat: nec quicquam ſanctum eſſe, aut dici poteſt ſine Spiritu ſancto. Hinc de ipſo canimus: Sine tuo numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium. Ergo non è ſpiritu ſancto loquuntur, qui nedum ſanctitatem non promouent, ſed impediunt: quales ſunt, qui libertatem carnis docẽt, ac à bonis operibus ſimplices abducunt. Primum itaque Spiritus ſancti officium eſt, cõſolari. Alterum, docere: vnde ſequitur, *Docebit eos omnia.* Non erit magiſter mundanus, qui etſi aliqua elegãter docere poteſt, non tamen poteſt omnia: erit illis magiſter diuinus, qui omnia quę animarum ſaluti, & Eccleſiæ conſtructuræ neceſſaria fuerint, abundè & perſpicuè docebit. Ita docuit in conciliis generalibus, docuit Pontifices Romanos, quibus ex promiſsione ſingulari, & teſtimonio Chriſti, Spiritus ſancti præſentia in rebus fidei eſt conceſſa. Hinc ſupra dixit: Vobiſcum manebit in æternum. Docuit idem eccleſias particulares, quæ vniuerſalem Romanam matrem ſuam, & Chriſti ſponſam confitentur. Docuit tandem in bonis doctrinis patres illos Eccleſiæ tum Græcos, tum Latinos, Baſilium, Cyrillum, Athanaſium, Chryſoſtomum, Nazianzenum, Cyprianum, Hilarium, Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium. Sicut enim non ceſſat conſolari, & ſanctificare: ſic nec ceſſat docere credentes. Vnde conſequitur, quòd hi verè docti ſunt, qui Spiritum ſanctum habent. Conſequitur etiam Chriſtianorum ſcientiã omnes alias ſcientias excellere: nec mirum, cùm talem habeant doctorem, & rectorem; ſcribit nanque legem Dei in corda noſtra, Hier. 31.

Pluribus nominibus ſpiritus ſanctus deſcribitur, vt.

Duo ſpiritus ſancti præcipua officia.

Spiritus S. etiã num docet & conſolatur credentes.

Et ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Docebit non alia diuerſa

diuerſa aut contraria his, quæ Chriſtus adhuc in carne paſsibilis exiſtens docuerat, ſed eadem: hoc eſt, doctrinam eandẽ, conformem per omnia doctrinæ Chriſti. Summa, Ex tardis faciet dociles, ex ſomnolentis vigiles, ex obliuioſis memores, ex mœſtis alacres, ex terreſtribus cæleſtes.

Chriſtus curã pro eccleſia gerit.

Ex prædictis videre licet, quãtam curam Chriſtus gerat pro Eccleſia ſua, qui ſpiritum ſanctum ipſi contulit, per quem perpetuam haberet conſolationem, directionem & doctrinam, & confirmationem, contra diabolum: qui in hoc totus eſt, vt nos à veritate abducat, 1. Ioan. 2. Vnctio eius docet vos de omnibus, hunc Spiritum Dauid petebat, dicens: Spiritum rectũ innoua in viſceribus meis.

Pſal. 50.

5 Promittit diſcipulis ſuis, ſe daturum pacem, non illam externam, & mundanam: ſed internam, cæleſtem, & diuinã, pacem & tranquillitatem conſcientiæ, quæ oritur ex fide per charitatẽ operante, qua credimus nos per Chriſtũ placatum habere patrem, etiam in mediis anguſtiis. Nam quos diligit caſtigat.

Prouerb. 3.

Duplicẽ pacẽ reliquit ſuis Chriſtus, ſcilicet, gratiæ & gloriæ.

Obſerua autem quod bis dicit pacem. Pacem enim gratiæ hic nobis reliquit pro præcipuo dono. Verè enim magnum donũ, pacem habere cum Deo. Hinc Iſaias 12. cap. lætabundus exclamat: Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, & conuerſus conſolatus es me. Itemque Dauid, Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, &c. Pacem igitur gratiæ reliquit, pacem autem gloriæ in futuro dabit pro præmio. Hinc eſt, quod dicendo, Pacem relinquo vobis, non addit meam. quia pax electorum in via multis tribulationibus & peccatis eſt permixta: qualis non fuit pax Chriſti, qui ſine omni peccato fuit, ſed dicendo: Pacem do vobis, addit meam, quoniam pax ſanctorum, in patria perfectè aſsimilatur paci Chriſti, quoniã caret omni malo culpæ & pœnæ. Tũc enim perfectè implebitur illud Iſa. 52. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, requie opulenta.

Pſal. 29.

Pax electorũ in via multis tribulationibus permixta.

Pax mũdi externa, donum Dei.

Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Etiam mundi, hoc eſt, externa pax à Chriſto datur. Nam donum Dei eſt non mediocre, pro quo & Paulus orare nos iubet, vt ſcilicet placidam ac quietam vitam agamus. 1. Timo. 2. Verum de hac non loquitur hic Chriſtus. Non igitur promittit eam pacem, quam mũdus dat, nec eodem modo, nec ad eundem finem. Mundi pax eſt, ſanitate potiri, diuitiis abũdare, hoſtibus carere, aut eos deuictos habere: hæc autem pax non eſt vera pax; quia tantum conſiſtit in externis bonis, non autem pacificat cor: corde autem non pacificato nihil prodeſt externa pax. Hinc non eſt pax impiis, dicit Dominus Iſa. 48. Chriſti autem pax eſt remiſsio peccatorũ, Spiritus ſanctus, amicitia, cum Deo ordinatus animus, &c. Atque hæc ſunt, quæ verè pacificant hominem.

Pax mundi quæ.

Pax Chriſti quæ.

Deinde

Deinde mundi pax, etſi donum Dei ſit, interdum tamen ſolet occaſio eſſe ingentium ſcelerum. Sicut enim vino & opibus plerũque abutuntur mundani, ſic & pace. Hinc apud ſapiẽtem dicunt mundana pace fulgentes : Venite fruamur bonis, quæ ſunt, &c. Sap. 2. Pax autem Chriſti, omnis iuſtitiæ, pietatis, & ſanctitatis, fons & origo eſt. Non ſolum enim hominem reddit pacatum, ſed etiam patientem & pacificum. Demum pax mundi temporalis eſt, pax Chriſti æterna.

Pax mũdi ſubinde ingentiũ ſcelerũ occaſio.

Pax Chriſti omnis ſanctitatu fons.

Nec ſolum aliã pacem dat Chriſtus, ſed & alio modo. Mundus ſiquidẽ extrinſecus pacem adfert, intrinſecus turbam relinquit: Chriſtus verò intrinſecus pacem confert, extrinſecus turbam relinquit, iuxta illud, Ioan. 16. In mundo preſſurã habebitis, in me autẽ pacem. Item mundus dat pacem auferendo afflictiones, & turbã à perſona afflicta & turbata. Chriſtus verò, dat pacem auferẽdo perſonã turbatã ab afflictionibus, hoc eſt, relinquendo afflictiones in humeris incumbentes : ſed interim conſcientiam ita pacificando, vt glorietur etiam in afflictionibus, & videatur ſibi in mediis malis paradiſum inambulare.

Quomodo Chriſtus dat pacẽ, & quomodo item mundus.

Rom. 5.

Demum etiam ad alium finem Chriſtus dat pacem. Mundus enim pacem dat, & quærit, vt corpori benè ſit, Chriſtus autem dat, vt animę benè ſit. Hanc pacem veram, ſtabilem, perpetuam & cum Deo, Chriſtus nobis emeruit, eamq́ue gratis omnibus offert. Miſeri igitur filij Adam qui tantum externam & falſam pacem, idq́ue magnis laboribus & periculis quærũt, vera neglecta, quam nec gratis oblatam accipere volunt.

Pacem in aliũ finẽ dat Chriſtus quã mundus.

6 Confortat eos aduerſus ſcandala crucis, cùm ait : *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet.* Vult dicere : hæc eſt æterni Patris mei voluntas, vt à vobis diſcedam, nec diutius corporali præſentia adſim. Sum paſſurus, & mortis inſtat hora. Nihil moueat vos, ſi videatis me tanquam peccatorem maleficũ cruciari. Non turbetur cor veſtrũ, neque formidet me non facturũ quod prædixi. nam tertia die reſurgam.

Hoc verbum docet quales auditores & ſectatores Chriſtus habere velit: tales ſcilicet, qui læto corde, etiam quęcunque ardua pro Chriſto aggrediantur. Hilarem enim datorem diligit Deus, 2. Corint. 9. Item tales, qui non facile terreantur & refugiant. Tardos enim & formidoloſos vbique arguit Chriſtus. Hinc etiam in lege iubentur formidoloſi excedere bello.

Auditores & ſectatores Chriſti quales.

Deut. 20.

Inculcat etiam eis, ne eius abitione ad Patrem per crucem offendantur, cùm ait: *Audiſtis quod dixi vobis, Vado & venio ad vos, &c.* Vult dicere, Vado, vt mei patris mandata, cuius voluntatem facturus de cælo deſcendi, executioni mandem. Reſultabit ex mea paſsione & morte gloria ampliſsima æterno patri. Breui veniam ad vos poſt reſurrectionem vos conſolaturus: quaſi dicat, Non tantum attendatis quòd dixi me abiturũ, ſed ſimul illud

illud conſiderate, quòd dixi me rediturum, ſi receſſus meus vos turbat, animum reddat, quòd iterum venturus ſum.

Quid à Chriſto nobis exſpectandum. Docemur igitur hoc verbo, quid à Chriſto nobis exſpectandum ſit: nempe quòd non ſemper aderit, nec in finem relinquet, hoc eſt, nec ſemper bona immittet, nec ſemper mala vel aduerſa. Igitur ſi in tentatione es, noli deſperare, audiſti enim quod Chriſtus dicit, Iterum venio. Si diuinam habes conſolationem, noli altum ſapere, ſed time. Audiſti enim, quod Chriſtus dicit, Vado.

Quæ cōmoda ex diſceſſu Chriſti acceperint apoſtoli. *Si me diligeretis, gauderetis vtique*, propter ſequentia cōmoda, quę ex meo diſceſſu accipietis, nempe redemptionem, ſaluationem, ſanctificationem, iuſtificationem, ac tandem glorificationem: quæ omnia pater, qui ſecundum humanitatem maior me eſt, per me operabitur, vnde proficiſcitur quicquid vobis impartio. Venit ergo ad patrem non ſecundum quod Deus: quia ſit ſemper cum Patre, qui eſt in ſinu patris. Ioan. 3. ſed ſecundū quod homo, ſecundum quod Pater maior eo eſt, ſecundum quem minoratus eſt ab angelis, Pſal. 8. Heb. 1. Exinaniuit enim ſemetipſum, formam ſerui accipiens. *Philip. 2.*

Ideo autē ait, repeto, & inculco, vt vbi quod dixi, rerum exitus comprobabit de mea paſsione, & veſtris afflictionibus futuris, credatis & omnia reliqua fore vera, quæ poſt ventura prædixi de meo paracletique aduentu. Auguſtinus. Ex rebus quæ videntur, agitur in nobis, vt credantur quæ non videntur. Hoc igitur oſtendit ſe verum Deum, cuius eſt ſolius contingentia prædicere. Eſaiæ. 41. Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos. *Ex viſibilibus inuiſibilia creduntur.*

Tandem indicat ſuam mortem inſtare, principemque huius mundi venturum contra eum, ſed nihil prorſus inuenturum in eo, quod pœna aliqua ſit dignum: ob idque non propter ſua, ſed propter noſtra peccata moriturum, cùm ait: Poſthac mortalis cum mortalibus, *Non multa loquar vobiſcum.* Loquitur quidem etiam nunc nobis, ſed non nobiſcum manens viſibiliter ſicut tunc erat, ſed per ſpiritum inſcribitur lex cordibus noſtris.

Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Vult dicere, Tempus meum migrandi ex hoc ſeculo adeſt: ſatā huius mundi princeps adeſt comitatus Iuda, atque armatis Iudæorum turbis, vt me de medio tollat. Quòd non debet ſic intelligi quaſi diabolus mūdum creauerit, vel ipſius rector ſit: ſed quod eorum qui mundum & terrena diligunt, quorum maior pars eſt, caput ſit.

Hoſtis noſter fortis admodū. Diſcamus ex hoc verbo perpendere quàm fortem habeamus hoſtem, qui nedum proprias vires, ſed & mundi potentiam contra fideles excitat. Non enim eſt poteſtas ſuper terram, quæ ei comparetur, Iob 41. vt incitemur ad orationem & ſempet parati

parati ſimus,cum non dormiat aduerſarius noſter, ſed circuit quaſi leo,quærens quem deuoret. *1.Pet.5.*

Sed is in me nihil prorſus iuris habet,nulla culpa,nulla cauſa in me eſt,ratione cuius mortem mihi intentet. Peccatū enim opus eſt diaboli, ipſe enim mendax eſt,& pater mendacij, Ioā. 8.Quod autem Chriſtus innocens fuerit,etiam aduerſarij eius teſtantur.Primus Iudas cùm dicit: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum, Matth.27. Deinde Phariſæi qui nullum inueniebant conueniens teſtimonium, cùm tamen multi falſi teſtes contra eum ſtetiſſent, Matth.26. Præterea Pilatus nunc quidem dicens: Ego nullam inuenio cauſam mortis in eo,nunc autē manus lauans, & dicens: Innocēs ego ſum à ſanguine iuſti huius. Poſtremò Centurio, & alij, qui viſis ſignis in morte Chriſti clamabant: Verè hic homo iuſtus erat, Matth.27. Nec mirum quòd ſine peccato fuerit Chriſtus. Vnde ei enim poterat ineſſe peccatum originale,qui de Spiritu ſancto cōceptus erat? Quomodo cadere poterat in peccatum, qui erat ſumma rectitudo? Quomodo vel appropinquare potuit ſuperbia ei,qui ſe exinaniuit, factus obediens vſque ad mortem? Quomodo auaritia? qui cùm diues eſſet, egenus factus eſt? Quomodo inuidia? qui etiā inimicos dilexit? Quomodo ira? qui cum malediceretur,nō maledicebat? Quomodo luxuria,qui de virgine nat⁹ erat? Quo modo gula? qui quadraginta diebus ieiunauit? Matt.4. Quomodo acedia? qui in laboribus fuit à iuuentute ſua? Pſal.87.

Peccatū opus diaboli. *Innocentiam Chriſti et aduerſarij teſtati ſunt.* *Ioan.18.* *Luc.1.* *Phil.2.* *2 Cor.8.* *1.Pet.2.* *Luc.2.*

Docemur omnium maximè id curare, ne diabolus quicquā in nobis habeat,hoc eſt,emundare conſcientias noſtras à peccatis.Hinc enim Dauid dicit, Pſal.31. Beati quorū remiſſæ ſunt iniquitates,&c. Et Ioannes, Beati qui lauerunt veſtimēta ſua, &c. Hi enim ſecurè cum diabolo congredi poſſunt,eique improperare,quemadmodum Paulus morti improperat: Vbi eſt, inquit, mors victoria tua? &c.

Curandum ne diabolus quicquam in nobis habeat. *Apo.7.& 22.* *1.Cor.15.*

Vel non habet in me quicquam, hoc eſt vllam poteſtatē,hoc ex priori ſequitur. Vbi enim non eſt peccatum, ibi nullam diabolus habet poteſtatem,aut ius. Solum enim peccatum,ſicut morti ſtimulum præſtat, ſic diabolo dextram armat,& vires, ac ius dat contra hominem. Chriſtus autem ſine peccato fuit. Emphaſim autē habet quod dicit: *In me non habet quicquam*. Nam in omnes alios habuit ius. Omnes enim peccatores, Roman.3. Securè igitur etiam contra ſanctiſsimos gloriabatur cum Philiſtæo: Quid,inquit,exiſtis ad prælium? Nonne ego Philiſtæus ſum princeps mundi,& vos ſerui Saul? filij ſcilicet Adam, neſcitis potentiam meam? Agedum,ſi quis inter vos fortem ſe putat,procedat in prælium contra me, 1.Reg.17. Hoc omnibus hominibus exprobrabat. Vnus Chriſtus & verus Dauid gloriari potuit: In me non habet quicquam.

Vbi non eſt peccatum, ibi diabolus nullā habet poteſtatem. *Pſal.13.& 52*

Quia

Diabolus quare ius ſuum quod habuit in homines perdidit.

Quia igitur diabolus nullum in Chriſto ius habuit, & tamen in eum irruit, & occidit, iure amiſit omne ius ſuum, quod habuit ſuper omne hominum genus. Hoc igitur ſummè nos conſolari debet, quòd diabolus nullum ius in Chriſtũ habet. ſumus autem nos membra Chriſti, & ſub vmbra alarũ ipſius ſperamus: Igitur nec in nos quicquam poteſt. Id quod Dauid pulchrè oſtendit: Qui habitat in, &c. Ob hanc cauſam, ſuperius dixit: Nunc princeps mundi eiicietur foras. &, Ego omnia ad me traham. Et iterum: Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt.

Pſal.90. Ioan.12. Matth.10.

Igitur ſi cui adhuc nocet diabolus, non ipſius diaboli poteſtas, ſed Dei voluntas eſt, & permiſsio, ad vtilitatem tentati. Hinc Iob 1.cap. quamuis ſciret diabolum tanta mala ſibi irrogaſſe, non tamen ipſi, ſed Deo attribuebat: Dominus, inquiens, dedit, dominus abſtulit.

Item, *Non habet in me quicquam*, hoc eſt, non præualebit mihi, quantumcunque ſæuiat: conatur me occidere, ſed reſurgã: conatur nomen meum atque adeo meipſum ſupprimere, vt maledictum: ſed diuerſum eueniet. A ſolis ortu vſque ad occaſum fiet laudabile. Eſtque in hoc ſenſu non parua conſolatio, quòd ſcilicet diabolus non poteſt præualere Chriſto, atque adeo nec eius membris. Contritum eſt ei caput, etſi cauda adhuc ſæuiat. Tentet quantumcunq; vult, ſi in Chriſto manemus, non præualebit. *Sed vt cognoſcat mundus quòd diligo Patrem.* Hoc addit, vt ſciamus cur diabolo tantam poteſtatem permiſerit in ſe ſæuiendi: Quòd morior, inquit, non diaboli poteſtas eſt, aut culpa mea facit: ſed voluntas, & dilectio patris. Hinc in Pſal.72. dicit: Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me: quaſi diceret: Saluare me dextera mea, hoc eſt, diuina potentia mea mihi auxiliari poterat, vt non morerer: ſed mandatum patris, veraque dilectio mea erga patrem, & etiam erga genus humanum tenet manum dexteram meã, vt non me defendam, & mortem non tranſiliam, & in voluntate ſua deducet me, dicentem: Non mea, ſed tua voluntas fiat, quia non quod infirma caro appetit, agendum mihi cenſeo: ſed quod exigit conſilium diuinitatis. Moriar igitur, vt mundus intelligat, me meo Patri æterno eſſe obedientem, atque vt omnes credentes à morte & æterna damnatione liberẽtur, à diabolo, à peccato & inferno. Nam hęc mea profectio ad mortem adferet vobis omnia bona, ſcilicet gratiam Dei, remiſsionem peccatorũ, Spiritum ſanctum, & vitam æternam, Amen.

Pſal.112.

Caput diaboli contritum eſt, etſi cauda adhuc ſæuiat.

Cur diabolo tanta poteſtas ſæuiendi in Chriſtũ data.

Quomodo autem venerit Spiritus ſanctus, nullus Euangeliſtarum in ſuis hiſtoriis Euangelicis ſcripſit. Scripſit verò Lucas, cap.1. Actorum Apoſtolorum.

EPI-

EPILOGVS.

1 Deus, Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus veniunt ad diligentem Chriſtum, & ſeruantem eius ſermonem. Deus charitas eſt. & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Ioan. 4. Et apud eundem 3. cap. Qui ſeruat mandata eius, in illo manet, & ipſe in eo.

2 Magna eſt promiſſio, quòd Pater cæleſtis in nomine, hoc eſt, loco filij ſui, miſſurus eſt Spiritum ſanctum, qui docere debeat Apoſtolos omnia. Ex quo certificamur Spiritum ſanctum nedum Apoſtolos, ſed eorum ſucceſſores vtpote Eccleſiam verè ac rectè docuiſſe, hodiernáque die docere, docturúmque vſque ad conſummationem ſeculi, id atteſtante Chriſto. Ioan. 14. Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternū. Itáque qui decreta Apoſtolica qualia Act. 15. 1. Cor. 11. Itē. 1. Cor. 7. ſcripta ſunt, cæteráque Eccleſiaſtica ſtatuta, ſpernit, non homines ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis. 1. Theſſ. 4. *Spiritus S. nedum apoſtolos ſed eorū ſucceſſores rectè docuit, docet, & docturus eſt perpetuò.*

3 Solent homines ſuis relinquere temporalia & nonnunquam in perniciem animarum & magnam occaſionem diſcordiarum: ſed Dominus ſuis dat & relinquit pacem, qua nihil hic melius, & ſine qua hic omnia nihil. Hinc abiturus ad paſſionem, & rediēs poſt reſurrectionem, nihil aliud optat, quàm pacem, nec aliam ſalutandi formulam Apoſtolis tradit, quàm vt dicerent: Pax huic domui; Matth. 10. Hanc fidelibus optat Paulus, dicens: Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu, Phil. 4. Pacem vtique gratiæ nobis relinquit Chriſtus in hoc ſeculo, in qua manentes hoſtem vincimus, pacem gloriæ dabit nobis in futuro ſeculo, qua ſine hoſte regnabimus, vbi nunquam diſſentire poterimus, neque à Deo, neque à proximo. Hæc Auguſtinus. *Homines ſuis relinquunt temporalia, Chriſtus pacem.*

SECVNDA FERIA PENTECOSTES,

EVANGELIVM.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt mundus ſaluetur per ipſum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc autem eſt iudicium, quia venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: Erant enim opera eorum mala. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo facta ſunt. *Ioan. 3.*

IN HOC Euangelio Saluator tria oſtendit maximè neceſſaria.

1 Primò ſummam dilectionē, atque ineffabilem charitatem Dei erga vniuerſum genus humanum, quam oſtendit Deus in miſſione filij ſui vnigeniti, de qua apoſtolus Ioannes ſcribit: In hoc, inquit, apparuit charitas Dei in vobis, quoniam filium *Charitas Dei ineffabilis erga genus humanū in filij ſui miſſione oſtēditur.*

ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eũ. In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. 1. Canonica eiuſdem 4. ca. Miſit quidem Deus olim Noe ante diluuium, Lot ante interitum Sodomorum, Moſen ante ſubmerſionem Pharaonis & Aegyptiorum, Prophetas ante captiuitatem Babylonicam, vt gentem illam ac reliquam partem mundi hortarentur ad pœnitentiam: ſed ſicut mũdus illos ſuſcepit, ita & Chriſtũ: quẽ tamen in hoc pater miſit, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam: non vt condemnet mũdum, ſed vt mũdus ſaluetur per ipſum. Nam pater dixit: Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Filius quoque dixit: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam: Non veni iudicare mundum, ſed ſeruare. Et Spiritus ſanctus dixit ſe velle adiuuare infirmitatem noſtram, teſte Paulo.

Ezech. 33. *Luc. 5.* *Ioan. 3.* *Rom. 8.*

Hæc, omni ſublato dubio, eſſe vera ex trium conſtat teſtimoniis. Chriſtus ipſe dicit: *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filiũ ſuum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Deinde apoſtolus Ioannes 1. cap. 4. ait, In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit in mundum, vt viuamus per eum. Tertiò Paulus Roman. 5. inquit: Commendat charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, pro nobis Chriſtus mortuus eſt. In trium igitur ore omnis ſtat veritas.

Deut. 21.

Sed perpendamus hoc loco ſingula Chriſti verba, 1. *Sic Deus.* 2. *dilexit.* 3. *mundum.* 4. *vt vnigenitum filium ſuum,* 5. *daret.* 6. *vt omnis habeat vitam æternam.* 7. *Qui credit in illum.* Hîc habes omnes noſtræ reconciliationis gradus.

Gradus noſtræ reconciliationis ſeptem.

1 Oſtenditur enim 1. dator, non Cæſar, non homo: ſed Deus pater, Deus inſeparabilis potentiæ, imperſcrutabilis ſapientiæ. Ro. 11. Pater ineſtimabilis clementiæ. Pſal. 102. & 144. coram quo omnes gentes quaſi nihilum ſunt.

Iſai. 4.

2 Cur dederit, nõ datex debito, nec rogatus: ſed vltro, ex mero amore & ſola charitate. Apparuit benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Dei; non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.

Tit. 3.

3 Cui dederit, mundo ſcilicet ingratiſsimo, qui nunquã hoc donum, ſed potius extremum exitium commeruerat. Pſal. 13. Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt; ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.

Rom. 3.

4 Quid dederit Filium ſuum, coæqualẽ & cõſubſtantialẽ, & coæternum, & hoc vnicum, pretioſiſsimum illum theſaurum.

Iſai.

Iſai.9. Filius datus eſt nobis, & cum illo omnia. Roma.8. Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?

5 Quomodo! In mortem & paſsionē, propter ſcelus populi percuſsit eum. *Iſai.53.*

6 In quem finem, vt per illum acciperemus hęreditatem vitæ æternæ. Tit.3.1.Pet.3.

7 Oſtenditur, quomodo Chriſtū eiuſque paſsionis & mortis merita apprehendemus, verè pœnitentes per ſeptem ſacramenta in Eccleſia Romana recepta, fide per charitatē operante, Deo adhærentes. Ioan.5. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſiet à morte in vitam.

Hanc ingentem patris erga nos dilectionem Chriſtus nobis reuelauit, primum verbis, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, &c. Matt.11. Sic Deus dilexit mūdum, &c. Ioan.3. Qui credit in me, mortem non videbit in æternum. Deinde operibus, languores noſtros, & noſtram imbecillitatē in ſe reperiēs. Iſa.53. Ambulans inter nos, ſanans ægrotos, conſolans mœſtos, reſuſcitans mortuos, ſuſcipiens imbecillem carnem noſtram, ſubiiciens ſe morti pro nobis, reſurgens, & mittens ſpiritum ſanctum. *Chriſtus patris erga nos dilectionem nobis verbis & operibus reuelauit.* *Ioan.6.*

2 Secundò, oſtendit hic ſaluator præmia credentium, & pœnas incredulorum: quæ ſcilicet ſunt bona & mala. Conſecuturi ſunt hi, qui credunt in Chriſtum, vitam æternam. *Nam qui credit in filium Dei, non condemnatur*: ſed habet vitam æternam. Eſt tamen intelligendum, Qui credit & fidei charitatem iunctam habet. Galat.5. Matth.7. Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, &c. Qui verò ipſum negāt, conſequuntur damnationem. *Nam qui non credit, iam condemnatus eſt, quia non credit in nomen vnigeniti Filij ſui*. Sicut enim credere & cognoſcere Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtū, vita æterna eſt, Ioan.17. Sic non credere & non cognoſcere, certiſsima damnatio eſt, qui veraciter ſe oſtendit filium Dei, ſcripturis, teſtimonio Ioannis, voce patris, ſignis & miraculis, quæ nemo alius facit. Ioan.15. quem pater honorare decreuit, & nomen illi dedit ſuper omne nomen, quod nedum non honorat, ſed ignominia afficit. Quis enim non intelligit meritò illum, & ſuapte culpa perire, qui volens ac ſciens amplectitur id per quod perit: & auerſatur id, per quod ſalus poterat reſtitui. Act.4. Non eſt in alio aliquo ſalus, nec aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Hinc vocatum eſt nomen eius Ieſus, eo quòd ſaluum faciat populum à peccatis eorum. Act.10. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui *Præmia credentium & incredulorū pœnæ.* *Credere Chriſtū vita æterna: non credere, certiſsima damnatio.* *Luc.8.*

credunt in illum. Summa, Qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo, iuſtus autem ex fide ſua viuet.

Habac. 2.

Hic notet Chriſtianus catholicus, quamuis hæretici noſtræ tempeſtatis ſuos auditores miſerè ſeducant, reiicientes opera merita charitatis, cæremonias, ſacramēta, tanquam inutilia ad ſalutem, falsò docentes populum, ſolam fidem ſufficere ad vitam æternam obtinendam: non eſſe tamen ſtandum eorum peruerſis ſententiis, vt quæ tam ſint falſæ, quàm earum author, qui eſt diabolus, qui ſuggerit iſtis tanquam membris ſuis omnem falſitatem & mendacium. Si ad ſe redirent principes & reliqui homines, perpenderentque quid agant, deprehenderent ſanè ſe viros alioqui prudentes, rebuſque maximis tractandis aſſuefactos, iniquè agere ſequendo ſectas Brentij, Caluini, aliorumque pſeudoprophetarum, ac negligendo doctrinam Auguſtini, Hieronymi, Baſilij, Cyrilli, Cypriani, & aliorum patrum: qui ob excellentes virtutes, inſignemque doctrinæ gloriam & pietatem, olim vniuerſæ eccleſiæ miraculo fuerunt. Docent iſti doctores (digniores quibus credatur, quàm Brentius qui pſeudoapoſtolus eſt: quàm Caluinus, qui falſus eſt vates) miſſam eſſe ſacrificium, opera iuſtificare, papam Romanum eſſe caput vniuerſalis eccleſiæ. Hoc docent ex verbo Dei.

Voces humanæ ſileant vbi ſonant diuinæ.

Sileant voces humanæ, ait Auguſtinus, vbi ſonant diuinæ. Vir iſte ſanctus docet ſilere omnes, qui affirmant ſolam ad ſalutem ſufficere fidem: ait enim lib. de fide & operibus, ca. 14. illam fidem eſſe ſalubrem & euangelicam, quæ per dilectionem operatur, teſte Paulo ad Galat. 5.

Condemnationis cauſa peccatorum tenebræ & lucis contemptus.

3 Tertiò, hic oſtendit cauſam condemnationis & ſalutis. Cauſa condemnationis ſunt tenebræ, hoc eſt, corrupta deprauataque noſtra natura, caro, ſanguis, peccata, infidelitas, hæreſes, & alia quamplurima, quæ homines committunt, quæ ex mala voluntate procedunt, cùm ait: *Hoc eſt autem iudicium, id eſt, condemnatio, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, erant enim eorum mala opera. &c.* Si perit ægrotus, qui medicum celat morbum ne ſanetur: nonne ipſe de ſe pronuntiat, quod ſuo vitio perit? Filius enim Dei lux eſt mundi. Ioan. 8. qui venit in mundum per incarnationis myſterium. Ioan. 16. ſed homines quos oportebat nihil amare, niſi quod bonum eſt, vtpote ratione præditos, dilexerunt tenebras, quæ tamen etiam ex ſui natura horribiles ſunt: nec ſolum in tenebris iacuerunt, ſed dilexerunt, imò defenderunt ac lucem oderunt, vt vel videamus, quò perduxerit hominem diabolus, in

Peccata quare dicuntur tenebræ.

quam cæcitatem, deformationem, miſerias. Dicũtur autem præmiſſa peccata tenebræ, quia directè opponũtur verbo Dei, quod eſt lucerna pedũ noſtrorum. Pſal. 118. Secundò, quia adeo hominem obfuſcant, vt vix agnoſci poſsit, an homo vel beſtia ſit.

Tertiò,

Tertiò, quia ducunt in æternas tenebras, Matth. 25. Hæc igitur erit hominum condemnatio, quod lux venit, & ipſi dilexerunt ignorantiam. Noluit intelligere vt bene ageret, ait Dauid. Deinde, quòd Chriſtus peccata auferre venit, & viam monſtrare ad iuſtitiam: ipſi autem tanta inſania peccati immerſi ſunt, vt potius carere velint iuſtitia, vita, ſalute, quàm voluptuariam illam & beſtialem vitam relinquere. Preterea Chriſtus venit nedum oſtendere, ſed & dare veras diuitias, gloriam, potentiam, iuſtitiam, ſapientiam, &c. Homines autem diligunt tenebras ſuas, hoc eſt, fictitias diuitias, gloriam, iuſtitiam: tantum enim curant, vt iuſti, diuites, potentes ſint coram mundo, nihil curantes de ſpiritualibus & diuinis. Rationem ponit, cur lucem non amplexi ſint homines: quia, inquit, mali erant, *& mala eorum opera*. Lux enim in ſe delectabilis eſt, ſed odioſa oculis ægris: quemadmodum & panis palato ſaucio. Vide autem quid hæc lux deprehenderit in mundo, nempe, mala opera: nihil boni inuenit. Non erat veritas, nec miſericordia, nec ſciētia Dei in terra: maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerant, & ſanguis ſanguinem tetigit, Oſeæ 4. Cauſa autem ſalutis eſt lux, & gratia veritatis euangelicæ & fidei Chriſtianæ, & charitatis, cùm ait: *Qui facit veritatem, venit ad lucem* vitæ æternæ. Non dicit: qui credit veritatem, ſed qui facit. Sicut enim adulteri, & ſcortatores amant noctem, diem oderunt. Qui enim dormiunt nocte, dormiunt, &c. 1. Theſ. 5. ſic omnes impij præſens ſeculum diligunt, futurum oderunt, & mendacio protecti, à veritate ſe abſcondunt; è contrà, ſicut operoſi & pudici noctem faſtidiunt, diemque tardum æmulo lumine præueniūt: ſic omnes, qui ex Deo ſunt, peccata ſua oderunt, iuſtitiamque eſuriunt & ſitiunt, præſens ſeculum faſtidiunt, conſciam vbique futuri regni Dei veritatem requirunt.

Pſal. 51.

Ratio cur lucē non amplexi ſunt homines.

Pulchra ſimilitudine, piorū & impiorum conditiones deſcribit.

Obſeruandum quòd Chriſtus nōn dicit: Omnis qui malum agit, odit lucem. Nam & pij interdum malum faciunt, hoc eſt, peccant, nec tamen odiunt lucem, nec fugiunt, imò currunt ad lucem, vt videant ſuos defectus, & grato animo ſunt in eos, qui eos arguunt: quemadmodum Dauid erga Nathan. 2. Regum 12. Sed qui malè agunt, hoc eſt, ſtudioſe, inſtanter & perſeueranter, hi odiunt lucem: non quòd opera ſua mala ſemper velint occulta eſſe; nam interdum gloriantur in rebus peſſimis. Prouerb. 2. ſed quòd nolunt argui ne in minimo quidem, hoc enim eſt ingeniū mundi. Talis fuit Achab, 3. Reg. 23.

Pij interdum malū agūt, nō tamen odiunt lucem.

Qui autem facit veritatem. id eſt, Qui cum Deo ſentit, & iudicat aduerſus propriam iniquitatem, qui condelectatur legi Dei ſecundum interiorem hominem. &c. Rom. 7. Qui ſic, inquam, ſeipſum iudicat, damnat, hic venit ad lucem, quid ſit bonum

Veritatem facere quid.

iudicantem, & regni Dei aditum oſtendentem, *vt manifeſtentur opera eius*, pœnitentiæ ſcilicet, & confeſsionis.

Si Iudæi perſpicuam illam lucem Chriſti ſuſcepiſſent, non incidiſſent in horribile Dei iudicium: ſed tenebras magis amabant, quàm lucẽ: manſerũt in craſsiſsimis tenebris, & in mendaciorũ nebulis, ſic & aduerſarij noſtri magis amant tenebras Lutheri & aliorum hæreticorum, quàm lucem Chriſti. Sciant omnes hæretici, qui Romanam eccleſiam, & eius doctrinam dereliquerunt, ſe tenebras magis quàm lucem diligere: ob idque in condemnationem venturos niſi reſipiſcant: quod illis concedat Ieſus Chriſtus.

SVMMA.

Similitudo notatu digniſſima qua ſummatim perſtringitur euãgelium.

Quemadmodum ſol exoriens claritate ſua cuncta exhilarat, & calore fouet ac nutrit omnia: ſic Ieſus Chriſtus Dei filius, per ſacramenta Euangelij, non ſolum corda credentium & afflictorum lætificat, verùm etiam per Spiritum ſanctum noſtris animis totius boni ſemina infundit, infuſa curat, dátque incrementa, qui dedit bonis noſtris ex gratia initium, dat vires & gratiam, virtutes confert, vt ad ſalutẽ pij conducti fructus bonos atque opera Deo grata, & nobis per eius ſanguinem propitiatoria poſſint producere, quibus tandem vitam æternam promereri valeant. Amen.

EPILOGVS.

Amantem redamandum.

1 *Omnium hic maximè incitamur ad redamandum Deum, quemadmodum Ioannes docet: Diligamus, inquit, Deum, quoniã ipſe prior dilexit nos. 1. Ioan. 4. Sicut enim origo ſalutis noſtræ à Deo eſt, ſic & in eundem omnia referenda ſunt, vt in omnibus, & per omnia honorificetur Deus, & pater Domini noſtri, &c. Sic Dauid Pſal. 102. Benedic anima mea Dominũ, & noli obliuiſci omnis retributionis eius, &c.*

2 *Primum ſuum aduentum à ſecundo diſcernit, in quo non venit peccatores damnare, ſed ſaluare: quod verbis declarauit. Matt. 9. & 11. & exemplis. Luc. 7. & Ioan. 8.*

3 *Aliquando in Euangelio operibus promittitur vita æterna, vt cùm dicitur: Qui bona fecerunt, ibunt in vitam æternam, &c. aliquando fidei promittitur, vt hic. Fidei enim promittitur vita æterna, vt radici bonorum operum, operibus autem vt fructibus radicis. Quemadmodum ergo Deus ſola ea opera probat, quæ ex fide ſunt, Roma. 14. ſic econtra ea ſola fides Deo probatur, quæ per dilectionem operatur, pro loco & tempore. Galat. 5. Sed conditiones impiorum ſunt, malè agere, tenebras diligere, lucem odire. Piorum verò conditiones ſunt, nedum audire, ſed & facere veritatem & iudicium, hoc eſt, iudicare ſeipſos, venire ad lucem, aſpirare ad gratiam, item omnia agere ſecundum præſcriptum verbi Dei, ita viuere, vt non vereantur hominem iudicem, denique omnia eorum opera in Deo ſunt.*

Cõditiones impiorum quæ.

TERTIA FERIA PENTECOSTES,

EVANGELIVM.

IN illo tempore, dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen, amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcēdit aliunde, ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium, et paſtor eſt ouium, huic oſtiarius aperit, & oues vocem eius audiunt. & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oues emiſerit, ante eas vadit & oues illũ ſequuntur, quia ſciunt vocē eius. Alienum autem non ſequuntur, ſed effugiũt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Ieſus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Ieſus: Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium. Omnes quotquot venerunt ante me, fures ſunt & latrones ſed non audierunt eos oues. Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Fur non venit, niſi vt furetur & mactet & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantius habeant. *Ioan. 10.*

IN HOC Euangelio tria ſunt obſeruanda. Quid, ſcilicet, ſit.
1 Primò ouile illud, de quo Chriſtus hic loquitur: nempe, Eccleſia Catholica, congregatio fideliũ, & communio bonorũ & malorum fideliũ, quam Chriſtus ſibi conuocauit & collegit per prædicationē & ſacramēta, ex Iudæis & gentibus in vnum cœtum: tollens medium parietem maceriæ. Ephe. 2. ſicut promiſerat, Ioan. 10. Eſt autem eccleſia fundata ſuper Petrũ, tanquam caput ipſius, & ſuper fundamentum apoſtolorũ & prophetarum, ſuper lapidem angularem Chriſtũ Ieſum, teſte Paulo ad Ephe. 2. & 1. Timo. 3. Eſt quoque optimè munita, miniſterio Epiſcoporum cōſtituta, protectione Spiritus ſancti conſtabilita & gubernata, cuſtodita fideliter ab ipſo Chriſto, teſte Mich. cap. 2. Congregabo Iacob, &c. pariter ponam illũ quaſi gregem in ouili, & quaſi pecus in medio caularum. *Eccleſia catholica congregatio fidelium.* *Eccleſia ſuper quē fundata.*

Habet hoc ouile ianuam, ſcilicet Chriſtum, ad quem in baptiſmo intramus: eſtque ianua cæli. Pſal. 77. & 84. per quem decidit gratia Dei ad nos in terram: eſt & fidei ianua. Act. 13. in gentium ſalutem. *Ianua ouilis Chriſtus.*

Chriſtus eſt ad cælum via, porta, ianua, ſcala: ſine eo ad patrem nemo venit. Propterea in veteri teſtamento oraturi cōueniebāt ad ianuas tabernaculi, omnia ſacrificia ad ianuas tabernaculi mactabantur. Nihil enim extra Chriſtum Deo placet. Syrach c. 14. Beatus vir, &c. in ianuis ſapientiæ, &c. Attendamus igitur, ne hæc ianua nobis claudatur.

Habet idem ouile oſtiarium, qui eſt Petrus & eius ſucceſſores: qui nihil aliud, quàm hunc Chriſtum docent, & quis ille ſit referant, perinde atque Apoſtoli, & ſui omnes ſucceſſores, qui omnes verbo & ſacramentis eius virtutem diuinam communicant. *Oſtiarius quis.*

Oſtiarius item eſt Spiritus ſanctus, adaperiens nobis veritatem, & ducens ipſam eccleſiam in omnem cognitionem. Hinc *Oſtiarius Spiritus S.*

Paulus Galat.3.dicit: Prius autem quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem, quæ reuelanda erat. Hic ergo oſtiarius legitimè intranti aperit, quia diuinas ei veritates reuelat, modúmque regiminis manifeſtat, & de omnibus neceſſariis inſtruit, iuxta illud Ioan.16. Cùm venerit ille ſpiritus, docebit vos omnem veritatem. Deinde, verò paſtori aperit, quia eum admittit, imò introducit in ſanctuarium ſapientiæ ſempiternæ, vt diſcat & ſciat quomodo oporteat eum conuerſari in domo Dei. 1. Timoth.3. & illic dat ei guſtare multitudinem dulcedinis ſuæ: ita vt rediens ad gregem ſuum, eructet illis memoriam abundantiæ ſuauitatis diuinæ, ſicque

Pſal.144. de plenitudine ſibi collatâ, illuminat & accendit etiam corda ſuorum. Tertiò, Spiritus ſanctus ei aperit, quia auditorum corda per ſuam gratiam præuenit. Hac triplici apertione indiget omnis paſtor, & tanto amplius quanto pluribus præeſt. Cùm enim nemo poſsit ſuam ipſius ſalutem operari ſine ſpeciali gratia, quanto minus & ſuam & aliorum? Proinde oportet paſtorem frequenter ad Deum recurrere. Væ ergo his, qui non attendunt, quàm graue pondus ipſis impoſitum ſit. Non enim fruſtra dictum eſt, Sap.6. Iudicium duriſsimum his, qui

Verus paſtor quis. præſunt, fiet. Verus paſtor eſt, qui legitimè ingreditur, qui ſcilicet vocatur: qui non ſe, ſed ouium ſalutem quærit, qui vera docet, &c.

Paſtor ouium Chriſtus. 2 Secundò obſeruandum, quis ſit paſtor ouium, Chriſtus videlicet. Is enim per oſtium intrauit, quia vocatus & miſſus à

Pſal.2. patre: Ego, inquit, conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion, &c. Non enim ſeipſum glorificauit, vt Pontifex fieret, &c. Hebr.5. De hoc paſtore vide Ezech.34.

1 Paſtor bonus enim primò, ſummo manè oues ad paſcua educit, ſic verus paſtor Chriſtus, ab initio mundi eccleſiam ſibi congregat.

Pſal.120. 2 Paſtor bonus, nullius ouis obliuiſcitur, Luc.15. ſic Chriſtus non dormitat, neque dormiet.

Ioan.7. 3 Paſtor, ſignum dat ouibus cornu ſuo, ſic Chriſtus Euangelij voce oues conuocat. Matth.11.

Ezech.18. 4 Nullã ouem poſt ſe relinquit, ſic Chriſtus non vult mortem peccatoris.

Iſa.42. 5 Imbecillium curam domi gerit, ſic Chriſtus non reiicit omnino imbecilles fide.

Pſal.22. 6 Pedo paſtorali oues regit, ſic Chriſtus ſecundum verbum ſuum ſuos regit.

Pſal.35. 7 Fideliter oues paſcit, ſic Chriſtus pabulum beatitudinis ſynceriter præbet.

Pſal.118. 8 Inter paſcendum fiſtula canit, ſic Chriſtus ſumma cum conſolatione docet.

Ouicu-

9 Ouiculas interdum lauat, ſic Chriſtus baptiſmo & abſolutione ſuos lauat. Epheſ. 5. *Rom.6.*
10 Scabioſas à ſanis ſegregat; ſic Chriſtus excommunicatione obſtinatos remouet. *Matth.18.*
11 Nihil niſi lac ab ouibus requirit, ſic Chriſtus ſuſtentationem miniſtrorum requirit. Matth.10. Marc.6. *Luc.9.*
12 Canibus adiunctis illas cuſtodit, ſic Chriſtus magiſtratibus eccleſiæ ſeruitium & obedientiam commendat. *Ioan.21.*
13 Semper oues paſcit, ſic Chriſtus nunquam ſuos pabulo doctrinæ priuat.
14 Oues alloquitur & acclamat, ſic Chriſtus per verbum & ſpiritum nos alloquitur.
15 Oues nominatim interpellat, ſic Chriſtus quid cuique ſit faciendum, monſtrat. Ioan. 8. & 14.
16 Non perpetuo in vnó loco moratur, ſic Chriſtus ſuos quotidie perfectiores reddit.
17 Sal interdum illis proponit, ſic & verus paſtor Chriſtus ſal Euangelij dat, quo ab omni corruptione conſeruantur.

Omnes igitur paſtores, epiſcopi, ac reliqui miniſtri hunc ſuum paſtorem diligenter imitari debent, & deſtruere omnia vitia, omnia mendacia, omnes ſectas & doctrinas falſas fidei eccleſiæ Romanæ contrarias: idq́; per verbum damnando, conuincendo, increpando, docendo. Item ædificare exhortando ad fidem & charitatem, & ad vnitatem Eccleſiæ catholicæ Rom. retinendam: debent quoque intercedere ſedulis orationibus pro ouibus commiſsis, ac curare, vt ſacramenta ſuis temporibus adminiſtrentur. *Bonus paſtor Chriſtus imitandus.*

Horum quoque conditiones ſunt, Primò, oues noſſe ex nomine. Prouer. 27. Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſq́ue greges conſidera. Deinde, eas ad paſcua educere. 1. Pet. 5. Paſcite, qui in vobis eſt, gregē Dei: prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè, ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo: & quum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſsibilem gloriam. Tertiò, ante eas ire viam demonſtrando, & tutam reddendo, ſicut columna nubis, Exod. 14. 1. Timot. 4. Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide & caſtitate. Item Tit. 2. In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. *Paſtorum bonorum conditiones.*

Sunt inſuper ſeruandæ oues diligenter à furibus & latronibus, qui non per ianuam, qui Chriſtus eſt, ouile ingrediuntur: id eſt, docent opera, quę ex charitate fiunt, nihil ad ſalutem valere: quæ cùm à Chriſti paſsione & merito ſuam dignitatem habeant, ſine eiuſdem Chriſti contumelia ſumma, reiici non *Oues diligẽter à furibus & latronibus ſeruanda.*

Sunt triplices fures ſeu latrones. poſſunt. Sunt autem triplices. Primi, qui docent nos primam iuſtificationem mereri poſſe: hi latrones & raptores vocari poſſunt. 1. Cor. 4. Quid habes quod non accepiſti?

Secundi, qui per legem gratia Dei iuuante, nos iuſtificari negant. hoc Iacobus reprehendit, cap. 2.

Tertij, qui negant operibus noſtris nos vitam æternam promereri. Hos fures ſciamus eſſe & latrones, ex doctrina Chriſti Matth. 25. Sciant igitur Germani, Angli, Galli, ſuos hæreſiarchas fures eſſe & latrones, qui in Chriſti ouile non per ianuã, ſed aliunde intrarunt. Porrò qui ſues ſunt aut hirci, audiunt illorum vocem.

Oues, Chriſtiani & fideles. 3 Tertio, hic obſeruandũ, quæ ſint oues: nẽpe oẽs Chriſtiani & fideles. Sicut enim oues, Primò, ſunt mites, & ſine falſitate: ſic & verè Chriſtiani non ſunt ſuperbi, arrogantes, aut doloſi.

2 Sub lingua indicio quodam, cuius ſit futurus coloris fœtus, indicant, ſic & veri Chriſtiani oris confeſsione cognoſcuntur, cui & opera conſona eſſe debent.

3 Bibendo largius, fiunt fructiferæ: ſic Chriſtiani crebriori auditu verbi fructum ferunt bonum.

4 Immodicè non vorant, ſic Chriſtiani temperantiæ ſtudẽt.

5 Veſperi libentius comedunt, ſic Chriſtiani ſeipſos non veſperi tantum, ſed ſemper inſtruunt de Dei clementia.

6 Ruminant, ſic Chriſtiani verbum auditum rurſus remeditantur.

7 Circa hyemem quædam ſunt imbecilles, ſic Chriſtiani nõ omnes eiuſdem fortitudinis ſunt.

8 Ouium laceratarum lanæ pediculos gignunt, ſic Chriſtiani capti à diabolo nihil boni operantur.

9 Ouibus prægnantibus dum ſolæ ſunt, tonitrua nocent, ſic Chriſtiani non meditantur ſchiſmata.

10 Oues ſuis fructibus non fruuntur, ſic Chriſtiani non ſuũ, ſed proximorum commodum quærunt.

11 In oue omnia ſunt vtilia, ſic Chriſtiani omnibus actionibus aliis prodeſſe ſtudent.

12 Agnoſcunt vocem maternam, ſic Chriſtiani vocem eccleſiæ verè agnoſcunt.

13 Sunt patientes, ſic & veri Chriſtiani in ſpe, & patientia, & timore ſe verſari ſciunt.

Luporum natura. Conſideranda eſt viciſsim luporum natura, qui primò:

1 Sunt rapaces & voraces, ſic Lutherus, Brentius, & Caluinus, ac cæteri hæreſiarchæ, doctores falſi, ſunt auari, & raptores bonorum eccleſiaſticorum.

2 Vocem viſu impediunt, ſic iſti incautos & improuidos aggrediuntur.

3 Catulos habentes, ſunt peſsimi, ſic iſti in ſuis malis actibus & erroribus confidentes, contemnunt omnes.

4 Herbam non comedunt, ſic iſti verbum Dei de obediendа eccleſia negligunt.

5 Exeuntes origanum comedunt, ſic iſti exeuntes ab eccleſia catholica Romana, ſe ad fallendum alios parant. *Origanum herba genus eſt.*

6 Cum pueris ludunt, ſic iſti ſimulant ſe innocentes, vt facilius ſeducant.

7 Ignem timent, ſic iſti Euangelij pœnitentiam horrent & fugiunt.

8 Seniores ſunt peſsimi, ſic iſti obdurati in ſuis erroribus magis ſæuiunt.

9 Circa inferiora ſunt debiles, ſic fundamenta ipſorum falſa, & erronea ſunt & hæretica.

10 In collo & capite fortiores ſunt, ſic iſti ideo magiſtratibus adulantur, vt ipſos defendant.

11 Venenoſum habent morſum, ſic iſti ſuis doctrinis venenum peſtilens animabus iniiciunt.

12 Collum vertere nequeunt, ſic iſti rarò & tardè ſuas hæreſes agnoſcunt.

13 Prædaturi contra ventum gradiuntur, ſic iſti, ne eorum aſtutias olfaciamus, cauent.

14 Eorum oculi nocte lucent, ſic in tenebris peccatorum dogmata illorum falſa & peruerſa malis lucere videntur.

15 Terram comedunt, ſic iſti circa terrena verſantur.

16 Totum gregem occidunt, ſic iſti præfati noſtri homines non quieſcunt, niſi totum populum ſeducant. De huiuſmodi ſatis diffusè vaticinatus eſt Ezechiel. *Cap. 11.*

Manifeſtum itaque gratiæ indicium eſt, alienum non ſequi, ſed fugere ab eo, nec audire vocem alienorum verum paſtorem Chriſtum non imitantium. 3. Ioan. 1. Chariſsime, noli imitari malum, ſed quod bonum eſt. Quanquam enim ouis ſimplex eſt animal, & ab alieno pendens præſidio, tamen agnoſcit vocem paſtoris vnde ſentit vtilitatem, & horret vocem luporum, vnde metuit mortem. 2. Theſſal. 3. Denunciamus vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem, quam accepiſtis à nobis. Et Matthæi. 24. Si Si quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus aut illic, nolite credere, &c. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. 1. Cor. 15. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, &c. *Gratia indiciũ alienum non ſequi, ſed fugere ab eo. Ouis licet ſimplex agnoſcit paſtoris vocē, lupi vocem horret, ſic fidelis. Eccle. 13.*

Taxauerat Dominus Ieſus hoc ænigmate Phariſæos, ſcribas, ſacerdotes, & primores populi, qui indignabãtur quòd eſſent multi, qui mallent adhærere Ieſu, quàm ipſis, qui ſe duces credebant populi. Cùm autem ipſi non intelligerent quid ſibi vellet hæc parabola, dignatus eſt aperire quod velatis verbis prius dixerat, ne impij prætendere poſſent ſe verba Chriſti nõ intellexiſſe. *Ego ſum*, inquit, *oſtium*. Bis ſe nominat oſtium, vt

Quare bis ſe nominet oſtiū Chriſtus. oſtenderet ſe vnum eundémque eſſe, qui antiquos paſtores, Moſen ſcilicet & prophetas dedit in ouile Iudæorum, & nunc electione ſua nouos emittat Apoſtolos in ouile gentium. Vbi interim hoc obſeruandum, quòd non vni ouili duo oſtia, ſed quod mirabilius eſt, vnum oſtium duobus ouilibus attribuit, vt neceſſariò conſequatur quod infra dicturus erat: fiet vnum ouile & vnus paſtor.

Paſtor bonus per oſtiū Chriſtum ad eccleſiæ oues intrat. Eſt proinde Chriſtus oſtium quo bonus paſtor ad oues eccleſiæ intrat. Non enim ſatis eſt intra ſepta eccleſiæ quacunque via irrepſiſſe: non ſatis eſt ad paſtoris titulum ac dignitatem quomodocunque penetraſſe. Nam Chriſtus ſemetipſum non clarificauit, vt pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eū: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pſal. 2. Heb. 5. Hinc Chore cū ſuis complicibus terra abſorptus eſt. Num. 16. Ozias rex officium ſacerdotis vſurpare præſumens, lepra percuſſus fuit. *2. Para. 26.*

Fidelis quiſq; ad patriā cæleſtem per oſtiū hoc intrat. ¶ Eſt & oſtiū, quo quiſq; fidelis ad præſentē gratiā, & ad cæleſtē patrē eiuſq; futuram gloriā intrat. Nemo enim poteſt cognoſcere patrē, niſi per Chriſtū. Mat. 11. Nemo item poteſt aſſe qui iuſtitiā, ſalutem, vitam æternā, niſi per Chriſtū, qui eſt Dei iuſtitia, ſalus, & vita. Hinc in Euangelio dicit: Ego ſum via, veritas, & vita. Ioan. 14. Nemo venit ad patrē, niſi per me. Et Petrus Act. 4. Non eſt aliud nomen ſub cęlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri, niſi nomē Ieſu. Et Paulus ad Eph. 2. Per ipſum acceſſum habemus ad Patrē. Qui igitur per proprias vires tantū ad Deū eiuſq; bona cōtendit, nunquā ad ea perueniet. Sic enim & Iſraël ſectando legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitię nō peruenit: quia non ex fide, ſed ex operibus tantum eam quærebat. *Rom. 9.*

Omnes quotquot venerūt, fures ſunt & latrones. Quotquot venerūt, inquit, non qui miſsi ſunt: ſed non vocati à Deo, nec electi ab eccleſia venerunt, ſeipſos intrudentes, vel ab aliis intruſi, docētes homines confidere in mendacio, dicentes pax, vbi non eſt pax, Ieremiæ. 23. in ouili tyrannizantes, fures ſunt & latrones. Nam prophetæ quidem miſsi venerunt, non autem pſeudoprophetę: de quibus Iere. 23. Non mittebam prophetas, & ipſi currebant, &c. Idem 27. Quia nō miſi eos, ait Dominus, & ipſi prophetabant in nomine meo mendacium. Sed hoc laudabile eſt de ouibus, quia non audiunt fures. Sicut cæcus ille de quo ſupra 9. cap. dictum eſt: Fures illos blaſphemiam in Chriſtum ſuadentes, audire noluit, potius eligens ab eis eiici, quàm ipſis conſentire: ſed ſi qui audiunt, hirci ſunt & canes. 1. Ioan. 4. Ipſi de mundo ſunt, & ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo ſumus: qui nouit Deū, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos. *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur.* Ingens promiſsio. Per Chriſtum autem intrat, qui in eum credit, omnemque fiduciam ſuam in ipſo ponit. Item qui Chriſto

Per Chriſtum intrare quid.

intima

intima charitate inhęret. Item, qui per fidē & gratiā Chriſti, cōgregationi fideliū ſe iunxerit: deniq; qui ſecundū doctrinā & vitā Chriſti cōuerſatus fuerit: is, inquā, ſalutē cōſequetur, iuxta illud Prouer. 8. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino: nec quiſquam ſaluari poteſt, qui non per oſtium hoc in eccleſiam Dei intrauerit. Sic in diluuio omnes perierunt, qui in arca inuenti non ſunt. *Geneſ. 7.*

Ingredietur & egredietur. Hoc verbo promittit verā libertatem & ſecuritatē. quaſi dicat, In latitudine charitatis & ſpiritus libertate verſabitur. Vbi enim ſpirit⁹ domini, ibi libertas. 2. Co. 3 Nec erit illic periculū à latronib⁹ & furib⁹, ſed hoc paſtore tut⁹ & ſecurus, aget, ingrediens & egregiens, viuens & moriens. Vide quanta ſit hæc promiſsio: hoc eſt, quod toties in prophetis prædictum fuit: Non nocebunt, & non occident in monte ſancto meo, &c. Iſa. 11. Item Mich. 4. Sedebit quiſque ſub ficu ſua, & non erit qui exterreat, &c. *Et paſcua inueniet*. Alia promiſsio, qua promittitur verorum bonorum copia, quēadmodū & Dauid Pſal. 33. Timentes dn̄m, non deficiēt omni bono. Paſcua autē hæc ſunt, Euangeliū, verbū vitæ, iuſtitia, ſalus, vita, & omnia Dei bona. Hæc paſcua fidelis vbique inuenit ingrediens & egrediens, in vita & morte. Olim quicunque ingrediebatur, ſiue indigena Iſraelites, ſiue aduena proſelytus, paſcua legis & prophetarum inueniebat: ſed egrediens à præſenti vita, quia paradyſus nondum reſeratus erat, paſcua non inueniebat: deinceps autem etiam egredientes, hoc eſt, in Chriſto morientes, paſcua inuenient.

Promiſsio vera libertatis & ſecuritatis.

Alia verorum bonorum copia promiſsio.

Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat. Antitheſi quadā ſeipſum opponit diabolo, itemque verbum ſuum, quod eſt Euangeliū, impiæ doctrinæ. Fur iſte primus diabolus eſt, qui primis parentibus ſtolam immortalitatis, & puritatem innocentię fraudulēter abſtulit, & in eis totum humanū gen⁹ mactauit & perdidit. Geneſ. 3. Hinc Chriſtus de ipſo dicit: Ille erat homicida ab initio. Ioan. 8.

Fur primus diabolus.

Deinde fur eſt, qui diaboli imitator diſsipat ouile Domini: q. d. Qui non credit mihi, ab hoc fugiendum: qui autem credit, vox prodet qualis ſit. ſi quæ loquitur, non ſapiunt Dei gloriam non populi ſalutem, ſed propriam gloriam, ſed quæſtū, ſed aſtutiā humanā, ſed tyrannidē: ab hoc ſibi caueāt oues, fur enim eſt & latro, & hoc pernicioſior, quod perſonā paſtoris mētitur. quod ſi vox non ſatis euidens erit indicium, obſerua quid agat. fur non venit in aliud, niſi vt furetur, vſurpando quod non eſt ſuum, vt è gregis alieni malis ſibi turpe lucrū comparet. Porrò nullū maius furtum, quàm quod Deo ſurripitur. 1. Cor. 6. Nō eſtis veſtri. empti enim eſtis pretio magno. Deinde non venit, niſi vt mactet, potiſsimum animas in peccatū inducendo, quas prauæ

Fur etiam diaboli imitator diſsipans ouile Domini.

Furtum maius non eſt, quàm quod Deo ſurripitur.

prauæ ſuæ vitæ exemplo plerunq; occidit, aut incuria corrigendi ſinit ire in perditionem. Tot quidem animas perdere dicitur, quot ob inertiã permittit trahi in interitũ. Iac. 1. Peccatũ cum conſummatum fuerit, generat mortẽ. Tertiò, vt perdat venit per venenata dogmata, perinde ſicut diabolus, qui homicida eſt ab initio. Hierem. 50. Grex perditus factus eſt populus meus, paſtores eorum ſeduxerunt eos, feceruntq; eos vagari in montibus. Item Ezec. 34. Væ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos. Nónne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, &c. Vide ibi ad longum. *Ego veni vt vitam habeant*. Aug. id eſt, fidem per dilectionem operantem. Gal. 5. *& abundantius habeant*, qui perſeuerãdo vſq; in finem, per illud oſtium, id eſt, per fidem egrediuntur: quoniam & fideles moriuntur, vt abundantius habeant vitam, veniendo quo paſtor ille præceſsit, vbi nunquam deinde moriuntur. Apoc. 21. Indicat hoc verbo nos plus habere quàm patres vet. teſt. Illi enim iuxta fidẽ defuncti ſunt omnes, non acceptis promiſsionibus: ſed à longè aſpicientes eas, &c. Heb. 11. Nos autẽ eas habemus. Vitam enim, quã illi habebant in ſpe, nos habemus in re.

Ioan. 1.

EPILOGVS.

Quinq; hominum genera verſantium in eccleſia.

1 *Habes quinque genera hominum in eccleſia verſantium. Fur, qui non ritè ingreditur: Latro, qui mala doctrina vel vita occidit: Mercenarius, qui ventrem ſuum curat: Idolum Paſtoris. Zach. 11. Et paſtor verus, qui omnium ſalutem indefeſſe quærit. Cuius ſpecimen eſt Chriſtus. Ioan. 10. Qui cùm curam ſuam vult demonſtrare circa nos, paſtorem ſe nominat: quando autem oſtendere vult quòd ipſe ſit ille, qui ducit ad patrem, tunc oſtium ſe dicit. Ioan. 14.*

Qui veri Chriſtiani.

2 *Docet etiam Chriſtus hoc primo verbo parabolæ, ſolos illos eſſe veras oues. hoc eſt, verè Chriſtianos, qui per Chriſtum intrant, hoc eſt, in eum credunt, Chriſtianiſque moribus præditi ſunt. Ouis enim ſimplex eſt animal: manſuetum, neminem lædens, ſubiectum, non reclamans ad omne quod ei fit: denique & vtile lana, lacte, carne, inteſtinis, fimo. Qui ergo his moribus imbuti nõ ſunt, neq; in Chriſtũ credunt, oues non ſunt, ſed lupi: imò fures & latrones, ſuo tempore eiiciendi, etiam ſi in medio ouium verſentur. Dicetur enim cuilibet eorum, Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Matth. 22.*

Homo pius ritè comparatur oui, impius lupo.

3 *Obſeruandum inſuper hic occurrit, in quem finem venerit Chriſtus, nempe, non vt perdat, ſed vt ſaluet, ſicut & ſupra dictum eſt. Ioan. 3.*

DOMINICA TRINITATIS

EPISTOLA.

Rom. 11.

O Altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

In

IN HAC Epiſtola diuus Paulus indicat tria. Primò, profunditatem diuitiarum ſapientiæ, ſcientiæ, ſeu cognitionis Dei, cùm ait: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Quibus verbis docet nos Paulus in cauſis ſapientiam, excellentiam, & maieſtatem diuinam, & noſtram iuſtificationem ac ſalutem concernentibus, nihil debere inquirere, ſed tacitè Dei maieſtatem adorare. Eccl. 3. Prou. 25. Intelligit autẽ per diuitias, non mundanas opes aut facultates: ſed diuinas, quas nec ærugo, nec tinea corrumpunt, nec fures furantur. Matth. 6. *Maieſtas Dei non inquirenda, ſed tacitè adoranda.*

Per ſapientiam, intelligit non humanam, aut carnalẽ, ſed diuinã. Sapiẽtia enim huius mũdi, ſtultitia eſt apud Deũ. 1. Cor. 3. Per ſcientiam verò, intelligit non hiſtoricã, ſed de qua Chriſtus ait: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. *Ioan. 17.*

2 Secundo, hic indicat Apo. inſcrutabilia iudicia, & inueſtigabiles vias Dei, & contra imbecillem naturæ humanę fragilitatem atque infirmitatem, cùm ait: *Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis cõſiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quibus verbis docet nos Apoſt. in iudicij conſiliorumque diuinorum perueſtigationibus, non debere nimium ſapere, non nimis alta petere, nec debere perſpicaces humanarum ſpeculationum meditationes ſequi: ſed circa ima prudenter manere, & in ſana ſcripturarum ſimplicitate ambulare. Nam ſi rationis humanæ captum omnem, ingeniique neruos omnes extenderimus, & in res tam ſublimes mentis acumen effuderimus: nihil tamen proficiemus, coacti clamare illud Dauidis: Iudicia tua Domine, abyſſus multa. Sic enim ait Iſa. c. 40. Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? Quis adiuuit ſpiritum domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Sic Ieſus Sirach quoque ait, cap. 1. Omnis ſapientia à domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſeculi quis dinumerauit? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſsi quis dimenſus eſt? Item Sapiens ſic ait: Quis hominum poterit ſcire conſiliũ Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantẽ. Et difficile æſtimamus quæ in terra ſunt. *Iudicia Dei inſcrutabilia & fragilitas humanæ naturæ imbecilla.* *Pſal. 35.* *Cap. 9.*

3 Tertiò, innuit hic D. Paulus incõprehenſibilem diuinę maieſtatis trinitatem: nempe, maieſtatẽ Dei Patris, Filij, & Spiritus ſancti, cùm ait: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſecula. Amen.* Quibus verbis docet nos B. Paulus, quòd à ſancta Trinitate, & diuina maieſtate, omne bonum, ſummam fœlicitatem ac æternã ſalutem habeamus, ſcilicet ex ipſo, per ipſum, & in ipſo: nẽpe ex Patre, tanquã ex vberrimo *Incomprehenſibilis diuinæ maieſtatis trinitas. Omne bonum, ſumma fœlicitas & ſalus à ſancta trinitatis maieſtate.*

fonte

fonte omnia nobis neceſſaria profluere. Iac. 1. Per filium omnia nos impetrare & conſequi. Ioan. 16. Per Spiritum ſanctũ omnia data & impetrata conſeruari.

Si enim Deus dexteram atq; gratiam ſuam ſubtraxerit, & Spiritum ſanctum à nobis abſtulerit, actum erit de ſalute noſtra. Sic ex Apoſtolo Iuda efficitur proditor, Matth. 26. Ex electo rege Saule efficitur tyrannus, ex Chriſtiano Iuliano, efficitur apoſtata. Nos verò orabimus Deum Patrem qui nos creauit, vt nos ſeruet, cuſtodiat, curet, & enutriat. Orabimus filiũ, qui nos redemit, vt nos verbo ſuo illuminet, Sacramentis ſuis confirmet, & confortet. Orabimus quoque Spiritum ſanctũ, qui nos in baptiſmo ſanctificauit, vt nos in ſyncera & catholica fide conſeruet, atque ex hac vita migraturos clementer ſuſcipiat in gaudia æterna, Amen.

EPILOGVS.

Simile non ineleganс.

1 *Quemadmodum fruſtra niti dignoſcitur, ſi quis anguſtiſſimũ mare exiguo velit comprehendere cyatho: ſic non minus fruſtra tentauerit, qui S. Trinitatis abyſſum humano perſcrutari velit ſenſu, Iſa. 40. 1. Cor. 2.*

Vnus Deus in trinitate & trinitas in vnitate.

2 *Ne confundamus perſonas, aut ſubſtantiam ſeparemus, vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate magis venerari ac adorare oportet, quàm perſcrutari.*

Omnia bona à S. triade tanquam ab vberrimo fonte profluunt.

3 *Omne quicquid ad humanos vſus conducit, à S. Triade, tanquam ab vberrimo omnium bonorum fonte è cælo ad nos profluit. Hinc mens ad ſydera ſubleuanda, atque ſedulò clamandum: Sancta Trinitas vnus Deus miſerere nobis.*

ALTERA EPISTOLA FESTI TRINITATIS.

2. Cor. 13.

FRatres: Gaudete, perfecti eſtote: exhortamini, idipſum ſapite: pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes ſancti. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis. Amen.

Vera conuerſatio Chriſtianorum in quo.

HAc Epiſtola duo potiſsimum agit D. Paulus.

1. Primo oſtendit in quo præcipuè conſiſtat tota Chriſtianorum vera conuerſatio: cùm inquit, *Gaudete.* Vult dicere, Lætamini in Chriſto, vt qui vocati eſtis ad eius fidem & religionem. *Perfecti eſtote:* vult dicere, Integritatem & perfectionem iuſtitiæ ſequamini, alioqui enim ex animo non poteritis gaudere, niſi conſcientia fuerit tranquilla. Secura mens quaſi iuge conuiuium; è contra ſemper præſumit ſæua perturbata conſcientia. Sap. 17. nec eſt pax impiis, dicit Dominus. *Iſa. 48.*

Officium & ſtudium Chriſtianorum.

Exhortamini, ac ſi dicat, Officium & ſtudium Chriſtianorum debet eſſe alius aliũ conſolari, & vt ſemper ad perfectiora contendant, exhortari: ideo ait; Exhortamini inuicem.

1. Cor. 1.

Idem ſapite. vult dicere, Chriſtiani concordes eſſe debent tam in dogmatibus, quàm quotidiano conuictu.

Pacem

Pacem habete. quaſi dicat, Ne ſint diſsidia inter vos. Poſuit Apoſtolus dogmatum conſenſum priori loco: deinde concordiã politicam: quia ægrè politica pax conſiſtit inter eos, qui diuerſæ ſunt religionis. Hoc ita fieri præſens tumultuoſum probat ſeculum. Hæc igitur facientes, Deus pacis & dilectionis erit nobiſcum: ſin minus, diabolus auctor diſſenſionis & odij erit vobiſcum, & vos eritis cum illo in æternum. Perfectionem Chriſtianã, ad quam Paulus in omnibus ſuis epiſtolis fideles exhortatur, cõſequemini. Eritis ſicut ciuitas munita: nam frater, qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. Prouerb. 18. Et non eritis hæretici, vt ſunt Lutherani noſtri ſeculi: qui, tantum abeſt, vt idem ſapiant, vt in vnaquaque ciuitate, in quolibet pago, aut ſi mauis, in qualibet domo diuerſæ regnent hæreſes. Sunt ædes in quibus nulla religio, nullus Deus, niſi forſan vnus colitur Bacchus, aut Mammon. At hi non ſunt Chriſti. *Deus pacis dator, diabolus diſſenſionis & odij auctor.*

Dignißimum hic eſt conſideratione, quòd Paulus in omnibus ſuis epiſtolis fideles hortatur ad perfectionẽ procurãdam. Nam ad Rom. 12. ait: Vt probetis quæ ſit voluntas Dei beneplacens & perfecta. Item: Sitis autẽ perfecti in eodem ſenſu, & 2. Cor. 13. Gaudete, perfecti eſtote. Ad Epheſ. 6. In omnibus perfecti eſtote, Ad Phil. 3. Quicunq; ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Ad Col. 4. Vt ſtetis perfecti, & pleni, &c. 2. Tim. 3. Omnis ſcriptura diuinitus, &c. vt perfectus ſit homo Dei, Ad Heb. 5. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, Iac. 3. Hic perfectus eſt vir, &c. 1. Pet. 1. Sobrij perfecti, ſperate in eã, quę offertur vobis, gratiã. 1. Ioan. 2. Qui autem ſeruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt. Chriſtus etiã ſuis diſcipulis, Mat. 5. Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfect⁹ eſt. *1. Cor. 1.*

Qua ergo fronte Lutherani & Caluinus negant, homines poſſe perfectionem hanc in hac vita conſequi, quæ illos ab omni peccato faciat immunes? Negare quod hoc fieri poſsit, impiũ eſt, & Chriſti gratiæ iniurioſum. Facitq; Caluinus magnam iniuriam Chriſto, cuius potẽtiæ detrahit hoc poſſe, in ſuis Inſtitutionib. Priuilegiũ virgini Mariæ cõceſſum poteſt & aliis, ſi Deus vellet, concedi. Non dicimus hanc nos habere perfectionẽ, quæ nulla macula, vel peccati labe ſit conſperſa: quę hæreſis eſt Anabaptiſtarum. Non enim illam habemus iuſtitiam, quæ abſolutam habeat perfectionem: ſed cum Auguſtino dicimus, nos obſeruantia mandatorum Dei quandam iuſtitiam poſſe aſſequi, ſecundum quam perfecti ſimus: non quaſi iam conſequuti abſolutam perfectionem: ſed quaſi hi, qui perfectè currunt ad illam obtinendam. Qualis autem ſit ea perfectio, quã in hac vita conſequuntur Chriſtiani, tractat Auguſtinus elegantißimè lib. de perfectione iuſtitię, Et lib. 3 ad Bonifac. cap. 7. Perfectam, inquit, ſanctorum virtutem cùm nominamus, *Lutheranorũ & Caluini impietas.* *Anabaptiſtarum hæreſis.*

ad ipſam perfectionem pertinet etiam imperfectionis, tum in veritate, tum in humanitate cognitio. Item lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. cap. 13. & 14. Et lib. de gratia Chriſti, Contra Pelag. & Celeſtium cap. 48. 49. & 50.

Beneficia ſanctiſſimæ Trinitatis. 2 Secūdò Apoſtolus precatur hæc: *Charitas Dei, Gratia Ieſu Chriſti, & communicatio ſancti Spiritus, ſit cum omnibus vobis.* Hæc ſunt beneficia ſanctiſsimę Trinitatis, quæ omnibus fidelibus ſunt maximè neceſſaria: vt quæ ad ſalutem animarum, & æternam beatitudinem conſequendam in primis conferant.

Cap. 3. De charitate Dei Ioannes in Euangelio & Canonicis multa dicit: Sic Deus dilexit mundum, &c.

De gratia nobis per Chriſtum parta, vniuerſa noui Teſtamenti referta eſt ſcriptura: qua gratis per Chriſtum iuſtificati

1. Cor. 1. ſumus, Iſa. 5. Ioan. 1.

Rom. 5. De Spiritu ſancto ſcimus quòd ipſe diffundat Charitatem Dei in cordibus noſtris, Rom. 5. & quòd diuidat ſua dona v-

Ioan. 3. nicuique ſicut vult, 1. Cor. 12. & quod vbi vult, ſpirat.

EPILOGVS.

Fides S. trinitatis fundamētum præcipuū ſuper quod ædificandum. 1 *Suppoſita fide S. Trinitatis, vtique fundamento præcipuo quod conuelli nequaquam poteſt, docet Apoſtolus quid & qualiter debeant fideles ſuperædificare, vt iam non ſimus ſicut paruuli fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circunuentionem erroris: ſed veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus, Ephe. 4.*

Sine gratia nihil. 2 *Optat B. Paulus fidelibus conferri gratiam ſpiritualem, ſine qua nihil*

Philip. 4. *ſumus, aut poſſumus, & per eam prompti efficimur ad omnia.*

3 *Sacroſanctæ Trinitatis perſonarum in vna deitate myſterium exprimēs, ſimul oſtendit, quid nobis optandum ſit ab ipſa ſumma Trinitate, & votis expetendum, puta charitatem Dei patris, gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, & communicationem S. ſpiritus.*

DOMINICA TRINITATIS.

EVANGELIVM.

Ioan. 3. *IN illo tempore, erat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum nocte, & dixit ei: Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei. Dixit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo renaſci cum ſit ſenex? Nunquid in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci? Reſpondit Ieſus: Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos naſci denuo. Spiritus vbi vult ſpirat: & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo ſi dixero*

vobis cæleſtia, credetis? Et nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo. Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

HOc Euangelio deſcribit Euangeliſta Ioannes quatuor. 1 Primò, deſcribit perſonam Nicodemi, qualis fuerit, nempe, Vir magnæ auctoritatis, Phariſæorum princeps, & Iudæorum Rabbi, id eſt, magiſter. Si enim contempleris ciuilem poteſtatem, conſideres excellentem legis doctrinam, reſpicias religionem, externumque habitum, erat principum, doctiſſimorum & ſanctiſsimorum vnus. Quamuis enim Deus infirma mundi elegerit, vt fortia quæque confunderet, tamen nec omnes doctos aut potentes abiecet. Quòd autem pauci ex eis ſalui fiant, vel hinc ſatis perſpici poteſt, quòd ex tot principibus vnus Nicodemus credidit. Difficilè enim credere poſſunt, qui gloriam mundi amant: Quomodo, inquit, poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis? &c. Inſigniter igitur fortis fuit hic Nicodemus, vt quem nec diuitiæ, nec mundi gloria à pietatis ſtudio retardare potuerunt, cùm plerique alij tam facilè ab his capiantur. *Nicodemi perſona qualis.* *1. Cor. 1.* *Ioan. 5.*

Deinde, deſcribit quid fecerit Nicodemus: *Venit noctu ad Ieſum, propter metum Iudæorum.* Nam ſine diuina gratia non aliter ſolet facere caro & ſanguis. Non fuit Nicodemo tãtus animus, tanta fortitudo, tanta authoritas, pietas, ſapientia, & iuſtitia, vt auſus fuiſſet interdiu Chriſtum accedere. Metuebat enim, ne eiiceretur è ſynagoga, Ioan. 12. Multi ex principibus crediderunt in eum, ſed propter metum Iudæorũ, &c. Iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur, extra ſynagogam fieret. Nec mirum ſi tãtæ adhuc imperfectionis erat, cum etiam ſanctiſsimi homines non careãt huiuſmodi affectibus. Sic Gedeon noctu confregit ſtatuam Baal propter timorem ciuium ſuorum, Iudic. 6. Sic etiam diſcipuli in paſsione Chriſti latent, nec prodire audent. Nihil enim difficilius vincitur, & expellitur, quàm amor ſui, & timor mundanus. Hæc enim duo pleroſque omnino impediunt à ſalute. In tenebris igitur ad Chriſtum venit Nicodemus, quia adhuc in tenebris erat, vt qui nondum renatus eſſet. Solis enim renatis dicitur: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, Epheſ. 5. *Nihil difficilius vincitur quàm amor ſui & timor mundanus, quæ duo pleroſque impediunt à ſalute.* *Ioan. 18.*

Conſiderandum interim, quàm diſsimilis fuerit hic Nicodemus aliis Phariſæis. Illi nocte miſerunt ad comprehendendum Ieſum, hic autem ad audiendum eum nocte venit. Illi hora ſua malè vſi ſunt, & poteſtate tenebrarum: hic doctrinæ aptum nocturni ſilentij bene captauit otiũ: Et illi quidẽ cõprehendendo & ligando amiſerũt ſaluatorẽ Chriſtũ, hic interrogãdo & audiendo inuenit & tenuit Chriſtũ, Dei verbũ: Scriptũ eſt enim,

Prouerb.8. Beatus homo,qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, &c. Summa, hic erat & eſt princeps verorum Iudæorum, illi *Matth. 3.* autem erant,& manſerunt genimina viperarum.

Prærerea,ſalutabat Chriſtum,ac familiariter alloquebatur, & candidius vltro citroque differentem audiebat. Prædixerat enim propheta tempus eſſe requirendi Dominum,cùm veniſſet, qui doceret iuſtitiam. Oſeæ. 10. Nouerat etiam ſcriptum, Deut.33. Qui appropinquant pedibus illius,hoc eſt,qui totos ſe humiliant & deiiciunt,hi accipient de doctrina eius.

Diſputatio Nicodemi & Chriſti 2 Secundò deſcribit B. Ioannes diſputationem Nicodemi & Chriſti,quæ nõ fuit ſuſpitioſa vel inſidioſa,qualis fuit Iudæorum de tributo:non fuit ſtomachoſa, vel inuidioſa,qualis fuit *Matth.22.* Sadducæorũ de reſurrectione mortuorum, nec fuit faſtuoſa vel ſuperſtitioſa quæſtio,qualis fuit Phariſæorum,cupientium videre ſignum de cœlo:ſed ciuilis atque ſyncera.Venit enim ad Ieſum non tentandi vel obſeruandi,non inſidiandi,non fallẽdi ſtudio:ſed gratia diſcendi atque cognoſcendi ſalutem hominũ. Fuit enim diſputatio de iuſtitia & de renaſcentia, de iuſtitia carnis & ſpiritus. Audiens enim Nicodemus, quòd Chriſtus doceret iuſtificationem primam non petendã, neque hauriendam ex operibus legis ſecundum Moſen: non ex traditionibus patrum,ſecundum opiniones Phariſæorũ: neque ex ſolá fide, neque apprehenſione quantumuis certa & firma, ſecundum Lutheranos & Caluiniſtas:ſed fide in Ieſum Chriſtũ:cumque videret ſigna & prodigia, quibus Chriſtus ſuam doctrinam confirmabat, hæſitabat in vtram partem animus inclinandus eſſet. Illinc obſtabat antiqua legis conſuetudo, atq; eximia & ſumma eiuſdem authoritas: hinc mouebant admiranda ſigna, & diuina Chriſti facta. quare non facilè poterat Chriſti doctrinam,vt impiam reiicere,vel reprehendere,nec Moſaicæ legi ſalua conſcientia repugnare,& ſaluãdi vim adimere. Quapropter, vt iniectus ille ſcrupulus, animiq; tolleretur ambiguitas, 1 ad Chriſtum venit,ad diſcendum quod ignorabat: in hoc vno multò prudẽtior nobis, qui etiamſi ob varietatem dogmatum nonnihil dubitemus,non tamen conſilium quærimus.

In dubiis atq; ſcrupulis ad Chriſtũ confugiendum. Docet nos hîc vir Iudæus in noſtris dubiis atque ſcrupulis, nõn ad alium, quàm ad Chriſtum debere confugere. Sed non inuenitur Hieroſolymis,nec alibi,ſed in eccleſia catholica Romana Apoſtolica, illic paſcit, illic cubat in meridie.Docet item Nicodemus,ne pudeat nos,quæ ignoramus, petere. Ipſe enim cũ princeps eſſet doctiſsimus,ſanctiſsimus,& magnæ auctoritatis vir,magiſter in Iſraël, non dubitauit Chriſtum accedere, interrogare,& inſtructionẽ petere de iis,quæ ad iuſtitiam pertinẽt.In quo manifeſtè ſuperbia noſtra cõfunditur,qui ſi vel paululũ ſapientiæ, vel iuſtitiæ nos habere nobis perſuademus,oẽs con-

conciones & ſcripturas contemnimus, quaſi nihil nobis neceſſarias: quo fit, vt apud nullos contemptius ſit verbum Dei, quã apud eos, qui vel de ſcientia, vel iuſtitia ſua præſumunt: cum tamen certum ſit, quòd nullus tam doctus, qui non plura ignoret: nec raro contingat, vt quis ſe iuſtum eſſe præſumat, qui tamen nondum ſcit, quid ſit vera iuſtitia, & vbi quærenda.

De renaſcẽtia fuit quoque diſputatio, vbi fiat: ſcilicet, in baptiſmo, cùm homo aquis immergitur & extrahitur. Hæc immerſio ſignificat carnis mortificationem & peccatorũ abolitionem: & hæc in hac vita fit plena remiſsio peccatorum, hæc extractio ſignificat hominis in ſpiritu ſancto renouationem, & hæc in hac vita eſt imperfecta: ſed renouamur de die in diem ſecundum interiorem hominem. *Renaſcentia vbi fiat.* *Rom.6.* *2.Cor.4.*

Deinde, per quem fiat, ſcilicet per ſpiritum ſanctum. Cæterùm, quando fiat, ſcilicet, cùm quis in conſpectu Dei poterit verè dicere: Meæ vires ſine te nihil ſunt. Omnis mea ſapientia ſine te eſt ſtultitia, Omnis mea iuſtitia à tua morte & paſsione habet ſuã dignitatẽ atq; virtutẽ. quia igitur in me ſolo nihil ſpei neque auxilij eſt. ad te domine confugio, tuæ gratiæ me commendo: vt qui me baptizaſti, lauiſti, atque tuo ſanguine redemiſti, des etiã gratiam, qua tuam legem ſeruem, carnem mortificẽ, atque interiorem hominem magis ac magis renouem. *Per quem & quando.*

Tandem, quare fiat: ſcilicet, vt carnalis homo fiat ſpiritualis: & quæ natiuitas fuit de terra, de puluere, & craſſo elemento, fiat nunc de puriore; nempe, aqua, ſpiritu & aëre. *Nam quod ex carne natum eſt, caro eſt.* Ac ſi diceret, Qualis arbor, talis fructus: qualis Adã, tales õnes poſteri eius. Lupus non procreat agnũ, nec accipitrem noctua. Si quid boni meriti ſperandum eſt, oportet carnem & ſanguinem cum peccatis in baptiſmo ſubmergi, virtutes plantari, & rurſus hominem nouum renaſci ſpiritus ſancti gratia perfuſum & illuſtratum. *Renaſcentia quare fiat.*

3 Tertiò, beatus Euangeliſta deſcribit ordinem & modum diſputandi. Salutabat Nicodemus Chriſtum, & ait: *Rabbi ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum ipſo.* Ac ſi diceret, Tua ſancta vita, ſalutaris doctrina, & inaudita ſigna & prodigia faciunt, vt nihil mali de te cogitare poſsim, nedum ſuſpicari: verùm hoc me torquet, quòd Moſen cum omnibus operibus legis reiicis, & fidei ac charitati omnia ad ſalutem animę pertinentia refers accepta. *Modus & ordo diſputandi.*

Ex hoc loco vides Nicodemum ex eorum numero fuiſſe, qui miraculis moti in Chriſtum crediderunt: quamuis longe perfectius quàm alij. Illi enim tantum ſigna attendebant, non etiam verba Chriſti, ideo ceſſantibus ſignis omnes à Chriſto defecerunt: hic autem præter ſigna, etiam verbum Chriſti requirebat, ideo omnibus aliis negantibus, hic in fide perſtitit, vt patet. *Ioan.19.*

Reſpondit Chriſtus: *Amen, amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* Solum ex Phariſeis Nicodemũ Chriſt⁹ benigno dignatur alloquio & reſpõſo. Aliis enim Pharifæis interrogantibus, aut duriter reſpõdit, vt cũ dixit Mat. 21. Quid me tentatis hypocritæ? Item Mat. 15. Quare & vos tranſgredimini præcepta Dei, propter traditiones veſtras? aut omnino nihil eis reſpondit: vt cùm interrogarent in qua poteſtate hæc faceret. Matth. 21. quia omnes eorum interrogationes aut erant captioſæ, aut inuidioſę & malignæ, aut infideles & procaces: huius verò Nicodemi interrogatio ciuilis erat & candida. Non enim conuenit Chriſtum, vt oſtendat pertinaciter, aut aſtutè eũ in ſermone capiat, aut vt tẽtet malitioſè, ſed vt diſcat, ideoque iuxta verbum ſapientis inuentus eſt ab eo, quia non tentauit illum: ac ſi Chriſtus diceret illi, Quod ſi veniſti ex me auditum, quomodo iuſtificari atque ſaluari poſsis, dicam. Oportet te renaſci, nam ad iuſtificationem nihil prodeſt neque confert lex Moſi ſine ſacramento fidei. Sola ſacramenti noua natiuitas primò iuſtificat. Nihil expreſsè interrogarat Nicodemus, & tamen Chriſtus primò omnium de regeneratione reſpondet. Per hoc autem docuit prædicatores, vt primò faciant arborem bonam: & deinde bonos fructus requirant, hoc eſt, vt primò doceant fidem, qua homo iuſtificatur, & deinde opera bona.

Nicodemi interrogatio qualis. *Sap. 1.* *Matth. 12.*

Hoc autem vno & breui verbo, ſummam totius Chriſtianæ doctrinæ comprehendit. Homo quidem ad beatitudinem creatus eſt: verùm, quia propter peccatum maledictionem incurrit, factum eſt, vt nedum ipſe omniaque eius, ſed & omnes poſteri eius maledicti ſint. Quia igitur ex Adam nati ſumus, omnes inutiles & abominabiles facti ſumus in corpore, & anima, & omnibus viribus noſtris. Niſi igitur per gratiã Dei renaſcamur, ac planè ex filiis Adæ filij Dei efficiamur, fruſtranea ſunt omnia, quæ agimus, conamur, cogitamus, aut loquimur: imò vani ſumus, & nos ipſi, & omnis ratio, voluntas, vires, & opera noſtra. Itaque qui cupit intrare regnum Dei, oportet vt nouus homo efficiatur. Sic & qui cupit videre regnum Dei, hoc eſt, intelligere myſteria regni Dei, & hanc cæleſtem doctrinam, quẽadmodum Deus ipſi Iacob oſtendit regnum Dei in ſcala illa erecta, &c. is ſeponat carnalẽ ſuam prudentiã, abneget rationẽ ſuã, contemnat vires ſuas, ac totũ ſe tradat captiuũ verbo Dei.

Summa totius Chriſtianæ doctrinæ. *Geneſ. 28.*

Hoc igitur verbo Chriſtus omnes nos ac omnia noſtra dãnat, vt eò fortius nos ad quærendũ à ſe auxiliũ prouocet. Deinde hoc verbo, oẽm fiduciã in nos, vel opera noſtra nobis extorquet, ac baculũ illũ arundineum nobis aufert, vt diſcamus in ſola Dei miſericordia fidere. Fides enim eſt baculus ſenectutis noſtræ firmiſsimus, quo ſolo poſſumus Iordanem iſtum tentationum

Fides baculus ſenectutis firmiſsimus.

tionum pertranſire, cuius figura in Iacob præceſsit, Gen. 32.

Hoc non arriſit, quia non intellexit Nicodemus: quare ait; *Quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex? Nũquid poteſt in uentrem matris ſuæ iterum introire, & renaſci?* Ita humana ratio ſolet in rebus diuinis allucinari, atque deficere, & argutari. Quod enim Chriſtus de ſpirituali natiuitate retulit, id intellexit de carnali Nicodemus. Nec mirum, Animalis enim homo non ſapit ea, quæ Dei ſunt. Stultitia enim eſt illi, &c. 1. Cor. 2. Nunquam tale quid audierat Nicodemus, nec aliam natiuitatem nouerat, quàm carnalem: hoc tamen in ipſo commendandum eſt, quòd non ceſſat interrogare. Alij Phariſei audito Chriſti verbo, riſiſſent, atque abiiſſent: hic autẽ perſeuerat pulſando, donec aperiatur ei.

Ratio humana in rebus diuinis deficit.

Luc. 11.

Quare Chriſtus clarioribus verbis Nicodemo reſpondit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Paulatim Nicodemum ad maiora perducit: ſeque ſubinde clarius ei manifeſtat. Cum enim ſupra ſimpliciter dixiſſet neceſſariam eſſe regenerationem, hic explicat quomodo ea fiat.

Cùm autem baptiſmus ſit primum ſacramentorum, à paucis quidem ſatis intellectum, à pleriſque autem etiam impugnatum, diligenter attendenda ſunt verba Chriſti. Primò igitur, quòd Chriſtus doctrinam ſuam à baptiſmo auſpicatur (nam hactenus nihil legitur docuiſſe) clarè oſtendere voluit, à baptiſmo incipiendũ eſſe Chriſtianiſmũ. Sicut enim in rebus externis nulla huius mundi cõmoda ſentire poteſt homo, niſi prius naſcatur: ſic nec ſpiritualium poteſt eſſe particeps bonorum, niſi prius in baptiſmo renaſcatur. Huc pertinet quòd filiis Iſraël ex Aegypto egreſsis primo omnium occurrit mare, per quod tranſire eos oportebat: deinde ſolitudo, poſt hoc manna, ſubinde Iordanis, demum terra promiſſa: ſic tendẽtibus ad regnum cælorũ primò occurrit baptiſmus: ſecundò, tentationes variæ in mundo: tertiò, varię è ſupernis conſolationes: quartò mors, qua tranſita, ingrediuntur terram promiſſam.

Chriſtianiſmũ à baptiſmo incipiendum.

Similitudo.

Exod. 14.

Deinde obſerua, quòd Chriſtus hic generaliter loquitur, & nullum excipit: ne quis putet liberum eſſe, an quis velit vel nolit baptizari. Baptiſmus enim omnibus neceſſarius eſt ad ſalutem. Non, inquit, poteſt intrare in regnum cælorum, qui non renatus eſt. Nec obſtat quòd quidam etiam Martyres, non fuerunt baptizati. Hoc enim non ex contemptu baptiſmi prouenit, ſed quia ipſum habere non potuerunt, tametſi ardenter deſiderarent. Vnde creditur eos vel proprio ſanguine, vel interna ſpiritus ſancti gratia baptizatos fuiſſe. Deus enim non alligauit potentiam ſuam ſacramentis. Ordinata quidem voluntate per ſacramenta dat gratiam, nihilo minus tamen poteſt & ſine ſacramentis eam dare.

Baptiſmus neceſſarius ad ſalutem.

Potentia Dei non alligata ſacramentis.

Tertiò, obſerua quòd Chriſtus verba hæc loquitur ad homi-

nem Iudæum. *Amen, inquit, dico tibi, &c.* Iudæi autem iam ante habebant circunciſionem, vt ſignũ fœderis: nihilominus tamẽ Chriſtus etiam eis imponit baptiſmum, quo clarè oſtendit circunciſionẽ iam ceſſare debere, nec iniuria. Nam circunciſio erat ſignaculum fidei. Data enim erat ipſi Abrahæ in ſignum, quòd crederet diuinæ promiſsioni de futuro ſemine ſuo, in quo benedicendæ erant omnes gentes. Circunciſio igitur nihil aliud erat, quàm aperta profeſsio expectandi ſeminis, & quiſquis circunciſionem accipiebat, hoc ipſo facto profitebatur, ſe expectare ſemen illud futurum, quod eſt Chriſtus Galat. 3. Qui igitur poſt aduentum Chriſti, circunciſionem neceſſariam ducit, is negat Chriſtum veniſſe. Hinc Paulus Gal. 5. Si circuncidamini (inquit) Chriſtus vobis nihil proderit. Cõgruè igitur, cùm iã ceſſare deberet circunciſio, nimirum præſente Chriſto, aliud ſignũ fœderis inſtituitur, ſcilicet baptiſmus. Quòd autẽ Iudæi garriunt, circunciſionẽ non poſſe immutari, cùm ſcriptum ſit: Statuit circunciſionẽ in pactum ſempiternũ, in fœdus æternũ, falſum eſt. Quomodo enim circuncidendi lex æterna eſſe poterit, cùm naſcendi & generandi ſucceſsio ęterna non ſit? Deinde nec ipſa ſcripturæ verba intelligunt. Facta eſt enim ipſis menſa eorum in laqueũ, &c. Deus quidẽ voluit fœdus & pactũ ſuũ eſſe ſempiternũ: at circunciſio non fuit ipſum fœdus vel pactũ, ſed ſignum fœderis, vt clarè exprimitur. Quantum igitur diſtat inter teſtatoris ſcriptum, & ſigillum quod appenditur, tantum diſtat inter fœdus, quod Deus pepigit cum Abraham, & circunciſionem. Manet igitur etiam nunc fœdus ictum: tamętſi ſignum fœderis ſit mutatum. Quàm congruè autem mutatum ſit, vel ex hoc patet, quòd Deus ter fœdus ſuum cum homine renouauit, & ſemper nouũ aliquod & perfectius vel proximius ſignũ fœderis dedit. Primò cũ Noë pepigit fœdus de non inducendo in poſterum diluuio: & ad hoc conueniens ſignum dedit arcum in nubibus: deinde cum Abraham & ſemine eius fœdus ipſum renouauit, ac Chriſtum promiſit: huic promiſsioni cõueniens addidit ſignum, circunciſionẽ. Poſtremò per Chriſtũ fœdus renouauit, ac in perpetuum ſanciuit cũ omnibus credentibus: huius fœderis ſignũ eſt baptiſmus. Multò autẽ perfectius & efficacius eſt hoc noſtrum fœderis ſignum, quàm priora. Nam Noë quidem ſignum accepit, verùm extra ſe, in nubibus. Abraham ſignum accepit in corpore, ſed tantũ in vna parte corporis: noſter autem baptiſmus totũ corpus occupat: quo ſignificatur nunc adeſſe plenitudinem gratiæ, &c.

Circunciſio ſignaculũ fidei. *Geneſ. 17.* *Rom. 4.* *Circunciſione abrogata, inſtitutus baptiſmus.* *Gene. 17.* *Falſa Iudæorũ aſſertio.* *Pſal. 68.* *Circunciſio nõ fœdus, ſed fœderis vel pacti ſignum.* *Fœdus ter renouatũ & perfectius ſignum datum.* *Geneſ. 9.* *Geneſ. 23.*

Quartò obſerua, quòd Chriſtus duo quædam in baptiſmo coniungit valde diſsimilia, aquã ſcilicet & ſpiritũ: quorũ vnum corporale & viſibile eſt, alterũ ſpirituale & inuiſibile: nimirũ vt duplicis ſubſtãtiæ hominem perfectè mũdaret: Homo enim

Duo valde diſſimilia in baptiſmo coniunguntur.

ex corpore & anima conſtat: ſicut autem vtrũque à Deo creatũ eſt, vtrumque per pecatum collapſum, ſic Chriſtus vtrumque reſtituere voluit, nempe, vt totus homo per ipſum ſanaretur. Ob eam cauſam inuiſibili operationi ſuæ viſibilia ſacramenta adiunxit, vt quælibet pars hominis haberet ſibi conueniens remediũ, corpus corporalia, anima autem ſpiritualia, ſic in baptiſmo ſpiritus hominis habet Spiritum ſanctum, quo ſanctificatur: corpus verò aquam, qua non minus ſanctificatur. Neq; abſurdũ eſt, etiam per aquam ſanctificari corpus: quemadmodum enim aqua viribus ignis intenſius calefacta, non aliter quàm ignis, erit: ſic hic aqua ſpiritus ſancti operatione, quem ſibi adiunctum habet, in diuinã reformatur virtutem, qua baptizati corpus abſtergit. Ita autem in baptiſmo aquam & ſpiritũ coniunxit Deus, vt qui baptiſmũ externè accipit ritè ac debito modo & forma, & non ficto animo, is verè intus accipit & ſpiritum ſanctum, quo anima à peccatis abluitur. Hinc eſt, quòd etiam in propheta hæc duo coniunxit Deus, Ezechiel 36. Effundam, inquit, ſuper vos aquam mundam, &c. & dabo vobis ſpiritum nouum, &c. Quod ſi dicis, quid opus fuit addere aquam, cùm potuiſſet ſolo ſpiritu nos mundare à peccatis? Reſpondeo: cur hominem ex terra creauit, cum potuiſſet eum ex nihilo creare? Nonne ideo, quia ſic ei complacitum eſt? Et tu, quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me ita feciſti? Romanorum. 9. Potiſsima igitur ratio, cur per aquam nos regenerare voluit, eſt ipſius voluntas & beneplacitum. Secunda ratio: vt per ſenſibile ſignũ fidẽ noſtram confirmaret. Tertia, vt ſubiiciendo nos corporalibus elementis, ſuperbiam noſtram edomaret. Quarta, etiam ideo in aqua regenerationis ſacramentum inſtituit, quia aquã omnes habere poſſunt, nec quiſquam ſe excuſare poteſt. Quinta, quia aqua familiare eſt elementũ ſpiritui ſancto. Nã & in principio ſpiritus domini ferebatur ſuper aquas, & ex ea pleraq; animalia creauit, Geneſ. 1. Sexta, quia in aqua õnia illa ſenſibiliter videntur, quæ in baptiſmo inuiſibiliter operatur De⁹, vt ſunt mortificatio, ſepultura, reſurrectio, vita. In aqua enim, velut in ſepulchro caput immergẽtibus, vetus homo ſepelitur, emergẽtibus autẽ nouus reſurgit: inde quã facilè nobis eſt immergi, & emerſos reſpirare, tã facilè eſt Deo veterẽ hominẽ ſepelire, & nouũ reducere. Huc pertinet, quod Paulus ait: Conſepulti ſumus Chriſto per baptiſmum in mortem, &c. Item noſter vetus homo ſimul crucifixus eſt, &c. Vides, igitur non ſine cauſa aquam adhiberi ad regenerationem. Hoc autem olim figuratum eſt per aquam expiationis. Numero 19. Item per aquam illam, quam Ezechiel vidit exire à latere dextro templi, & cætera, cap. 47. Item per fontem illum, quem per Zachariam promiſit Deus.

Obiectio.

Rationes ob quas Chriſtus per aquã nos regenerari voluit.

Rom. 6.

Figura baptiſmi.

Deus,cap.13. Potiſsimum autem per aquas diluuij, quemadmodũ Petrus ait: Omnes has figuras potes adaptare, vt placet.

1.Cano.3. cap.

Quintò, circa hoc Chriſti verbum obſerua, quòd non dixit: niſi quis baptizatus fuerit: ſed, niſi quis renatus fuerit, ne quis de ſolo externo baptiſmo gloriaretur. Non enim te ſaluabit baptiſmus, niſi renaſcaris. Renatus autem eſt, qui ſpiritu mentis ſuæ renouatus eſt, qui veterem hominẽ exuit cum actibus ſuis, & nouum induit. Ephe.4. Verùm multi illorum, qui baptizantur, non renouantur ſpiritu mentis ſuæ. Exẽplo ſit Simon Magus. Huiuſmodi homines malis fœtibus cõparantur, qui vtero quidem concipiuntur: ſed non viuificantur, aut vitam inſpiratam protinus amittentes, abortiui proiiciuntur. Item ſimiles illis ſunt, qui mare quidem tranſierunt, ſed in deſerto proſtrati ſunt, & repromiſsionis terram non introierunt.

Renatus quis. *Act.8.* *Similia.* *Num.14.*

Sextò, obſerua quòd baptiſmus à Chriſto nominatur ſpiritualis natiuitas: idq; conuenientiſsimè. Nã ſicut in generatione carnali cõcurrũt pater & mater: ſic in ſpirituali Deus pater eſt, eccleſia autem mater: Et Deus quidẽ ſpiritum dat, eccleſia autem aquã. Secundò, ſicut in natiuitate corporali homo naſcitur ad vitã, lucẽ, & ad huius mũdi bona: ſic in baptiſmo, homo naſcitur ad vitã animæ, veram lucẽ, & bona cæleſtia. Tertiò, ſicut homo tantũ ſemel naſci poteſt, ſic tantum ſemel baptizari: qui autem baptiſmũ iterat, ſacramentũ illudit. Ad hoc adducit Auguſtinus figurã de Iſmaële ludente cum Iſaac, propter quẽ luſum & ipſe Iſmaël cum matre è domo eiectus eſt, videbatur enim luſus, ſed verè perſecutio erat, quemadmodũ Paulus dicit. Gal.4. ex Gen.21. Sic luſus videtur iterũ baptizare, ſed verè illuſio eſt & perſecutio: ob quam meritò ab eccleſia eiiciuntur retinctores. Talis olim erat Donatus, qui cauſatus neſcio quid in miniſtris, rebaptizabat homines, quaſi baptiſmus ſuper bonitatẽ miniſtri fundatus ſit, & nõ potius ſuper verbũ Domini. Qualiſcunq; enim ſit miniſter, tamẽ baptiſmus in ſe bonus eſt, nec melior efficitur ex bonitate conferẽtis, nec peior ex malitia miniſtri. Hinc eſt quod Paulus arguit eos, qui de miniſtris gloriabãtur. 1.Cor.1. Quis, inquit, eſt Paulus? quis Apollo? num diuiſus eſt Chriſtus? &c. Itaque ſicut Eſau tametſi de libera natus, non tamẽ ad hæreditatẽ admiſſus eſt: ecõtra autem Dan & Nephtalim, Gad & Aſer, quamuis de ancillis nati: tamen inter alios profeſsionẽ accipiũt: ſic plerunque in Eccleſia cõtingit, vt à bono miniſtro baptizatus, malus efficiatur, & econtra à malo baptizatus, bonus fiat. Prędictũ Donatum ſequuntur & noſtri Anabaptiſtæ, imò non parum deteriores ſunt. Primò cùm vniuerſam damnant Eccleſiã, quæ baptizauit paruulos iã inde ab initio. Nam & Paulus legitur baptizaſſe Stephanæ domũ, hoc eſt, totam familiam, in qua veriſimile eſt etiam pueros fuiſſe. 1.Cor.1.

Baptiſmus ſpiritualis natiuitas. *Baptiſmus non reiteratur.* *Baptiſmus fundatus ſuper verbũ Domini non ſuper bonitatem miniſtri.* *Anabaptiſtæ Donato hæreticο deteriores.*

1. Corint. 1. Secundo, baptiſmum paruulorum nihil valere dicunt, cùm fateri cogatur non paucos fuiſſe in pueritia baptizatos, qui poſtea ſpiritu ſancto pleni fuerunt. Certum eſt autem, quòd ſpiritus ſanctus ſolis his dona ſua iuſtificantia tribuit, qui ad eum pertinent: quales ſunt ſoli baptizati. Si igitur baptiſmus paruulorum nihil eſſet, non eis dediſſet ampliorem gratiam: vide Sapientiæ. 1. cap. Tertiò nolunt pueros Chriſtianorum partem habere in ſigno fœderis, cùm videant in veteri teſtamento præceptum fuiſſe, vt & paruuli & adulti ſignum circunciſionis haberent. Gen. 17. audiantque Chriſtum clamantem: Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnũ cælorum: Quartò, paruulos ſacramẽto indignos cenſent, quos Chriſtus benedicere dignatus eſt, quod vtique maius eſt. Nam ipſius benedicere, eſt fouere, diligere, dare, &c. Si igitur gratiam Dei poteſt accipere paruulus, & benedictionem; cur non poſſet etiam accipere gratiæ ſignum? Scriptum autem eſt, quòd Chriſtus amplexatus paruulos, benedixit eos, Ibidem. Et vt ſemel omnia dicam: quomodo inefficax poteſt eſſe baptiſmus paruulorum, cùm fiat in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, & ſuper eos inuocetur nomen ſanctæ Trinitatis? Cõtra deliramenta igitur illorum hoc vnum oppone, quod ſicut nemo poteſt denuò corporaliter naſci, ſic nemo poteſt aut debet denuo baptizari, quandoquidem Chriſtus baptiſmum nominat natiuitatem ſpiritualem. Sufficiat igitur tibi quod ſemel baptizatus es: tantum hoc age vt baptiſmo conformiter viuas, & quæ ibi promiſiſti, impleas, &c. Demum, quòd Chriſtus ait, niſi quis renatus fuerit, &c. non poteſt intrare in regnum cælorum. Videmus quid obſtiterit, quòd patribus ante mortẽ Chriſti clauſa fuit porta cæli: nimirum, quia nondum erant baptizati: Chriſto autem mortuo, & ſanguine cum aqua ex latere eius profluente: tum demum baptizati ſunt, ac Chriſto reſurgente atque aſcendente meruerunt intrare regnum cælorum.

Marc. 10.

Quare patribus fuit clauſa porta cæli.

Ioan. 19.
Epheſ. 4.

Quod natum eſt ex carne, caro eſt. Bonus doctor, cui non opus eſt vt quiſquam eum interroget. Ioan. 6. non exſpectauit, vt eum Nicodemus interrogaret. Quare nemo niſi renatus poſſet intrare regnum cælorum: ſed ipſe vltro rationem reddidit. Prædicatoris enim eſt, rationem reddere doctrinæ ſuæ, eamque ita ſcripturis firmare, ne quis dubitari poſſit. 1. Pet. 3. Oportet enim vt certa ſit doctrina, cui per fidem inniti debemus. Ideo autem Chriſtus rationem adfert dicti ſui, ne quis præſumat ſine regeneratione, per propriam ſapientiam, iuſtitiam, aut vires humanas, ſe poſſe intrare regnum cælorum, id quod plerumque facimus. Quod natum, inquit, eſt ex carne, caro eſt, hoc eſt vanitas & nihil, quantumcumque arduũ videatur. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria eius flos fœni, ait Iſaias cap. 40.

Doctoris eſt ſua doctrina rationem reddere.

Caro

Caro eſt, hoc eſt, fragile quiddā eſt quicquid ſumus, habemus, vel poſſumus, ipſum corpus eiuſque dotes, anima, ratio, voluntas, vires, &c. Quid igitur in his gloriaris, aut in ipſis confidis?

Deinde vides hoc verbo vnde ſit, quod etiam qui è iuſtis & Chriſtianis parentibus naſcuntur, tamen nihil niſi peccatores ſint, nimirum, quod non ex ſpiritu, ſed ex carne naſcuntur.

Præterea hoc verbo Chriſtus ad primā originem noſtrā nos ducit, vt vel hinc diſcamus quàm neceſſaria ſit nobis regeneratio. Conſtat autē quod omnes ex Adam procreati ſumus. Iam tametſi conditus fuerit homo ad imaginē & ſimilitudinē Dei, hoc eſt, nedū rationalis, ſed & bonus, ſanctus, & iuſtus, &c. tamen in hoc ſtatu non generauit filios: neque enim in paradiſo, ſed poſt eiectionē ſuā incepit generare, vt patet Gen. 4. Eo autē tēpore iam peccauerat, ac per inobedientiā Dei iram incurrerat. & quamuis adhuc imaginem Dei, hoc eſt, rationē & formam hominis haberet, tamen Dei ſimilitudinem, ac optima quæque bona, qualia ſunt iuſtitia, innocētia, gratia, immortalitas, &c. perdiderat. In ſumma, nihil aliud erat, quàm ſeruus peccati, omnibus bonis ſpoliatus, diaboli mancipium, mortis & inferni captiuus, ac expreſſa quædam imago & ſimilitudo ſatanæ. Ex tam mala ergo radice, quid boni vel ſperari poteſt? Nūquid colligunt de ſpinis vuas? Atqui ex hoc fonte omnes nos prodiuimus. Conſtat igitur quòd non alij naſcimur, quàm ipſe Adam erat, cùm generare inciperet. Lupus enim non parit agnum, nec muſca elephantē, nec homo angelū, nec caro ſpiritū. Huc pertinet quod Sapiens ait, ca. 12. Erat, inquit, ſemen maledictū ab initio, &c. Et Paulus: Per vnū hominē peccatū intrauit in orbē terrarū, &c. Et iterū, Ephe. 2. Omnes natura filij iræ ſumus. Et in Pſal. 13. Omnes declinauerūt, ſimul inutiles facti ſunt, &c. Omnes igitur opus habemus regeneratione. Caro enim & ſanguis regnū Dei nō poſsidebūt. 1. Cor. 15. Et omnis auarus, aut fornicator, aut immūdus, non habet hæreditatē in regno Chriſti & Dei. Ephe. 5. Itē, Neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, &c. regnū Dei poſsidebūt. Itē, Timidis, & incredulis, & homicidis, &c. pars illorū erit in ſtagno ardēti. Summè igitur terret hoc dictum omnes, qui carnis cupiditatibus ſeruiunt. Vide igitur quid agas. Si cælū deſideras, oportet vt primo homini multū diſsimilis ſis: alioqui, ſi nihil niſi caro es, nunquā intrabis cælum. Noli igitur errare: Deus non irridetur: quin potius omnes gratiam quæramus dum tempus habemus.

Regeneratio omnino neceſſaria.

Matth. 7.

Roma. 5.

1. Cor. 6.

Galat. 6.

Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Omnis noſter defectus, vt iam audiuimus, in hoc conſiſtit, quòd ſpiritu caremus, & nihil niſi caro ſumus: Spiritū autē non aliunde acquirere poſſumus, quàm à Deo, qui & ipſe ſpiritus eſt, & ſolus poteſt ſpiritū bonum dare petentibus ſe. Luc. 11. quemadmodū olim promiſit in

Deus ſpiritum ſuum, bonum dat per regenerationem.

in Ezech. 36. cap. Hoc autē non alio modo fit, quàm per regenerationē. Sicut enim per natiuitatē carnalē naturā carnis cum omnibus malis induimus: ſic in natiuitate ſpirituali Spiritum ſanctum cum omnibus accipimus. Non enim qui ex voluntate carnis, neque qui ex volūtate viri, neque qui ex ſanguinibus: ſed ſoli illi qui ex Deo nati ſunt, filij Dei, & capaces Spiritus ſancti ſunt, Ioan. 1. Vnde Iſai. 29. ait: A facie tua domine concepimus, & peperimus ſpiritū ſalutis, &c. Hinc & hic dicitur: Solus ille efficitur ſpiritus vel ſpiritualis, qui ex ſpiritu natus eſt. Spiritum igitur non ex nobis habemus, ſed à Deo petendus eſt.

Deinde hoc verbo ſubindicat, quàm nobilis creatura efficiatur, qui renatus, & Spiritum ſanctum accepit. Is enim non amplius caro eſt, non quęrit carnalia: ſed ſpiritus eſt, ſpiritualia intelligit, quærit, amat, carnalia deſpicit, magna & mira agit, ac etiamnum in carne conſtitutus, quodammodo extra carnē eſt, imò in mundo exiſtens, iam in cælis conuerſationē habet, Phil. 3. ac omnium quæ retrò ſunt oblitus, ad ea tantum aſpirat, quæ ante ſe ſunt: quemadmodū Dauid, Vnam petij à domino, &c. vt inhabitem in domo domini, &c. *Renatus nobilis creatura eſſectus.* *Pſal. 28.*

Non mireris ergo quia dixi tibi: Oportet vos naſci denuò. Pulchrè enthymemate colligit, neceſſariam eſſe regenerationem: Primò, ponit maiorē: Omne quod natū eſt ex carne caro eſt: ſubſtituamus nos minorem. Sed omnes homines nati ſunt ex carne peccatrice, Deum neſciēte, mundū diligente, poſt concupiſcentias ſuas eunte. Concludit Chriſtus: Ergo nihil mireris, quod dixi, oportet vos naſci denuò. Nam alias fieri non poſſet, vt homo carnalis ad ſpirituale illud regnum acceſſum haberet. Addit ſimilitudinem, dicens: *Enthymemate colligit neceſſariam regenerationem.*

Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat; ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. Ac ſi diceret: Ventus eſt libera creatura, fertur huc, & reuolat illuc, non poteſt comprehendi, nec includi. Quemadmodū igitur accidit in creaturis corporalibus aëre & vento, ſic etiā in homine ſpirituali. Nam vbi per verbū in baptiſmo renaſcitur homo, ibi poteris affirmare ſpiritū & vitā adfuiſſe. Facit ergo diſcrimen inter carnalē & ſpiritualē natiuitatē. Nā natiuitas carnalis gignit ſeruos peccatorū, captiuos diaboli, qui poſſunt malè cogitare, dicere, & operari: Spiritualis verò natiuitas gignit liberos homines, qui amore & virtute Spiritus ſancti feruntur, vt voluntatē Dei faciant. *Ventus libera creatura.* *Diſcrimē inter carnalem & ſpirituale natiuitatem.* *Rom. 8.*

Hic reſpondit Nicodemus: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* Hic primò patet quàm difficulter ſpiritualia intelligāt, qui carnalibus aſſueuerunt. Huiuſmodi igitur homines indigent crebris admonitionibus. Nam & gutta cauat lapidē, non vi, ſed ſæpe cadendo. Deinde hic vides verè dixiſſe Chriſtū, *Vocem eius audis, & neſcis vnde ſit, &c.* Miratur autem Nicodemus quomodo fieri poſſit, *γνώμη ex vulgi dicto.*

poſsit, vt homo corporeus, carnē & ſanguinē habens, poſsit aëris, vel venti leuitatē conſequi, vel in ſpiritū cōuerti. Deinde miratur quomodo ex aqua poſsit renaſci homo, & non miratur quomodo, vel ex terra, vel ex coſta, vel ex ſemine naſcatur, cùm hæc non minus ſint mirabilia. Obſeruandum tamen hîc, quòd Nicodemus tametſi rudis, multò modeſtior eſt in interrogando, quàm Phariſei, qui poſt auditū Chriſti verbū, aut illuſerūt, aut inſultauerunt, aut proteruè reſponderūt, aut etiā lapidibus obruere niſi ſunt. Vnde Chriſtus ſe ab eis abſcondit. Hic verò Nicodemus, quia interrogauit ſtudio diſcendi, ideo & reſponſum meretur. Verè enim dixit Sapiens, In ſimplicitate cordis quærite illū. Inuenitur enim ab his, qui eum non tentant, &c.

Ioan. 8.

Reſpondit Ieſus & dixit ei: Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras? Tu es ille magiſter Iſraëlis, legis doctor, populi paſtor, animarumque curator, & ignoras ea quę ſummè ſunt neceſſaria? quaſi dicat, Qui profitetur ſe magiſtrū, nihil neſcire debet eorū, quæ ad ſuū officiū pertinēt. Quid igitur inani titulo gloriaris, cùm tanta neſcias? Si tales ſunt doctores, qualis erit populus? Quod ſi Rabbinorum tanta eſt inſcitia, quid, quæſo, ſunt diſcipuli? Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſint; quantæ tenebræ erunt! Si caput adeò languet, nihil mirum quòd & mēbra langueant. Hoc verbo pulchrè oſtendit, quidnam populum Iudaicum in tantā impietatē & malā perduxerit, nempe, quòd ſpeculatores eius cæci omnes. Iſa. 56. Item quòd & ſacerdos & propheta neſcierunt. Iſa. 26. Hinc in alio loco dicitur: Propterea ductus eſt populus meus in captiuitatem, quia non habuit ſcientiam. Iſai. 5. quaſi dicat, Iam non miror tam impiū eſſe populū, cùm tam malos & imperitos habeat paſtores: ſic & nunc omniū malorū cauſa in eccleſia eſt, quòd hi, qui deberent eſſe lux mundi, tenebroſi ſunt, qui ſal terræ eſſe deberent, ipſi inſipidi ſunt. Matt. 5. quique alios docent, ſeipſos non docent, imò qui docent non adulterandum, adulterantur, &c.

Quid populū Iudaicū in tantam impietatē & mala perduxerit.

Rom. 2.

Officium boni paſtoris.

Hic iterū Chriſtus fungitur officio boni doctoris, cuius eſt nedū docere, ſed & increpare, & obſecrare, &c. vt Paulus docet, 2. Tim. 4. Hactenus igitur Chriſtus docuit, nunc increpat, poſtea etiā cōſolaturus, vt ſequitur: *Amen, amen, dico tibi, quia quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur.* Videbat ſe nihil acturū in Nicodemo, quandiu ille pergeret ſola humana ratione verba ſua metiri. ſuadet igitur ei, vt poſtpoſitis cogitationibus carnalibus, crederet quæ ratione conſequi non poſſet. quaſi dicat: Non fabulas loquimur, nec ex coniecturali præſumptione, quemadmodū hi, qui à ſemetipſis loquuntur, propriā gloriam quęrētes, aut qui de cordibus ſuis prophetant. Sed quod ſcimus & vidimus, rem certā in veritate exiſtentē, verum ſcripturarum ſenſum, quarū profitemur magiſteriū, loquimur & teſtamur,

Ezech. 13.

ſecurus

ſecurus igitur crede. Oſtēdit quàm indubitata ſit ſua doctrina, & ideo recipienda; nouerat enim quæ loqueretur, cùm Dei ſit ſapientia, & in ipſo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſint reconditi, Collo.2. Sed non omnes obediunt Euágelio, Rom. 10. vnde ſequitur, *Et teſtimonium noſtrū non accipitis.* Tres ſunt qui teſtimoniū dant in cælo, Pater, verbum, & Spiritus ſanctus. 1. Ioan.5. Teſtimoniū noſtrū, inquit, ſubindicans, hoc non ſibi ſoli fieri, ſed etiam aliis factum eſſe. Hoc enim & Moſes, Deu. 9. & omnes prophetæ conqueſti ſunt, Iudæos ſcilicet eſſe duræ ceruicis, & contemptores verbi Dei, &c. Nec dicit, Tu non accipis, ne eum omnino confundat: ſed in generali tantum, Vos, inquit, & Phariſæi, non accipitis, nec intelligitis, nec credere vultis, iuſtè igitur vobis auferetur regnum Dei. *Matth.21.*

Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? Terrena hic intelligit externas illas & terreſtres ſimilitudines, quibus Chriſtus frequenter vſus eſt. Vel per terrena intelligit generationē eam, quæ fit in baptiſmo, quia fit ſuper terram, & in elemēto, quamuis cæleſtis ſit ſecundū gratiā & honorem. quaſi ergo dicat: Si aëris huius naturam & impetum cùm ſentias, non tamen ingenio conſequi potes: quomodo conſequêris hæc longè ſublimiora? Si exemplum à terrenis ſumptum non creditis, quonam pacto altiora credetis? Si natiuitatem aliquo modo terrenā prædicanti mihi non creditis ob carnalē ſenſum animi, quomodo credituri ſitis, ſi prædicauero ea quæ planè cęleſtia ſunt, quæ tamē & ipſe vidi, & certius cognoui, quàm quæ vos oculis corporeis videtis? Neceſſarium ergo demonſtrat, intellectum noſtrum ipſius authoritati ſubiiciendum eſſe, atque humiliter obediendum. 2. Cor. 10. In captiuitatem redigentes intellectum, in obſequium Chriſti. *Terrena hic quæ.*

4 Quartò ſanctus Euangeliſta deſcribit hic authorem, qui nobis obtinuit Spiritum ſanctū, & quomodo, nempe per Chriſtum, per ſuam paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſionē. Ait enim, *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo filius hominis, qui eſt in cælo.* quaſi dicat: Qui ad cælos aſcendere cupit, eum oportebit per Chriſtum velut per ſcalam aſcendere: Chriſtus vnus eſt ille, qui ſuo dorſo benedicto poteſt in cæleſtem patriam nos transferre. Chriſtus eſt cæli porta, via, pons, nauis, atque ſcala Iacob, qua nos oportebit ad patrem omnipotentem conſcendere. Ait enim Chriſtus, Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem niſi per me. *Aſcendendum per Chriſtum velut per ſcalam.* *Ioan.14.*

Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filiū hominis: vt omnis qui credit in eum, non pereat: ſed habeat vitam æternam. *Num.21.* quaſi dicat: Ego ſum verus ille ſerpens quem oportet in cruce exaltari, vt per meam paſſionem, mortem, & reſurrectionem, mundus reconcilietur patri. Igitur qui morſi ſunt à peccatis, & *Serpens aeneus typus Chriſti crucifixi.*

infecti

infecti veneno, vt nullam in conſcientiis pacem aut requiem habere queant, me in cruce pendentem intueantur, & aſpiciant, credantque me pro ſalute hominũ atroci morte confectũ, atque precióſo ſanguine meo (ſi verè doleát, cõterantur, cõfiteantur) eorum peccata deleturũ. Hoc qui credunt, & Deo pro collatis beneficiis gratias agunt, hi non poſſunt damnari, modò in charitate vitæ terminum finiant: ſed conſecuturi ſunt diuinam gratiam, remiſsionem peccatorũ, iuſtitiam animarum, & ſuis tandem meritis vitam promerebuntur æternam. Amen.

Hæc hiſtoria habetur Num. 21. Cùm cepiſſet populũ itineris tædium atque laboris, locutus eſt contra Dominum & Moſen: quare Dominus iratus, immiſit in populũ ignitos ſerpentes, ad quorum plagas multi venerunt ad Moſen, dicentes: Peccauimus, tu ora Dominum vt tollat à nobis hanc plagam. Et orauit Moſes pro populo. Et ait illi Dominus: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet: & fecit Moſes ſerpentem æneum, & ſuſpendit in ligno: quem cùm percuſsi aſpicerent, ſanabantur.

Baptiſmus graphicè exprimit myſteriũ trinitatis.

Enarrationem huius Euãgelij prolixius ſolitò produximus, vtpotè non minus huic ſeculo neceſſariam, quàm pulchram, quod Eccleſia proponit hoc feſto cantandum, quia nullum eſt ſacramentum, quod nitidius Trinitatis myſterium exprimat, quàm baptiſmatis ſacramentum: quod cùm Chriſtus ſuſcepit, tres perſonæ Trinitatis ſe mundo oſtenderũt, Pater per vocem, Spiritus ſanctus per columbam, Filius per ſuſceptionem ſacramenti: cuius virtute nos in charitate viuentes, vitam ſperamus æternam. Amen.

EPILOGVS.

1 *Doctrina pro infirmis in fide ſuſcipiendis Roma. 14. qualis erat Nicodemus (& hodie multi ſunt) vbi videmus clementiſſimum Chriſtum in Nicodemo non repellere frigidum affectum, nec duriori obiurgatione à ſe abigere, nec ſua doctrina indignum dúcere: ſed multa cum manſuetudine alloqui, & rationem iuſtificationis illi aperire. Sic namque de eo dicit Iſaias cap. 42. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.*

Summa ſalutis exponitur.

2 *Summa ſalutis grauibus verbis, magna aſſeueratione, & vehementi repetitione nobis exponitur. Amen, amen, dico vobis, niſi quis natus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei. Item, Amen dico vobis, niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto non poteſt intrare regnum Dei.*

3 *Per quem renàſcamur docet, & iuſtificemur, videlicet per Chriſtum: cuius ſolius iuſtitia coram Deo accepta eſt, qui deſcendit de cælo, filius hominis, & eſt in cælo, vt hinc diſcamus quid ſit Chriſtus: nempe, iuſtitia, ſanctificatio, redemptio noſtra: cur venerit, & quid per eum habeamus: nempe, vitam æternam.*